ALBERICI DARESIJ IURISCONSULTI HISPANI IN CODICEM...

Albericus Darresius, Giovanni Battista Coccini

ALBERICI DARRESII
Iurisconsulti Hispani
IN
Codicem Iustinianæum EROTEMATA
Nunc demum edita.

Ex Legato Ill.mi Coccini



LEOVARDIAE,
EXCVDEBAT
ABRAHAMVS RADAEVS,
Typographus Ordinarius.

Anno M DC XVII.

Autoris

AD

Benevolum Lectorem

PRÆFATIO.

EA fuit amice Lector, ab omni ævo humani ingenij cura, ut à barbariè morum quæ proprià prisci temporis fuerat, se quam maxume semoveret, ac legum præcepta, sinè quibus res nullas stare posse existumabat, partim ex cõnato naturæ iure, partim gentium moribus, ac statutis mali præscriberet. Nam cum partim humani ingenij mo

res proſerperent, quibus creſcẽtibus continerí in officio ſocietas hominum non poterat, opus fuit ſanctiſsimarũ legum conſtitutionibus, quibus & vinculum multitudinis, & ordo inferioris mundi conſervaretur. Ea quidem ab initio hominum ſagaciorum ſtudia fuere, quæ ut imbecillia rerum incipiẽtium principia ſunt, cum ſperatos progreſsus non haberent ac ſufficientes regendæ reipublicæ, factum ut è diverſis gentium ſtatutis, ac legibus præcepta quædam ſancirentur.

Donec tandem poſt multa ſæculà adaucto Græcorum, & Romano imperio fortunam, & virtutem militarem ſecuta quoque legum ſtudia ſunt. Quas cum antiqui Græci in Tabulas retuliſſent, eo zelo incitati Romani,

ut

ut cum ipsis in Tabularum communionem descenderent. Iis impetratis, & florente magis magisq; indies Romanâ re, quot cives fermè ac sapientes, tot legumlatores habebantur, qui cum fato quodam terrarum orbem gloriâ armorum subegissent barbaros adhuc populos suarum etiam legum disciplinâ emollirent.

Inde exarsit ferendarum legum studium, quas cum mutilatas, partim antiquatas novitate ingeniorum, & iniurijs temporum cernerent, ætas posterior etiam declinante paulatim imperiò antiquam gloriam imperij labore legum superavit. Is autem cum in immensam molem beneficio imperatorum, & prudentum iuris excrevisset diffusam illam rerum, ac verborum

materiam

materiem compendio terminari oportuit. Inde post illa tempora, tot scriptores subsecuti, qui ut in ordinem quoque eorum referrentur, qui de iure, ac legibus aliquid scripsisset, tot farcinata volumina, tot libri compositi, ac compendia, ut plaustris ferme eguerint ac portorijs ubi ventum est officinas. Me sane non alià ratio ad publicandũ hoc scriptum impulit, quam & privata amicorum petitiones, qui cum censerẽt esse quidpiã quod in usum publicum, precipue Tyronũ, referri posset obsecutus sum eorũ consilijs, an dicam imperijs. Addebãt enim & tyronũ animos imbecilles esse, et raro eos ab ipsis fontibus petere scientiam, à rivulis plerunque.

Faciunt enim hi ad avertendum tadium longi laboris, et brevem institutionem

tutionem

tutionem. Tuum erit benevole lector laborem hunc nostrum æquo animo legere, ac condonare, si id præstitum non sit, quod omnium iudicijs convenire possit. Sume hoc præludium fortè subsecuturi laboris, quod si intellexerimus esse ad palatum tuum, ut posterior dies magistra prioris est, dabimus meliora. Interea Vale, & hoc labore nostro fruere.

EROTEMATA
SEU
QVÆSTIONES
in Codicem Iustinianeum.

Vnde dictus est Codex?

A Plurium tabularum contextu, & corticibus arboris interioribus cera illitis, quibus quod inaratur, facilè deleri potest, ut reponatur aliud juxta illud:

Esse puta ceras, quamvis membrana vocatur,
Delebis, quoties scripta novare velis.

Qua de causa in codicibus pugillaribus, commodatum consistit, l, in commodato l, 7, 6, sicut ff, commodati. Cujac. & VVesembec. à caudice crassiore arboris parte, quæ extra terram assurgit, deducunt. Hinc, quia veteres nondum invento papyri usu, tabulas conficiebant scriptioni aptas (qual. , etiamnum visitur Novum Testamentum Caroli Magni, inter ejus monumenta Aquisgrani asservatum) factum est, ut plurima ejusmodi tabulæ instar voluminis colligata, codices decerentur.

Cur hic liber Constitutionum Principalium, hoc nomine insignitus est?

Prudentes responsa sua chartis aut membranis perscribere solebant: unde quidam etiam libris suis membranarii titulum adhibuit, videlicet Neratius Priscus, qui 7, lib, Membr. reliquit, Constitutiones verò & rescripta codicibus & pugillaribus ligneis, æneis, vel ebur-

neis moris erat scribere, quæ posteà in scriniis memoriæ vel dispositionis servabantur. Unde obtinuit, ut scripta librique principalium rerum codices, seu diminutivo nomine, codicilli dicerentur. l. administrantes rem. 41. ff. de Excusat. tutor. scilicet ut, sicut rebus ipsis atque rerum ordine, ita appellationis quoque discrimine, hæc Iuris pars à responsis ICtorum discerneretur.

Quis hoc ei nomen indidit?

Non Iustin. sed ut res. ita & appellationem aliunde mutuatus est. Nam ex prioribus tribus codicibus Gregoriano. Hermogeniano, & Theodosiano (qui à suis authoribus, quorum industria in scribendis colligendisque Impp. Constitutionibus ante eà tempora ei innotuerat, ita appellati sunt) Iustinianus suum confecit: illique nomen pristinum, quo anteà libri constitutionum designabantur, præmisso suo nomine reliquit.

Quid utilitatis studioso ex libris Codicis expectandum?

Eadem, quæ ex reliquis Iuris partibus (& ne dicam) major nempe ut honestè vivat, cuique suum tribuat, neminem lædat, §. Iuris d inst. lib. 10. §. 1. eodem, ut secundum æquitatem res suas obtineat: ut legitimam atque usitatam æqualitatem in rebus causisque civium conservet. Ius enim (inquit Cic.) semper quæsitum est æquabile, neque enim aliter esset Ius. Atque idcirco leges inventæ sunt, quæ cum omnibus semper una atque eadem voce loquerentur. ut procuret Salutem populi quæ suprema lex est, Huc & Plato respexit ἡμῶν ἢ ἡ τῶν νόμων ὑπόθεσις ἐνταῦθα βλέπει, ὅπως ἔσονται οἱ πολῖται μάλιστα ἀγαθοὶ καὶ ἀλλήλοις φίλοι. Breviter, ut gloriæ Dei, & Ecclesiæ (honestum in Rep. locum tenens) serviat. ut proximum consiliis juvet: ut vitæ necessaria paret. juxta illud.

Dat Galenus opes: & sanctio Iustiniana.
Ex alijs paleas, ex istis collige grana.

Quomodo major?

Nam cùm totum illud Iuris corpus constans 66. libris cum Novellis constitutionibus, contineat tria librorum genera, quorum alij Elementarij sive Isagogici, nempe, 4. lib. Institut. quibus prima Iuris rudimenta explicantur. Quidam sunt artis, velut 50. ff, libri, quibus Iuris ars comprehenditur, ad usum accommodata forensem. Quidam sunt Emendatorij, videlicet. 12. libri C. quibus accedunt Novel,

Novellæ constitutiones, quæ pro rerum varietate vetera Iura, quæ vel in ff. vel in Inst. expoſita ſunt, vel corrigunt, vel augent, vel ſupplent. vel diminuunt. Notum n. eſt illud Modeſtini, αἱ μεταγενέστεραι διατάξεις ἰσχυρότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν l. ult. ff. de conſtitut. Princip. An non hæc, magna utilitas?

Quæ eſt ſecunda?

Supplet ea, quæ à veteribus I Ctis deciſa non ſunt, & eorum pugnas controverſiáſque dirimit: & emendat veterum ſubtilitatem, ſubſtitutis iis, quæ ad uſum exiſtunt potiora.

Quæ eſt tertia?

Illa ipſa etiã uberius diſtinctiúſque explicat, ut jus publicum, quod vel ad ſacra, ſacerdotes, magiſtratúſque pertinet: Item tractatum judiciorum. uſucapionum: & reſtitutionum.

Quæ eſt quarta?

Praxi etiã operam daturis, utilius videtur futurũ in Conſt, Impp. potiùs, quàm I Ctorum volutandis, multũ operæ temporiſq; collocare.

Quid ita?

Nam in his ſæpè non minus ſubtilitatis eſt, quàm frugis: multum etiam quæſtionum, & opinionum variarum, ac ſubtilium diſputationum, quæ laudem quidem ingenij habent, & acumen I Cti, oſtendunt, Cæterùm in foro, non maximum uſum obtinent, nec juſtos fructus. laboribuſq; impenſis dignos parere poſſunt. At conſtit. Impp. in Codicem relatæ, quæſtiones ex media & quotidiana vita ſumptas definiunt, prout quæque res vel cauſa, à conſulentibus, vel judicibus, Principi dijudicanda eſt oblata: quæ cùm actiones, lites & negotia generis humani fuerint & ſint omnibus temporibus ſimilia, & uſum in commune habeant maximum, neceſſe eſt.

In quibus Codex & Digeſta differunt?

In digeſtis major ordo & methodus obſervata fuit in ſingularum materiarum explicatione: In Codice ſingula facta & ſpecies pro renata deciduntur.

In Digeſtis rerum & tractationis ordo ſervatus fuit, temporum habere rationem, nihil fuit neceſſe, cùm ſine prærogativa vetuſtatis authoritatiſq; reſponſa ex monumentis I Ctorum collecta ſint. una Iuſtiniani conſtitutione quaſi ſanctione quadam pro lege confirmata. In Codice verò temporum ordo magis eſt ſervatus, & ut quiſque Imp. prior poſteriore principatum tenuit: Ita ejus conſtitutio pri-

ere posterioréve loco est collocata. Quod ideò factũ videtur, ut ex notatione temporum sciri posset, quæ cõstitutiò alii derogarit. Nam posteriores prioribus derogant. d. l. fin. l. 1 . C. de Pact, Digestorum facilior tractatio quàm Codicis; illis continentur Leges, Plebiscita S Cta, Magistratum, principum Edicta, Prudentum interpretationes atq; responsa, certa omnia & maximè inter se congruentia; Aut repugnantia si quæ sunt, ita sunt disposita, ut quæ prævaleant non sit obscurum. Constitutionum autem jus quasi incertum, varium, multiplex atque perdifficile, ideò in Codice majus est opus, & majus negotium, ut ejus interpretatio atque enarratio plerumque exercitatioribus, & veteranis in Iuridicæ Facultatis palæstra, solet, teste experientia, committi. Hæc ex Oecon. VVes.

De novo Codice faciendo.

Quod est argumentum hujus constitutionis?

HAc constitutione Imp. formam futuri operis, & qua ratione Codicem à viris, Iuris peritissimis componi jusserit, Senatui demonstrat.

Quot sunt præcipua capita hujus constitutionis?

Tria: Primum continet causam operis: Secundum eos commendat, qui fuerunt archietecti: Tertium mandatum, & quasi Principis sanctionem complectitur.

Quæ caussa hujus operis.

Quandoquidem lege Regia, quæ de Principis imperio lata fuit, populus ei & in eum omne suum jus, omnéque suum imperium & potestatem contulisset, ut quodcunque illi placuisset, ratum esset, legisque habere vigorem §. sed & quod principi. Instit. De Iure natural. Gent. & Civil. & l. . §. deinde ff. de origine Iuris & l. unica. §. sed & hoc studiosam 7. J. de veteri Iure Enucleand. Itaque cùm præter illud jus vetus, quod in ff, est digestum, invaluisset jus novum ex Principum constitutionibus, quo jus antiquum partim emendatur, partim suppletur, ut in unum Codicem contraheretur, curavit, elaboravitque Iustinianus.

Quorum opera in concinnando codice Iustin. potissimum usus fuit?

Ioannis

Ioannis, Leontii, Phocæ, Basilidis, Thomæ Triboniani, Constantini, Theophili, Dioscori, & Præsentini, virorum doctrina excultorum, & multo rerum usu ex experientiáque prudentum §. ideo hac l. Hinc cognoscere est, quod Iustinianus peritissimos quosque hujus disciplinæ (cuilibet enim in sua arte credendum) adhibuerit Et quod multorũ operis, consilio, judicio, fide diligentia, solertia & dexteritate communicatis, voluerit hoc monumentũ suis absolutũ esse numeris, & omnibus perfectum partibus. Vulgata & nota sunt hæc εἰς ἀνὴρ οὐ πάντα ὁρᾷ; πόντε θυ ἐγχώρου; plus vident oculi, multæ manus reddunt onus levius, Hes. πλειών ἔργον πλειόνων μελέτη. Sic quoquis melior princeps & prudentior, eo plurium Ictorum *opera & consilio usus est. Sic Antoninus pius, omnium principum optimus, quo imperante nihil Romanis adversi accidit, nulla major in orbe tranquillitas fuit, adhibuit in consilium Vindium, Verum, Saluum Iulianum, Eburnium Valentem, Volusium, Metianum, Vlpium, Marcellum, & Priscum Iabolenum. Qui utputa optimi, principem talem reddiderunt: Sic Alexander Severus, Fabium Sabinum, Domitium Vlpianum, AElium Gordianum, Iulium Paulum, Pomponium, Alphenum, Africanum, Florentinum, Martianum, Callistratum Hermogenem, Venuleium, Triphonium, Metianum, Celsum Proculum, Modestinum adscivit. Quorum ope tantus Imperator evasit, ut solus omnibus principibus virtutis & gloriæ imaginem præferre possit, & illud Lampridij ad Constantinum in illo habuerit locum tutiorem & meliorem esse Remp. in qua princeps malus est, ea, in qua amici principie mali, Siquidem unus malus potest à plurimis bonis corrigi, at multi mali non possunt ab uno quantumlibet optimo emendari.*

Quid mandavit?

Vt Impp. constitutiones partim confusas, inutiles, contrarias in tribus Codicibus Greg Hermog. & Theodosiano: partim post editas resecarent ac sua auctoritate emendarent, & ex omnibus certum jus, Reipub utile & salutare, colligerent, compositasque constitutiones in commodos titulos digererent, adijcerent, detraherent, mutarent verba, ubi hoc rei commoditas exigeret. Deniq; contraherent in unam sanctionem, quæ varijs constitutionibus dispersa essent, sensum earum clariorem efficientes, observato tamen ordine temporum, quibus quæque latæ essent, & authorum à quibus. Atque hæc ipsis Idibus Februarij Anno Christi 528.

De Iustinianeo Codice confirmando,

Quot sunt argumenta hujus constitutionis?

QVatuor præcipuè. Primum, quibus adminiculis salus Reipub. constet. 2 de forma componendi codicē, & per quos. quod cùm fere idem est cum superiore, non repetimus. Tertium, ut reliquis omnibus Codicibus & constitutionibus antiquatis, hic unus tantùm Codex vim & robur legum obtineat, Quartum, quibus deroget hic Codex, vel non.

Dic jam, à quibus pendet summa Reip. tuitio.

De stirpe duarum rerum, armorum scilicet & legum, vimque suam exindè muniens, fœlix Romanorum genus omnibus anteponi nationibus, omnibusque dominari gentibus, tam præteritis effecit temporibus, quàm Deo propitio in æternum efficiet. Etenim alterum istorum alterius semper auxilio eguit, & tam militaris res legibus in tuto collocata fuit, quàm ipsæ leges armorum præsidio servatæ sunt, hac nostra const. in princ. & in proœm. Institut. Imperatoriam majestatem non solùm armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam: ut utrumque tempus & bellorum & pacis rectè possit gubernari, & princeps Romanus victor existat non solùm in hostilibus præliis, sed etiam per legitimos tramites, calumniantium iniquitates expellat. Et sit tam juris religiosissimus, quā triūphator victis hostibus magnificus Isocrat. ait, πόλεμος καὶ εἰρήνη μέγιστον ἔχει δύναμιν ἐν τῷ βίῳ τῶν ἀνθρώπων. Cùm rex (inquit Livius) Numa recepisset urbem Romam, vi & armis à Romulo partam, judicavit nihil actum esse, nisi eam jure, legibus & moribus conderet. Socrates apud Platonem lib, de Rep. 5. præclarè, tum genus hominum beatum fore, respondit, cùm aut Philosophi regerent, aut Reges philosopharentur: nisi vel Philosophi regant civitates, vel philosophentur magistratus, nunquam malorum finis reperietur. Huc videtur respexisse Homerus suo gravis. dicto, quo imprimis delectatum fuisse Alexandrum Magnum scribunt.

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής.

Item illud Virgilij.

Tu regere imperio populos Romane memento

Horat. ad Octau.

Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes.

Quod est tertium?

Hunc in æternum valiturum Codicem, commendat & interdicit omnibus tam litigatoribus quàm advocatis, ne constitutiones ex veteribus, tribus Codicibus, vel alijs ullas ut judicialibus certaminibus, & ad decisionem causarum allegent. Sed solùm uti his const. huic Codici insertis, falsi crimini etiam subdendis, qui istud ausi fuerint. Sancit præterea omnes has, generalium constitut, obtinere robur, etiamsi sine die & consule editæ sint, vel ad certas personas rescriptæ, §. Hunc igitur, 3. de Iust. Cod. confir,

Quod est quartum. i. quibus derogat?

Vt pragmaticæ sanctiones civitatibus forte, vel corporibus. vel scholis, vel alicui certæ personæ indultæ, in codicē non receptæ, (siquidē speciale aliquod privilegium habeant) ratæ maneant: si pro incertis certæ factæ sint, tunc tenere, si nulli Codicis constitutioni adversentur. d, const. §, 4. & l, 7, §, 1, J. de divers. rescript. & pragmatic sanction. fuitque hic codex editus, Anno Christi 529,

De emendatione Codicis, & secunda editione.

Quæ sunt observanda in hac constitutione?

PRimum, causa hujus secundæ editionis: Deinde qua forma, & per quos iterum ei sit admolitus manus Imp. Tum prohibitio quædā; ultimo mandatum.

Quæ causa hujus secundæ editionis?

Cùm natura rerum novas edat formas, & in Reipub. nova emergant negotia. quæ alia atque (sicuti novi morbi nova desiderant remedia) alia requirunt consilia: accidit, ut Iustinianus. Imp, 50. promulgarit decisiones, post priorem Codicem, & novellas ediderit constitut. tit. Novel, quæ adhuc extra Codicem vagarentur, denique quod in priore codice (qui nimis festinato studio absolutus fuerat) correxerit multas; & superfluas sustulerit. Visum fuit necessarium & utile (ut nihil incœptum, quoque im perfectum relinquere,

tur, ut adderent tum decisiones, quibus jus vetus controversum fecit certum: tum constitutiones, quibus jus vetus emendavit, & titulis competentibus insererentur, jussit. At hac occasione factum est, ut hic secundus Codex, priore sublato, emitteretur. Const. Cordi nobis est §. 1.

Quomodo hoc effectum est?

Togatis, non minus eloquentibus quam sapientibus viris mandavit, ut si quid in hac recognitione emendandum, addendum, detrahendum Codici videretur, id ex Repitita (quam veteres Secundam editionem dicebant) prelectione facerent, atque ita Codicem meliorem, magisque absolutum redderent. Vnde cum octavo Imperii sui anno ic editus sit. Constat post Institut. & digest. emissum esse d. Const. Cordi nobis est §. 2. & 3.

Estne igitur hæc causa, quòd in Institutionibus citentur multæ constitutiones, quæ in Codice non habentur?

Quid ni: Nam Institutiones, ante hanc emendationem & secundam editionem fuerunt composita, neque posteà sub incudem & limam ut Codex, revocatæ.

Quid mandavit Imperator hac constitutione?

Vt priore Codice abrogato, cōstitutiones solum, quæ hoc continētur in judiciis valerent, et si quæ constitutiones vel edicta posteà conderētur, ea non in Codicem, sed in N. volumē redigerentur, d. Con. §. 4.

Quid prohibuit?

Ne hic Codex sæpius retractaretur, atque ita suam vim atque authoritatem amitteret.

Qualis ordo in Codice servatur?

Propemodū idem qui in Digestis: Nam ut ibi à generalibus proceditur ad particularia, Ita in Codice primum Imperator in genere de Iure posteà pergit ad Iudiciorum explicationem. Quia in his omne jus, Iurisque cognitio, actio, & usus omnis consistit: Cujus declarationem 12 libris est executus. Quorum 9. argumenta hoc vulgari tetrasticho continentur, Rub. 331. Legum 3608. habens.

Sacra Prima: Secunda parat: jus Tertia dicit:
Contrahit & Quarta: Nubere Quinta docet:
Testatur Sexta: Libertas Septima ponit:
Pignerat Octavo: Crimina Nona premit.

Quæst.

Oeconomia sive series lib. I. Cod. continentis 56. titulos, ex methodo Doct. Christophori Sturcij Livoni.

IVs illud quo utimur vel publicum, vel privatum est. Publicum vel Religionem, vel Rempub. spectat. Illa tum ut & conservetur & vindicetur. Conservatur quando veritas cœlestis doctrinæ sustinetur & propagatur, ut videlicet Deus agnoscatur & invocetur, secundum verbum per Prophetas & Apostolos traditum, unus in essentia & trinus in personis 1. De summa Trin. & fid. Catho. Ad Religionem etiam pertinent & loca sacra & personæ; ut illa sarta & tecta, datis privilegijs, sint. 2. De Sacrosanct. Ecclesi. Vt hæ idoneæ ordinētur, quæ vel sacra tractent 3. De ep. & cler. & causas Religionis cognoscant, judice seculari exequente. 4 De ep. aud. Adseritur Religio quando hæresis impeditur. 5. De Hæret. & Maniche. & locis sacris privilegia custodiuntur. Hæretici nova dogmata instituunt vel corrumpendo doctrinam, idque vel articulos fidei, vel sacramenta. Articulos fidei vel in persona Christi, ut sunt Ariani, vel in alijs articulis, ut sunt Manichei. 6. Hęret. & manich. Sacramenta. veluti, qui baptisma iterant 7. De Ne sanct. baptis. iter. A veritate deficiunt, vel qui eam planè abnegant ut Apostata. 8. De Apost. vel qui totam Religionem contemnunt, idque vel superstitionibus, ut qui in pavimento pingunt, vel sculpunt imaginem Christi, 9. Nemini lic. sig. vel Diabolica quadam pertinacia Iudæi, & Cælico. 10. De Iud. & Cæ. Quibus omnibus Christianum mancipium habere non licet. 11. Ne Christ. manc. Sunt etiam qui nunquam Deum verum agnoverunt, sunt cultores simulachrorum & Dæmonum, Pagani, quorum templa dirui jubentur 12. De Pag. sacrifi. Privilegia locorum sacrorum sunt. Tum ut confugientibus ad ea fides publica detur, tum ut liberas data, rata firma sit, 13. De his qui in Eccles. man. Et tantùm de Religionis causa, sequitur de Rep. tunc conservanda, tum administranda. Conservanda legum decretis. 14. De H. quarum custos est Princeps, ad quem spectat & potestas jubendi & summus honor: potestas jubendi vel sanctionis modo, vel promulgationis jure procedit: Sanctionis modus est, ut vel ipse princeps mandet. 15 De mand. prin. vel senatus auctoritate sua constituat 16. De Stis Promulgationis jure, quo vel

antiqua responsa ICtorum enucleat, & quantum satis est ad caussarum decisiones comprobat. vel suarum constitutionum vim exprimit. Antiqua responsa, ut ea cognovisse, quemadmodum & reliquum jus utile sit, 17. De vet. jur. enuncleand, Ignorare vero ea ceu proprium factum damnosum est. 18. De jur. & fact. ign. Constitutionum vis exprimitur, tum quod ad supplicationes attinet, tum quod ad ipsa rescripta. In supplicationibus tum earum modus ut observetur, & rerum petendarum, & ipsius libelli qualitas. 20. De precib. Imp. obl. Rerum petendarum, ne vel damnose, vel res jure contrariæ petantur. Libelli, tum quam vim habeat, tum quando sit porrigendus, vim habet litis cont. statæ. 21. Quando libell, off. Quando pendente lite seu provocatione, non est offerendus, 22. Vt lite pend. Impetrata ut obreptitiè facta non valet. 23. Si contra jus, vel, util. pub Rescripta Principum pertinent ad decisionem causarum, quibus, vel generaliter quid constituitur, vel specialiter quid indulgetur. 24. De divers. rescrip. Summus honor debetur principi, ut statuæ sibi ponantur, veluti in præmium virtutis, 25. De stat. & imag. & eo fugientibus ad ea, securitas præstetur. 26. De his qui ad stat, conf. Reipublicæ administrandæ ratio succedit: quæ est in magistratibus ritè ordinandis, tum urbis Romæ, tum civitatum, consideratione. Vrbis Romæ, quatenus plena imperij potestas dabatur quibusdam: vel minus plena, Plena tum togati, tum militiæ, Togati, præfecto prætorio Orientis & Illyrici 27. De offic. præf, præ, 10, orient, Item præfecto Prætorio. Africæ 28, De præfect, pr, Afri, Itemque præfecto urbi 29. De off, præfec, v1, Militiæ & magistro militum. 30. De off, mach. vig. Minus plena potestas competebat alijs: vel ad munera certa disponenda, vel quo ad cognitionem Ad munera pertinent, officium Quæstoris 31. De offic. Quæst. Magister officiorum. 32. De officio mag. offic. Comitis sacrarum largitionum 33, De off, Sacra larg, Comitis rerum privatarum, 34, & Comitis sacri Palatij. 35, Ad cognitionem facta consideratione cùm locorum, tum causarum. Locorum, quod vel 36, de off. Cō sac patrim. Multis, vel in provincijs, vel in urbe. In provincijs proconsul. 37 De off, pro, l, conf. Comes orientis 38, præfectus Augustatis AEgypti. vicarius 39 in urbe pretores 40, In uno loco. Itemque in uno negotio, loco, veluti incerta aliqua provincia, Rector provinciæ 41, Cujus officium nemini in sua patria gerere licet. 42. 43. (interseritur hic titulus. 44. de quadrimestruis brevibus

45. Doctiss.

45. Doctiß. D, Gothofredo observatus cui similis extat Cod. Theod. lib. x. Tit. 25. Itemq; præfectus annonæ 46. Causarum ra tione distincti sunt magistratus, ut alij dicantur civiles judices 47, alij militares. 48. Ex quibus alij sunt majoris dignitatis, alij minoris, veluti tribuni, & comites rei militaris. Illis honor lavacri, his non debetur. Vtrorumque tandem officium explicatur. tumquatenus officio suo fungi debeant: tum quomodo ipsis salaria constituantur. Officio fungi, tum ut ipsi rectè faciant tum quandoque alios constituant. Ipsi rectè faciant, pro lege justitiæ & honestatis, observato, & quid durante officio, & quid deposito illo facere oporteat. Durante officio inter alia, ne mulieres è domo extrahat. 49. Deposito officio per 50. dies in civitate permaneant, suiq; copiam in publico faciant, ut cuilibet volenti sit cum eis civiliter & criminaliter experiundi potestas de furtis, aliisve criminibus 50. De officio diverſ. alios constituant. vel sua vice judices; vel consilij ratione adhibeant. Sua vice, vel certo mãdato & dicitur Delegatus. 51. ut omnes judic. vel qui morte interveniente alterius vices subeat. 52. de offic. ejus, Cõsilij ratione Adsessores, qui & Domestici & Cancellarij judicium appellantur, adhiberi solent. 53. Salaria constituuntur judicibus, dicta annonæ seu capita. 54. Quando nempe rectè officium suum faciunt, non quando illicitè vel contrahunt. 55. vel iniquè mulctas exigunt. 56. Sequitur nunc de magistratibus civitatum. Qui vel generaliter appellantur, vel specialiter Generaliter & tunc vel ad defensionem solam sunt constituti. 57. de magistrat. municip. vel etiam simul ad causarum cognitionem, specialiter Iuridicus Alexandriæ. 58. de off. jur, Alex. Primus & officia & leges & sacra docebit.

De summa Trinitate, & fide Catholica, & ut nemo de ea publicè contendere audeat. titulus I.

Quæ continuatio?

SVperioribus constitutionibus confirmavit Imperator Codicem, & plenißimum illi robur tribuit: jam pergit ad ipsas constitutiones, quas antequam aggrediamur, breviter observanda sunt communis illa Iuris positiones sive species, ceu potius divisio.

Quotuplex est ergo jus?

Duplex: Publicum & Privatum.

Quid est Privatum?

Quod ad Statum rei privatæ pertinet l. 1. §. 4. ff, de Iust, & Iur.

Quid est Publicum?

Quod ad Statum reipub. Romanæ pertinet, d. l. hoc est, ad sacra, sacerdotes, magistratus (quo & leges, qui quodam modo muti magistratus sunt, complectimur) ad bella, fœdera refertur, d. l. 2.

De quibus agitur hoc titulo?

Id ex Rubrica sive titulo, qui de tribus, ut de summa Trinitate, de fide Catholica, & ne quis de ea publicè contendere audeat, agit, patet. Futuros non dubito qui reprehensuri sint, quod hoc argumentum (tanquam falce in alienam messem missa) persequer: partim cum excedat humanum omnem captum, quod Simonides quantumlibet sapientissimus poeta, satis ostendit sua mora & effugitis. Namque cùm ab eo tyrannus Hiero. quæsisset quid esset, aut qualis Deus ad deliberandum sibi unum indulgeret diem flagitavit, cùm idem ex eo sciscitaretur, biduum petijt: cumque sæpius duplicaret tempus & dierum numerum, admiransque Hiero percontaretur, cur ita faceret & differret toties? Quia, ait, quanto diutius considero, tanto res mihi videtur obscurior: partim quod nihil ad Prætorem & jurisconsulti professionem id, quod vel maximè proprium Theologi. Respondeo, id hodie non tam esse difficile, præsertim cum Deus & opificio totius machina, miraculis & testimoniis satis se patefecerit. Tum etiam quod hæc citra salutis dispendium, nulli liceat ignorare. Neq; sufficere nobis debet, quod simus jurisprudentes, sed & viros bonos, & pios Christianos, nomine & re nos præstemus oportet, juxta vul. distichon

Si Christum bene scis, nihil est, si cætera nescis,
Si Christum nescis nihil est, si cætera discis.

Testimonia in quibus Trinitas lucet.

Ioan. 14. *Si diligitis me, mandata mea servate, & ego rogabo* patrem, & *alium* paracletum *dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest capere.*

Ioan. 15, *Cum autem venerit Paracletus, quem Ego mittam vobis à Patre, ille testimonium perhibebit de me.*

Augustin. lib. de fide & Symb. c. 9. Fides inconcussa tenenda est: ut Deum dicamus patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, neque Deos tres, sed istam Trinitatem, unum Deum: neque diversos

natura, sed ejusdem substantiæ: neque ut Pater aliquando sit Filius, aliquando sit Spiritus sanctus, sed Pater semper pater, Filius semper filius, Spiritus sanctus semper Spiritus sanctus, &c.

Cur primum de summa Trinitate?

Quia de ea tunc temporis maximæ erant controversiæ in Ecclesia ad hæc quòd summa Trinitas, ad jus publicum referatur, quod tanquam dignius privato, primo loco tradendum est, cujus cognitio etiamsi humanum ferè captum excedat: tamen ad salutem inprimis utilis & necessaria est, Fateor & libenter cum Augustino, nusquam periculosius errari, nec quicquam laboriosius quæri, sed contra, nihil fructuosius inveniri: neque pigebit me, sicubi hæsitavero, discere, Qui Trinitatem (ait) mysterio vel experti vel per speculum in ænigmate videt, gaudeat cognoscens Deum, & gratias agat, Qui vero non videt, tendat per pietatem ad videndum, non per cæcitatem ad calumniandum ἡ δὲ εὐσέβεια προσκύνησις τῆς τριάδος ἄρνησις πίστεως ἕν τι τῶν τριῶν καταβαλεῖν θεότητι μὴ σέβειν συμφυΐαν Pietas verò adoratio Trinitatis, Abnegatio fidei est vel unam aliquam personam ex tribus inferiorem, ad ordinem & dejicere, vel unitatem divinæ naturæ non colere, Nazianzenus indefinit.

Vnde dicitur Trinitas?

Græcè τριὰς vel collectio triū unitatū, & ut Isidorus lib, Etymolog, dicit, quasi trium veritas: Quia Pater, & filius, & Spiritus sanctus sunt trinitas & unitas, Idem enim & unum sunt, propter majestatis communionem: & tres propter proprietatem personarum Trinitas fere hæc habet epitheta, ut dicatur Sancta, Adoranda, consubstantialis, individua, summa, Vnde Augustinus, in summa tamen trinitate tantum est una, quantum tres simul sunt, & nec plus sunt duæ, quàm una, & in se infinita sunt in singulis, & in omnibus, & unum omnia, Videmus solem in cœlo currentem, fulgentem, calentem, similiter ignis tria habet, nempe motum, lumen & fervorem, Divide ergo si potes solem vel ignem, & tunc demum divide Trinitatem.

Quid est Trinitas?

Ita definitur à beato Athanasio. κτ̄ θεϊκὴν οὐσίαν ὑπὲρ ἀριθμὸν ὕπαρξις. Est (ut vertit Bibliander) existentia secundū essentiā divinam, omnem excedens numerum, vel est μία οὐσία τρεῖς ὑποστάσεις. De qua Tertullianus ita adversus Pragmaticos, Tres non statu, sed

gra-

gradu: non substantia, sed forma: non potestate, sed specie, & in qua Trinitate non essentia essentiam, sed persona genuit personam, & alia est Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti, & unaquaque sigillatim persona Deus & Dominus, non tres dii vel domini, quemadmodum Athanasius in suo symbolo, & v, c, ult. dist. 3. de conse. Trinitati per incarnationem non accessit, quarta persona. quod Marcell. & Fontinus voluerunt. Nullus unquam Christianorum dixit, quia quaternionem colimus, aut quinionem vel senionem.

Quid est Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus?

Est mens aeterna, quae nec initium habuit, nec finem est habitura, qua nihil esse potest majus, sapientius, aut melius. Quae suo nutu omnipotenti condidit, quidquid est rerum visibilium & invisibilium. Quae sapientia sua mirabili moderatur & gubernat universa. Quae sua bonitate servat omnia, atque hominum genus collapsum gratuito restituit. Ita & pater, & Filius, & Spiritus sanctus verus Deus & Dominus, aequalis, coaeternus, increatus immensus, omnipotens, quo nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed una divinitas, aequalis gloria & coaeterna majestas, haec Athanasius in suo symbolo; Quae comprobantur Deut. 6. Audi Israel. Dominus noster Deus unus, & Dominus unus. Item 1, Ad Corinth. 8.

Quid est persona?

Persona hic non pro habitu, vel distinctione officiorum, aut repraesentatione accipitur, ut in his phrasibus, gerere personam judicis, sustinere & tueri personam consulis, & haec non decent personã ministri. Sed intelligitur Substantia individua, intelligens verè & per se subsistens, distincta ab aliis, non communicabilis, & quae non sustentatur seu conservatur in alio: ideo humana natura in Christo persona non est, cùm tres tantum sint personae in Divina Trinitate.

Quomodo doces plures esse?

Primùm ex verbis Genes. 1. Quia Deus dicit. faciamus hominem ad imaginem nostram: & ibidem legitur, Spiritus Domini incumbens aquis. Alia est enim persona dicens. Alia verbum nempe λόγος per quod creat, Ioann. 1. Alia Spiritus, qui fovet & vivificat suo calore res creatus & creandas. In novo Testamento illustriora extant testimonia, velut Matth. 3, Filius meus dilectus: Filius adstat

in

in Iordane, & à Ioanne baptizatur: Spiritus sanctus in specie columbæ descendit, & requiescit super Christum: Ioan. 1. Item in clarificatione Christi. Matth. 17. Luc. 9. & Paulus 2. ad Corinth. 1.

Quid est Deus Pater?

Est ordine Prima persona divinitatis, ingenita, à nullo sed à seipso existens, quæ ab æterno genuit Filium coæternum, imaginem suã & unà cum Filio & Spiritu sancto omnes res ex nihilo condidit, & etiamnum conservat.

Cur Pater?

Primò, ratione Filij ab ipso ab æterno geniti.

Secundò, respectu creationis & sustentationis hominis. Genes. 1.

Tertiò, propter regenerationem & adoptionẽ nostri in filio Ioa. 10. Dedit illis potestatem, ut fiant Filij Dei, credẽtibus in nomine ipsius, qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt.

Quartò, ob affectum plusquàm paternum erga genus humanum, juxta illud: Quemadmodum Pater miseretur Filiorum: ita misertus est nostri. Alias generaliter toti Trinitati hoc vocabulum competit, quemadmodum in precatione dominica.

Quid est Filius?

Est secunda persona Trinitatis vel divinitatis, genita à Patre ab æterno, & est substantialis, & integra imago æterni Patris, inter Deum & homines constitutus mediator. Assumpsit ex virgine Maria humanã naturã, factus est victima pro nobis, & per eam, & propter eam solam ab æterno Patre datur remissio peccatorum, justitia, & vita æterna. De hac ita Athanasius d. loc. Sed necessariũ est ad salutem æternam, ut incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter quis credat. Est ergo Fides, ut credamus & confiteamur, quia Deus noster Iesus Christus Dei Filius, Deus ex substantia Patris (quo respectu dicitur ἀμήτωρ) ante secula natus, & homo ex substantia matris (quo respectu (ἀπάτωρ) dicitur) in seculo natus, perfectus Deus est, perfectus homo, unus Christus, non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo: Ita Deus & homo unus est Christus. Hæc ille. Quiquidem passibilis (ut ait Iustinianus) humanitate, impassibilis est divinitate, l. 3. h. t.

Cur

Cur in uno Christo mediatore, duas naturas unitas esse oportet?

Mediator. n. est persona inter Deum irascentem peccato, & genus humanum reum peccati, & ira Dei constituta, ut Iustitiæ Dei satisfaciat, sustineat iram, & pœnam pro peccatis, deprecetur, pro nobis, applicet sua merita, & invocantium gemitus & preces exaudiat.

Cur hominem oportuit esse?

Quia genus humanum peccaverat, ordo Iustitiæ postulabat, ut homo pœnam persolveret, & homines homo Deo reconciliaret.

Cur Deum?

1. Vt esset λύτρον seu pretium æquivalens.

2. Quia sola creatura non poterat sustinere iram Dei, & pœnam, nec vincere mortem, & restituere vitam & justitiam æternam, neque nostræ conceptionis & nativitatis sordes purificare.

3. Quia Mediatorem oportet esse deprecatorem, ingredientem sancta sanctorum, videntem pectus Patris, & corda eorum qui orant: Quia naturæ divinæ est & Emanuelis assiduè & ubique adesse Ecclesiæ, ubique suspiria omnium aspicere, exaudire invocantes, defendere, servare, & restituere justitiam, & vitam æternam.

Cur dicitur unigenitus Dei filius?

Vt discernatur naturalis Filius à filijs adoptivis, cujus cognominis honorem nobis etiam impertivit, ut neminem præter hunc alium expectemus.

Cur Filius dicitur λόγος.

Primò, respectu æterni Patris, quia est imago Patris, & in cogitatione nascitur. Deinde respectu nostri: quia primus promissionem Evangelij ex arcano Patris sinu revelavit. Ioann. 1. Tum, quia conservat ministerium hujus verbi, & ostendit credentibus æternum Patrem. Matth. 2. Ioan. 14.

Quid est Spiritus sanctus?

Est tertia persona divinitatis ab æterno procedens et emanans à Patre & Filio, & mittitur in corda credentium, ut lucem rectè agnoscentem Deum accendat, ac veros motus, amorem, vitam & lætitiam acquiescentem in Deo, & omnium virium conformitatem cum ipso Deo instauret.

1. Quia

Unde dicta fides?

1. Quia fiat, ut Cicero ait, quod dictum est, credimus appellatam fidem, dictorum scilicet, conventorûmque constantia & veritas. Tryphonininus eodem sensu: Bona fides quæ in cōtractibus exigitur, summam æquitatem desiderat L. 31. deposit.

2. Significat & probationem, & argumenta, quibus veritati creditur, & ejusdem firmam defensionem, juxta illud Ovid.

Deque fide certa, sit tibi certa fides.

Item: Et cum fortuna, statque caditque fides.

Item: Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur.

3. Significat & notitiam & confessionem sacræ doctrinæ, ut Rom. 14. Tu fidem habes. Et Iacob. 2. Dæmones credunt.

4. Significat etiam fiduciam, in misericordia Dei propter Christum promissa, acquiescentem. ut per fidem vivo filii Dei. Ad Gal. 2. Item Iustificati fide pacem habemus erga Deum. Rom. 5. Statuimus fide justificari hominem sine operibus legis. Rom. 3. Fides vulgò bifariam consideratur, aut erga Deum, aut erga homines: erga Deum pietas, & modus eam exercendi, religio ss. Nulla gens (teste Cicerone) tam barbara, quæ aliquem Deum non agnoscat. Non potest erga hominem esse fidelis, qui infidelis Deo extiterit c. Non potest. 24. 147. Vbi & hac. Sicut in Christi fide suspecti sunt, ita in testimonio humano dubii habentur.

Unde dicta Catholica fides?

Catholica dicitur universalis, generalis. Isidorus lib. 7. Etymol. c. 14. & componitur ex κατὰ, quod secundum, juxta, per, &, in, significat & ὅλος, id est totus, integer, perfectus, inde, καθ' ὅλου, universaliter, cui opponitur ἐν μέρει sive ἐκ μέρει, id est, ex parte sive partim. Nam fides Catholica per totum terrarum orbem dilatatur & diffunditur: hæreses & sectæ quibusdam regionum angulis coarctantur, & constringuntur. Catholica igitur sit fides, quod semper, ubiq; & ab omnibus, tempore, loco, veritate & antiquitate. Vnde eleganter & graviter antiquissimus pater Tertul. Hac ratio, ait, valet adversus omnes hæreses, id esse verum, quodcunq; primum: id esse adulterum, quodcunque posterius: Vniversitas, & consensus omnium, novitati, parti, paucorum errantium dissensioni antestet.

Quid est fides Catholica?

Ea non est propria & peculiaris uni sectæ, aut singularis, sed una

tur, ut adderent tum decisiones, quibus jus vetus controversum fecit certum: tum constitutiones, quibus jus vetus emendavit, & titulis competentibus insererentur, jussit. At hac occasione factum est, ut hic secundus Codex, priore sublato, emitteretur. Const Cordi nobis est §. 1.

Quomodo hoc effectum est?

Togatis, non minus eloquentibus quam sapientibus viris mandavit, ut si quid in hac recognitione emendandum, addendum, detrahendum Codici videretur, id ex Repitita (quam veteres Secundam editionem dicebant) prelectione facerent, atque ita Codicem meliorem, magisque absolutum redderent. Vnde cum octavo Imperii sui anno ic editus sit. Constat post Institut. & digest. emissum esse d. Const. Cordi nobis est §. 2. & 3.

Estne igitur hæc causa, quòd in Institutionibus citentur multæ constitutiones, quæ in Codice non habentur?

Quid ni: Nam Institutiones, ante hanc emendationem & secundam editionem fuerunt compositæ, neque posteà sub incudem & limam ut Codex, revocatæ.

Quid mandavit Imperator hac constitutione?

Vt priore Codice abrogato, cōstitutiones solùm, quæ hoc continētur in judicijs valerent, et si quæ constitutiones vel edicta posteà conderētur, ea non in Codicem, sed in N. volumē redigerentur, d. Con. §. 4.

Quid prohibuit?

Ne hic Codex sæpius retractaretur, atque ita suam vim atque authoritatem amitteret.

Qualis ordo in Codice servatur?

Propemodū idem qui in Digestis: Nam ut ibi à generalibus proceditur ad particularia, Ita in Codice primum Imperator in genere de Iure posteà pergit ad Iudiciorum explicationem. Quia in his omne jus, Iurisque cognitio, actio, & usus omnis consistit: Cujus declarationem 12 libris est executus. Quorum 9. argumenta hoc vulgari tetrasticho continentur, Rub. 331. Legum 3608. habens.

Sacra Prima: Secunda parat: jus Tertia dicit:
Contrahit & Quarta: Nubere Quinta docet:
Testatur Sexta: Libertas Septima ponit:
Dignerat Octavo: Crimina Nona premit.

Oeconomia sive series lib. I. Cod. continentis 56. titulos, ex methodo Doct. Christophori Sturcij Livoni.

IVs illud quo utimur vel publicum, vel privatum est. Publicum vel Religionem, vel Rempub, spectat. Illa tum ut & conservetur & vindicetur. Conservatur quando veritas cœlestis doctrinæ sustineatur & propagatur, ut videlicet Deus agnoscatur & invocetur, secundum verbum per Prophetas & Apostolos traditum, unus in essentia & trinus in personis 1. De summa Trin, & fid. Catho, Ad Religionem etiam pertinent & loca sacra & personæ; ut illa sarta & tecta, datis privilegijs, sint. 2. De Sacrosanct. Ecclesi. Vt hæ idoneæ ordinētur, quæ vel sacra tractent 3. De ep. & cler. & causas Religionis cognoscant, judice seculari exequente. 4 De ep. aud. Adseritur Religio quando hæresis impeditur. 5, De Hæret. & Manichę, & locis sacris privilegia custodiuntur. Hæretici nova dogmata instituunt vel corrumpendo doctrinam, idque vel articulos fidei, vel sacramenta. Articulos fidei vel in persona Christi, ut sunt Ariani, vel in alijs articulis, ut sunt Manichæi. 6. Hęret, & manich. Sacramenta, veluti, qui baptisma iterant 7. De Ne sanct. baptis. iter. A veritate deficiunt, vel qui eam planè abnegant ut Apostata. 8. De Apost. vel qui totam Religionem contemnunt, idque vel superstitionibus, ut qui in pavimento pingunt, vel sculpunt imaginem Christi, 9. Nemini lic. sig, vel Diabolica quadam pertinacia Iudæi, & Cælico. 10. De Iud. & Ce. Quibus omnibus Christianum mancipium habere non licet. 11. Ne Christ. manc. Sunt etiam qui nunquam Deum verum agnoverunt, sunt cultores simulachrorum & Dæmonum, Pagani, quorum templa dirui jubentur 12. De Pag. sacrifi. Privilegia locorum sacrorum sunt. Tum ut confugientibus ad ea fides publica detur, tum ut liberas data, rata firma sit, 13. De his qui in Eccles. man. Et tantùm de Religionis causa, sequitur de Rep tunc conservanda, tum administranda. Conservanda legum decretis. 14. De H. quarum custos est Princeps, ad quem spectat & potestas jubendi & summus honor: potestas jubendi vel sanctionis modo, vel promulgationis jure procedit: Sanctionis modus est, ut vel ipse princeps mandet. 15 De mand. prin. vel senatus auctoritate sua constituat 16. De Stis Promulgationis jure, quo vel

antiqua responsa ICtorum *enucleat, &, quantum satis est ad causarum decisiones comprobat, vel suarum constitutionum vim exprimit. Antiqua responsa, ut ea cognovisse, quemadmodum & reliquum jus utile sit, 17.* De vet. jur. enuncleand, *Ignorare vero ea ceu proprium factum damnosum est. 18.* De jur. & fact. ign. *Constitutionum vis exprimitur, tum quod ad supplicationes attinet, tum quod ad ipsa rescripta. In supplicationibus tum earum modus ut observetur, & rerum petendarum, & ipsius libelli qualitas. 20.* De precib. Imp. obl. *Rerum petendarum, ne vel damnosæ, vel res jure contrariæ petantur. Libelli, tum quam vim habeat, tum quando sit porrigendus, vim habet litis cont. statæ. 21.* Quando libell. off. *Quando pendente lite seu provocatione, non est offerendus, 22.* Vt lite pend. *Impetrata ut obreptitiè facta non valet. 23.* Si contra jus, vel, util. pub. *Rescripta Principum pertinent ad decisionem causarum, quibus, vel generaliter quid constituitur, vel specialiter quid indulgetur. 24.* De divers. rescrip. *Summus honor debetur principi, ut statuæ sibi ponantur, veluti in præmium virtutis. 25.* Destat. & imag. *& eo fugientibus ad ea, securitas præstetur. 26.* De his qui ad stat, conf. *Reipublicæ administrandæ ratio succedit: quæ est in magistratibus ritè ordinandis, tum urbis Romæ, tum civitatum, consideratione Vrbis Romæ, quatenus plena imperij potestas dabatur quibusdam: vel minus plena, Plena tum togati, tum militiæ, Togati, præfecto pretorio Orientis & Illyrici 27.* De offic. præf, præ, to, orient, *Item præfecto Prætorio. Africæ 28,* De præfect, pr, Afri, *Itemque præfecto urbi 29.* De off, præfec, v, *Militiæ & magistro militum. 30.* De off, mach. vig. *Minus plena potestas competebat alijs: vel ad munera certa disponenda, vel quo ad cognitionem Ad munera pertinent, officium Quæstoris 31* De offic. Quæst. *Magister officiorum 32.* De officio mag. offic. *Comitis sacrarum largitionum 33,* De off, Sacra larg, *Comitis rerum privatarum, 34, & Comitis sacri Palatij. 35, Ad cognitionem facta consideratione cùm locorum, tum causarum. Locorum, quod vel* 36, de off. Cō sac patrim. *Multis, vel in provincijs, vel in urbe. In provincijs proconsul.* 37 De off, pro, l, conf. *Comes orientis* 38, *præfectus Augustatis AEgypti. vicarius* 39 *in urbe pretores* 40, *In uno loco. Itemque in uno negotio, loco, veluti incerta aliqua provincia, Rector provinciæ 41, Cujus officium nemini in sua patria gerere licet. 42. 43. (interseritur hic titulus. 44. de quadrimestruis brevibus*

45. Dociss.

45. Doctiß. D, Gothofredo observatus cui similis extat Cod. Theod. lib. x. Tit. 25. Itemq; præfectus annonæ 46. Causarum ratione distincti sunt magistratus, ut alij dicantur civiles iudices 47, alij militares. 48. Ex quibus alij sunt majoris dignitatis, alij minoris, veluti tribuni, & comites rei militaris. Illis honor lavacri, his non debetur. Vtrorumque tandem officium explecatur. tum quatenus officio suo fungi debeant: tum quomodo ipsis salaria constituantur. Officio fungi, tum ut ipsi rectè faciant tum quandoque alios constituant. Ipsi rectè faciant, pro lege justitiæ & honestatis, observato, & quid durante officio, & quid deposito illo facere oporteat. Durante officio inter alia, ne mulieres è domo extrahat. 49. Deposito officio per 50. dies in civitate permaneant, suiq; copiam in publico faciant, ut cuilibet volenti sit cum eis civiliter & criminaliter experiundi potestas de furtis, aliisve criminibus 50. De officio divers. alios constituant. vel sua vice judices; vel consilij ratione adhibeant. Sua vice, vel certo mãdato & dicitur Delegatus. 51. ut omnes judic. vel qui morte interveniente alterius vices subeat. 52. de offic. ejus, Cõsilij ratione Adseßores, qui & Domestici & Cancellarij judicium appellantur, adhiberi solent. 53. Salaria constituuntur judicibus, dicta annonæ seu capita. 54. Quando nempe rectè officium suum faciunt, non quando illicitè vel contrahunt. 55. vel iniquè mulctas exigunt. 56. Sequitur nunc de magistratibus civitatum. Qui vel generaliter appellantur, vel specialiter Generaliter & tunc vel ad defensionem solam sunt constituti. 57. de magistrat. municip. vel etiam simul ad causarum cognitionem, specialiter Iuridicus Alexandriæ. 58. de off. jur, Alex. Primus & officia & leges & sacra docebit.

De summa Trinitate, & fide Catholica, & ut nemo de ea publicè contendere audeat. titulus 1.

Quæ continuatio?

SVperioribus constitutionibus confirmavit Imperator Codicem, & plenißimum illi robur tribuit: jam pergit ad ipsas constitutiones, quas antequam aggrediamur, breviter observandæ sunt communes illæ Iuris positiones sive species, seu potius divisio.

Quotuplex est ergo jus?

Duplex: Publicum & Privatum.

Quid est Privatum?

Quod ad statum rei privatæ pertinet l. 1. §. 4. ff, de Iust, & Iur.

Quid est Publicum?

Quod ad statum reipub. Romanæ pertinet, d. l. hoc est, ad sacra, sacerdotes, magistratus (quo & leges, qui quodammodo mutus magistratus sunt, complectimur) ad bella, fœdera refertur, d. l. 2.

De quibus agitur hoc titulo?

Id ex Rubrica sive titulo qui de tribus, ut de summa Trinitate, de fide Catholica, & ne quis de ea publicè contendere audeat, agit, patet. Futuros non dubito qui reprehensuri sint, quod hoc argumentum (tanquam falce in alienam messem missa) persequer: partim cum excedat humanum omnem captum, quod Simonides quantumlibet sapientissimus poeta, satis ostendit sua mora & effugitis, Namque cùm ab eo tyrannus Hiero. quæsisset quid esset, aut qualis Deus ad deliberandum sibi unum indulgeret diem flagitavit, cùm idem ex eo sciscitaretur, biduum petijt: cumque sæpius duplicaret tempus & dierum numerum, admiransque Hiero percontaretur, cur ita faceret & differret toties? Quia, ait, quanto diutius considero, tanto res mihi videtur obscurior: partim quod nihil ad Prætorem & jurisconsulti professionem id, quod vel maximè proprium Theologi. Respondeo, id hodie non tam esse difficile, præsertim cum Deus & opificio totius machina, miraculis & testimoniis satis se patefecerit. Tum etiam quod hec citra salutis dispendium, nulli liceat ignorare. Neq; sufficere nobis debet, quod simus iurisprudentes, sed & viros bonos, & pios Christianos, nomine & re nos præstemus oportet, juxta vul. distichon

Si Christum bene scis, nihil est, si cætera nescis,
Si Christum nescis nihil est, si cætera discis,

Testimonia in quibus Trinitas lucet.

Ioan. 14. *Si diligitis me, mandata mea servate, &* ego *rogabo* patrem, *& alium* paracletum *dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest capere.*

Ioan. 15, *Cum autem venerit Paracletus, quem Ego mittam vobis à Patre, ille testimonium perhibebit de me.*

Augustin. lib. de fide & Symb. c. 9. Fides inconcussa tenenda est: ut Deum dicamus patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, neque Deos tres, sed istam Trinitatem, unum Deum: neque diversos

natu-

natura, sed ejusdem substantiæ: neque ut Pater aliquando sit Filius, aliquando sit Spiritus sanctus, sed Pater semper pater, Filius semper filius, spiritus sanctus semper Spiritus sanctus, &c.

Cur primum de summa Trinitate?

Quia de ea tunc temporis maximæ erant controversiæ in Ecclesia ad hæc quod summa Trinitas, ad jus publicum referatur, quod tanquam dignius privato, primo loco tradendum est, cujus cognitio etiamsi humanum ferè captum excedat: tamen ad salutem inprimis utilis & necessaria est, Fateor & libenter cum Augustino, nusquam periculosius errari, nec quicquam laboriosius quæri, sed contra, nihil fructuosius inveniri: neque pigebit me, sicubi hæsitavero, discere, Qui Trinitatem (ait) mysterio vel experti vel per speculum in ænigmate videt, gaudeat cognoscens Deum, & gratias agat, Qui vero non videt, tendat per pietatem ad videndum, non per cecitatem ad calumniandum ἡ δὲ εὐσέβεια προσκύνησις τῆς τριάδος ἀθέτησις ἐστιν ἕν τι τῶν τριῶν καταβαλεῖν θεὸν ἢ μὴ σέβειν συμφυΐαν Pietas vero adoratio Trinitatis, Abnegatio fidei est vel unam aliquam personam ex tribus inferiorem, ad ordinem & dejicere, vel unitatem divinæ naturæ non colere, Nazianzenus indefinit.

Vnde dicitur Trinitas?

Grecè τριὰς vel collectio triũ unitatũ, & ut Isidorus lib, Etymolog, dicit, quasi trium veritas: Quia Pater, & filius, & Spiritus sanctus sunt trinitas & unitas, Idem enim & unum sunt, propter majestatis communionem: & tres propter proprietatem personarum Trinitas fere hæc habet epitheta, ut dicatur Sancta, Adoranda, consubstantialis, individua, summa, Vnde Augustinus, in summa tamen trinitate tantum est una, quantum tres simul sunt, & nec plus sunt duæ, quàm una, & in se infinita sunt in singulis, & in omnibus, & unum omnia, Videmus solem in cœlo currentem, fulgentem, calentem, similiter ignis tria habet, nempe motum, lumen & fervorem, Divide ergo si potes solem vel ignem, & tunc demum divide Trinitatem.

Quid est Trinitas?

Ita definitur à beato Athanasio. κατὰ θείαν οὐσίαν ἐκτὸς ἀριθμοῦ ὕπαρξις. Est (ut vertit Bibliander) existentia secundũ essentiã divinam, omnem excedens numerum, vel est μία οὐσία τρεῖς ὑποστάσεις. De qua Tertullianus ita adversus Pragmaticos, Tres non statu, sed gra-

gradu: non substantia, sed forma: non potestate, sed specie, & in qua Trinitate non essentia essentiam, sed persona genuit personam, & alia est Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti, & unaquaeque sigillatim persona Deus & Dominus, non tres dii vel domini, quemadmodum Athanasius in suo symbolo, & v,c, ult. dist. 3. de conse. Trinitati per incarnationem non accessit, quarta persona. quod Marcell. & Fontinus voluerunt. Nullus unquam Christianorum dixit, quia quaternionem colimus, aut quinionem vel senionem.

Quid est Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus?

Est mens aeterna, quae nec initium habuit, nec finem est habitura, qua nihil esse potest majus, sapientius, aut melius. Quae suo nutu omnipotenti condidit, quidquid est rerum visibilium & invisibilium. Quae sapientia sua mirabili moderatur & gubernat universa. Quae sua bonitate servat omnia, atque hominum genus collapsum gratuito restituit. Ita & pater, & Filius, & Spiritus sanctus verus Deus & Dominus, aequalis, coaeternus, increatus immensus, omnipotens, quo nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed una divinitas, aequalis gloria & coaeterna majestas, haec Athanasius in suo symbolo; Quae comprobantur Deut. 6. Audi Israel. Dominus noster Deus unus, & Dominus unus. Item 1, Ad Corinth. 8.

Quid est persona?

Persona hic non pro habitu, vel distinctione officiorum, aut repraesentatione accipitur, ut in his phrasibus, gerere personam judicis, sustinere & tueri personam consulis, & haec non decent personā ministri. Sed intelligitur Substantia individua, intelligens verè & per se subsistens, distincta ab aliis, non communicabilis, & quae non sustentatur seu conservatur in alio: ideo humana natura in Christo persona non est, cùm tres tantum sint personae in Divina Trinitate.

Quomodo doces plures esse?

Primùm ex verbis Genes. 1. Quia Deus dicit. faciamus hominem ad imaginem nostram: & ibidem legitur, Spiritus Domini incumbens aquis. Alia est enim persona dicens. Alia verbum nempe λόγος per quod creat, Ioann. 1. Alia Spiritus, qui fovet & vivificat suo calore res creatus & creandas. In novo Testamento illustriora extant testimonia, velut Matth. 3, Filius meus dilectus: Filius adstat

in

in Iordane, & à Ioanne baptizatur: Spiritus sanctus in specie columbæ descendit, & requiescit super Christum: Ioan. 1. Item in clarificatione Christi. Matth, 17. Luc. 9. & Paulus 2. ad Corinth. 1.

Quid est Deus Pater?

Est ordine Prima persona divinitatis, ingenita. à nullo sed à seipso existens, quæ ab æterno genuit Filium coæternum, imaginem suā & unà cum Filio & Spiritu sancto omnes res ex nihilo condidit, & etiamnum conservat.

Cur Pater?

Primò, ratione Filij ab ipso ab æterno geniti.

Secundò, respectu creationis & sustentationis hominis. Genes. 1.

Tertiò, propter regenerationem & adoptionē nostri in filio Ioa. 1. Dedit illis potestatem, ut fiant Filij Dei, credētibus in nomine ipsius, qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt.

Quartò, ob affectum plusquàm paternum erga genus humanum, juxta illud: Quemadmodum Pater miseretur Filiorum: ita misertus est nostri. Alias generaliter toti Trinitati hoc vocabulum competit, quemadmodum in precatione dominica.

Quid est Filius?

Est secunda persona Trinitatis vel divinitatis, genita à Patre ab æterno, & est substantialis, & integra imago æterni Patris, inter Deum & homines constitutus mediator. Assumpsit ex virgine Maria humanā naturā, factus est victima pro nobis, & per eam, & propter eam solam ab æterno Patre datur remissio peccatorum, justitia, & vita æterna. De hac ita Athanasius d, loc. Sed necessariū est ad salutem æternam, ut incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter quis credat. Est ergo Fides, ut credamus & confiteamur, quia Deus noster Iesus Christus Dei Filius, Deus ex substantia Patris (quo respectu dicitur ἀμήτωρ) ante secula natus, & homo ex substantia matris (quo respectu (ἀπάτωρ) dicitur) in seculo natus, perfectus Deus est, perfectus homo, unus Christus, non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo: Ita Deus & homo unus est Christus. Hæc ille. Quiquidem passibilis (ut ait Iustinianus) humanitate, impassibilis est divinitate, l, 3, h, t,

Cur

Unde dicta fides?

1. Quia fiat, ut Cicero ait, quod dictum est, credimus appellatam fidem, dictorum scilicet, conventorûmque constantia & veritas. Tryphoninus eodem sensu: Bona fides quæ in cõtractibus exigitur, summam æquitatem desiderat L. 31. deposit.

2. Significat & probationem, & argumenta, quibus veritati creditur, & ejusdem firmam defensionem, juxta illud Ovid.

Deque fide certa, sit tibi certa fides.
Item: Et cum fortuna, statque caditque fides.
Item: Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur.

3. Significat & notitiam & confessionem sacræ doctrinæ, ut Rom. 14. Tu fidem habes. Et Iacob. 2. Dæmones credunt.

4. Significat etiam fiduciam, in misericordia Dei propter Christum promissa, acquiescentem. ut per fidem vivo filii Dei. Ad Gal. 2. Item Iustificati fide pacem habemus erga Deum. Rom. 5. Statuimus fide justificari hominem sine operibus legis. Rom. 3. Fides vulgò bifariam consideratur, aut erga Deum, aut erga homines: erga Deum pietas, & modus eam exercendi, religioss. Nulla gens (teste Cicerone) tam barbara, quæ aliquem Deum non agnoscat. Non potest erga hominem esse fidelis, qui infidelis Deo extiterit c. Non potest. 24. 147. Vbi & hæc. Sicut in Christi fide suspecti sunt, ita in testimonio humano dubii habentur.

Unde dicta Catholica fides?

Catholica dicitur universalis, generalis. Isidorus lib. 7. Etymol. c. 14. & componitur ex κτ, quod secundum, juxta, per, &, in, significat & ὅλος, id est totus, integer, perfectus, inde, καθ' ὅλȣ, universaliter, cui opponitur ἐν μέρει sive ἐκ μέρει, id est, ex parte sive partim. Nam fides Catholica per totum terrarum orbem dilatatur & diffunditur: hæreses & sectæ quibusdam regionum angulis coarctantur, & constringuntur. Catholica igitur sit fides, quod semper, ubiq; & ab omnibus, tempore, loco, veritate & antiquitate. Vnde eleganter & graviter antiquissimus pater Tertul. Hæc ratio, ait, valet adversus omnes hæreses, id esse verum, quodcunq; primum: id esse adulterum, quodcunque posterius: Vniversitas, & consensus omnium, novitati, parti, paucorum errantium dissensioni antestet.

Quid est fides Catholica?

Ea non est propria & peculiaris uni sectæ, aut singularis, sed una

B

communis omnium Prophetarum, Apostolorum, sanctorum & piorum hominum, ubique locorum & omnibus ætatibus subsistens, quæ ita describi possit. Ut sit notitia personæ ac beneficiorum Christi, & totius doctrinæ nobis traditæ, & assensus, quo omnes articulos veros esse credimus, & amplectimur, & est fiducia, innitens misericordiæ Dei propter Christum promissæ, & certò statuens sibiipsi peccata propter Christum remissa esse, & vitam æternam donari, atque ita pacem & lætitiam conscientiæ in Dei benevolentia acquiescenti, adferens.

De qua sic 24. q. 1. legitur.

Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genetricis suæ. Ephes. 4. unum corpus & unus spiritus & una spes vocationis nostræ: unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus. Ecclesia una, quæ longè latéque extenditur, ut multi radii, sed unum lumen, & rami arboris multi, sed robur unum: & de uno fonte rivuli multi defluunt. Avelle radium solis à corpore, divisionem unitas non capit: ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit, præscinde rivum, præcissus arescit. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta & pudica est. 2. Ioan. 1. Omnis qui recedit, nec permanet in doctrina Christi, hic Deum non habet: qui permanet, hic & patrem & filium habet. Si quis ad vos venerit, & hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui illi dixerit Ave, communicat operibus illius malis. Narrat de Ioanne auditor ejus, sanctissimus vir, & martyr fortissimus Polycarpus Smyrnæorum antistes. Quia tempore quodam cùm apud Ephesum balneum, lavandi gratia esset ingressus, & vidisset inde Cherinthū exire, continuò discessit non lotus, dicens: Fugiamus hinc, ne & balneę ipsæ nos corrumpant, in quibus Cherinthus lavatur, inimicus veritatis. Idem etiam Polycarpus Marcioni, cùm aliquandò occurrisset dicenti sibi, agnoscis nos? Respōdit, agnosco primogenitum Satanæ. Hæc Beda c. 23. 24. q. 1.

Quod est tertium membrum?

Ne de fide catholica, quis publicè contendere audeat.

Ubi & quomodo hoc vetat Imperator?

Imperator Martianus l. 4. in hac verba edicit, Nemo, clericus, vel militaris, vel alterius cujuslibet conditionis publicè, turbis coadunatis & audientibus, de fide Christiana tractare conetur in posterum, ex hoc

hoc perfidiæ & tumultus occasionem requirens. Nam & injuria afficit reverendissimam Synodum, si quis semel judicata & rectè disposita revolvere, & publicè disputare contenderit d. l. 4. h. t. Επιγραφὴ *habet contendere i. e. contentiosè disputare, populum turbare, profanare Iudæis & paganis Christianæ doctrinæ mysteria; unde non injuria tales disputationes à D. Paulo reprehenduntur* 1. *ad Timoth.* 5. *Ne veritas juxta P. Clodii & Varronis proverbium, nimium altercando amittatur. Qui insanit circa quæstiones ac verborum certamina: ex quibus nascitur invidia, lis, maledicentia, suspiciones malæ: & quisquis enim post veritatem repertam, ulterius aliquid disquirit, mendacium quærit. D. God. Sic ex act. concil. Chalced. Fortè huc illud Hieronymi posset referri. Sola scripturarum ars est, quam sibi passim vendicant, hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent antequam discant: edisserunt aliis, quod ipsi non intelligunt. Puerilia sunt hæc & circulatorũ similia, docere quod ignores. Imò (ut cum stomacho loquar) nec hoc quidem scire quod nescias, in epistola Bib. præfixa c. 6. Errant (inquit Quidam) qui disputationem putãt machinam evertendorum hæreticorum potentissimam, cùm revera sit robur ipsorum. Nam ea freti Arrius & Nestorius tam impudenter desipuerunt, ut ille diversos per gradus & tempora in Trinitate substantias adsereret, alter Mariam virginem theotocon esse negaret. Omnia namque. (ut ait Hieronymus) hæreticorum dogmata inter Aristotelis & Chrysippi spineta sibi reperiunt. Inde Eunomyus profert, quod natum est, non fuit antequam nasceretur. Inde Manicheus, ut Deum liberet à conditione malorum, alterum mali inducit auctorem: Inde Nouatus subducit veniam, ut tollat pœnitentiam.*

Licétne ergo omninò de fide disputare?

Azo respondet: ubi autem aliquis disputat de fide, vel in scholis, vel ubicumq; cum discretis causa inquirendæ veritatis, vel ut intelligat, quæ tradita sunt de fide Catholica, vel ut sciat reprobare errores hæreticorum, non est hoc reprobandum, imò commendandum, ut de Fabiano prædicatur l. 23. J. de Episc. & Cleric. Adhæc habeatur in Ecclesia profectus ratio, sed ita (ut quidam ait) ut verè sit profectus fidei, non permutatio, crescant in scientia, sed in suo duntaxat genere, eodem dogmate, eodem sensu, eadem sententia. Fides quæ per dilectionem

operatur, omnium virtutum fundamentum est c. ante dist. 4. Eligenda est fides cum vita 1. q. 1.

Quæ pœna eorum qui contrà faciunt, vel sentiunt?

1. Nullis hæreticis ministeriorum locus, nulla ad exercendam animi obstinatioris dementiam, pateat occasio.

2. Arceantur cunctorum hæreticorum turbæ ab illicitis congregationibus l. 2. h. t.

3. Scripta impia igni comburantur. Nam (ut Theodosius & Valentinianus rescripserunt) omnia provocantia Deum ad iracundiam scripta, & pias mentes offendentia, ne quidem ad aures hominum venire volumus. l. 3 §. 1.

De Sacrosanctis Ecclesiis tit. 2.

Argumentum tit. constat ll. 19. & Authen. 17.

UT *Trinitas perpetuò colatur & celebretur, erigendæ & instaurãdæ sunt Ecclesiæ, & ministri fovendi quibus unicuique licet quantulibet legare & donare, ratūq; erit judicium l. 7. c. eod. Quorū tantus etiã est favor, ut solennitates alioquin receptas non necesse sit servare. d. l. 1. Omnes enim cujuscūq; sexus illis relinquere possunt, nisi sint ingressi monasterium, quo ipso & se & sua dedicant l. generali lege. ut jam ampliùs de his testari nequeant, sed hac conditione, si liberi nulli extent justi: si existant et antè ingrediatur monasterium, quàm testetur, dividere posset inter eos, salva ipsis legitima, & quod non distribuit inter ipsos, hoc ad monasterium devolvetur. sin omnia bona liberis distribuat, jam sibi virilem portionem retinebit, quæ acquiretur monasterio; sed si ingressus monasterium, suum obeat diem, legitima filiis, reliqua cedent monasterio. Auth. ingressi Auth si qua mulier. Hîc advertendum, & quovis titulo relinqui posse, sive inter vivos, sive ultima voluntate, & sine testamento. l. fin. eod. Deinde id cura sit, ut si donatio 500. excesserit solidos, actis insinuandã esse, nisi imp. sit l. illud 19. jure Novel. sine insinuatione. Novel. 7. de non alien. c. Si minus. Denique bona ista Ecclesiis donata privilegiis sepiuntur*

tur, l. placet h. eod. etiamsi onus ordinarium sustineant d. l. & l. ad instructiones 7. nec propter principis vel expeditionem ab angariis, parangariis, plaustris, &c. l. Neminem 11. sunt immunes. ut nec navis Ecclesiæ ab onere vehendarum rerum vel personarum pro Resp utilitate eximatur. l. jubemus 14. nullum autem munus extraordinarium superindictumve, prædia cœlestium secretorum usibus dedicata, agnoscunt d. l. placet & l. sancimus 21. nulla alienatio rei Ecclesiasticæ subsistit d. l. jubemus. Si Œconomus distraxerit, & ipse & Trabellio & judex severissimè puniuntur, nec emptor quantumlibet justum possit prætendere titulum, pretium recuperat d. l. jubemus §. 1. & seqq. sed duntaxat ab eo qui alienavit. vide Novell. 7. 8. Authent. Qui res. Et hoc in rebus immobilibus & soli, cum nulla necessitas urgeat, & mobilia suppetunt, ex quibus æs alienum dissolvi possit. alias forma in Auth. Hoc porrectum, observanda est. Vasa sacra, vestes sacræ non possunt pignori dari, neque alienari, nisi in redemptionem captivorum vel egenorum fame periclitantium. Quoniam animæ hominum quibuscunque vasis præferendæ sunt, l. sancimus 7. Imò si superflua habeat & debitrix sit mobilia vendat, ut æs conflatum dissolvat. Authent. Porrò potest Ecclesia cum Ecclesia res permutare, si id utile fuerit utriq; inutile consensu eorũ, quorum est. Auth. Item potest prædium, ob onus fiscale, vendi, idq; jurandum Auth. seq. Emphyteuta non solvens canonẽ per biennium, vel deteriorẽ reddens rem expellitur, ita tamen ut solvat totius temporis pensionem. Auth. qui rem. Postremò ad exactionem relictorum habet tres, actionem Personalem, Realem & Hypothecariam. leg. fin. 40. nec ea excluditur nisi 40. ann. sola Romana demum 100. ann. Auth. quas actiones, ex Novel. 131.

Quæ continuatio?

Non tantùm sacra sunt summa Trinitas, & fides Catholica, sed etiam Ecclesia, bona Ecclesiarum, salaria & stipendia ministrorum, quæ ut cultus divinus illibatus conservetur & latiùs propagetur, in honorem Trinitatis ex studio fidei & Ecclesiæ instaurandæ, & quibus quantum velint morientes relinquere possint, & quemadmodum relicta sunt, ita integra & perpetua servari debent. Nam nullius sunt, & ut alicujus fiant, nulla obligatio efficere potest. vid. §. sacra Inst. de rer. divis. unde Canon, Semel Deo dicatum, non est amplius ad humanos usus transferendum. Nam malè quæruntur, de quibus non solet gaudere tertius hæres.

Unde dicta Ecclesia & quid significat.

Componitur ex prapositione ἐκ vel ἐξ & verbo καλέω, id est, evoco, unde ἐκκλησία dicitur evocatio. συνεκδοχικῶς ipsum templũ & ædificiũ. ut x de Eccles. ædif. & reparand. Hujus vocis usus apud Athenienses fuit. Cœtus enim civium voce præconis, et reliqua turba quasi nominatim per centurias evocatur ad concionem, vel ad audiendam senatus sententiam. Hinc Apostoli propter similitudinem, vocabulum transtulerunt ad suum institutum. Significat & fidelium cœtum, quorum caput est Christus. ut Matth. 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Item unius provinciæ, civitatis tam pios quàm hypocritas, veluti in illo Pauli, salutant vos Ecclesiæ Asiæ, 1. ad Corinth. 16. Item in præsentia congregatum, ut 1. ad Corinth. 5. 14. Mulieres in Ecclesia taceant. Item Ecclesia in tribus vel pluribus vel paucioribus etiam consistit, ita ut singuli pii, ob Deum in illis agentem, dicantur filii Dei. Notatur interim Donatus, quod ejectus, cùm crimina Ceciliano objecta, dixerit apud se remansisse Ecclesiam.

Quid propriè interest inter Ecclesiam & Synagogam?

Ecclesia propriè vocationem sive convocationem fidelium significat: synagoga congregationem infidelium temerè & tumultuariè coactam, ut hæc sit habeatúrq; Iudæorum. illa Christi & Christianorum.

Cur potiùs de Ecclesiis, quàm de Ecclesia?

Placentinus resp. ut intelligamus, non tantùm hic agi de Romana, sed de omnibus, quæ sunt in toto terrarũ orbe. Deniq; ut sciamus & alia loca venerabilia ξενοδοχεῖα, πτωχοτροφεῖα, & similia hoc nomine contineri, hæcq; propter favorem eis annumerari.

Cur nominantur sacrosanctæ Ecclesiæ?

Quia non solùm Deo sacræ sunt d. §. sacra & l. 6 §. 2 ff. de rer. divis. sed quòd etiam constitutionibus Principum velut sanctæ, l 8. cum ll. seqq. eod. ab injuriis improborum hominũ defendantur, ne violentur.

Quid est Ecclesia?

Eam. ut intelligamus de qua hic agatur, distinguimus in cœtum hominum, & in materialem domum, sive basilicam, sive templum Græcè κυριακὸν id est, dominicam, καὶ κυριακὸς οἶκος id est, domus Dei nuncupatur. 1. Timoth. 3.

Quid est Ecclesia, quæ cœtu aliquo constat?

Hæc

Hæc dicitur omnium hominum qui puram (quæ Mercer. lib. 2. op. c. ult. tribus signis dignoscitur antiquitate, universitate & constãtia) Euangelii doctrinam amplectuntur, & rectè utuntur Sacramentis, in quo cœtu Deus per Euangelii ministerium efficax est, & multos ad vitam æternam regenerat & sanctificat: simul autem sunt in ea Ecclesia multi non renati, sed tamen de doctrina consentientes.

Quomodo dividitur Ecclesia?

In Visibilem, corporalem seu externam, militantem adhuc in terris contra Satanam, Mundum; & Carnem: cujus typus est parabola de tritico & zizaniis. itẽ de sagena cogẽte pisces bonos & putridos, Mat. 13. & semper cruci obnoxia, August. lib. 15. c. 15. de civit. Dei, Ecclesia in impio hoc mundo degentis statum in Abelo adumbratum fuisse docet ut palma instar sit. Versus noti sunt de ejusdem afflictionibus:

Sanguine mundata est Ecclesia, sanguine cœpit:
Sanguine succrevit, sanguine finis erit.

Et in Triumphantem, invisibilem, spiritualem, quæ tantùm est electorum in cœlis, crediturq; (ut est in symbolo) & non videtur. Et in Dormientem, quæ partim complectitur vita functos, partim nascituros Bibliander hic. Hanc utramque Ecclesiam optimè Augustinus scribit unam fore consortio æternitatis, & nũc unam esse vinculo charitatis, totámque ad colendum unum Deum esse institutam.

Unde cognoscitur Ecclesia?

Non ex hominibus, ratione potestatis vel dignitatis Ecclesiasticæ, vel secularis: quia multi principes & summi Pontifices inventi sunt ἀποστατεῖν, propter quod Ecclesia vera consistit in illis personis, (ut oves meas nemo rapiet ex manu mea Io. 10.) in quib. est notitia vera, & cõfessio fidei & veritatis, quæ tantummodo cognoscitur per scripturas, & qui ad has non respiciunt, scandalizabuntur & peribunt, non intelligentes, quæ sit vera Ecclesia. Chrysostom. in Matth. homil. 49. Ex scripturis (ait Augustinus) didicimus Christum, ex scripturis didicimus Ecclesiam, has scripturas communiter habemus; quare non in eis & Christum & Ecclesiam retinemus? Tom. 2 Epist. 166. Neque sententiæ nostræ aut narrationes ullam habent fidem (teste Origene in Ieremiam) sine scripturis, atq; id non injuria. Nam quod sine authoritate scripturæ dicitur, id eadem facilitate (teste Hieronymo) contemnitur, qua dicitur; atque ita vera Ecclesia dicitur ovile, mater, sponsa Christi, virgo pudica, incorrupta, immaculata; ut Eph. 1. dicitur, Co-

lumna & basis veritatis (ut 1. ad Tim. 3.) quæ non potest errare, extra quam non est salus. Sancta, Catholica, Orthodoxa, Apostolica, Euangelica. Cujus Notæ sunt Professio vera doctrinæ Legis & Euangelii: legitimus usus Sacramentorum, Obedientia erga doctrinam & totum ministerium. Hæc est confiteor sanctissima concio, qua gens Christigena arcano nexu coit omnis in unum Corpus, & unanimis capiti sociatur Iesu. Ignat. Hanc fundaverũt Apostoli, in sanguine Christi, verbo et exẽplo.

Quid est materialis?

Est templum, sacra domus sive ædes facta manu, reditibus dotata, ut certo numero ministri sustentari, & ipsa sarta tecta conservari possit, in quam fideles statis temporibus divini cultus gratia conveniant, id est, ut audiant verbum Dei, utantur Sacramentis, & preces publicè unà fundant. Sacræ res pertinent ad jus publicũ, ut Ecclesia, quæ superioris auctoritate consecratur solemniter, pietate & necessitate Religionis id suadentibus, huic designentur ministri, iisq; sustentatio tribuatur, ut religio foveatur, conservetur & propagetur, privilegia & res decernantur, conferantur: collegia illicita, conventicula, conspirationes, omnésque actus damnosi Ecclesiis, facessant.

Ergóne Ecclesiis sunt res & bona?

Sic est.

Quotuplices sunt illæ?

Duplex est rerum illarum natura: aut nullius sunt in bonis, & extra cõmertium; aut sunt in patrimonio Ecclesiæ, & ideò in cõmercio.

Quæ sunt prioris generis?

Huc pertinent res Deo consecratæ, ut Ecclesia ipsa cum loco suo & donariis divino cultui consecratis, de quibus ita Leo & Anthemius rescripserunt: Quemadmodum ipsa religiosa Ecclesia fidei mater perpetua est; ita ejus patrimonium jugiter servetur illæsum l. jubemus h. t. nisi in redemptionem captivorum ab hostibus, & alimoniam pauperum, quibus quidquid impenditur, hoc Deus sibi fert acceptum & expensum. Matth. 25. unde Imp noster, Non absurdum (ait) animas hominum quibuscunque causis, vel vasis, vel vestimentis præstari. l. 2. h. t. & vid c. aurum habet Ecclesia. 12. quæst 2. ibi Ambrosius, Aurum habet Ecclesia non ut servet, sed ut eroget & subveniat in necessitatibus. An ignoramus, quantum auri & argenti abstulerunt Assyrii

de

de templo Domini? Nonne melius conflat sacerdos pro alimonia pauperum, si aliqua subsidia desunt, quàm si sacrilegus contaminet & asportet hostis? Nonne dicturus est Dominus, cur passus es tot inopes fame mori? Cur tot captivi in captivitatem ducti, nec redempti ab hoste, occisi sunt? Melius enim fuerat, ut vasa viventium servares, quàm metallorum. Quid dices? Timui ne templo Dei ornatus deesset. Respondit: aurum sacramenta non quærunt, neq; auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus sacrorum redemptio captivorum est: & verè sunt illa vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte: ille verus thesaurus Domini, qui operatur, quos sanguis ejus operatus est.

Accidunt Ecclesiæ duo; Hospitium videlicet & OEconomia. Hospitium ubi familia Dei & sponsa Christi in hoc mundo diversatur. Hujus ratione variè distincta fuit visibilis Ecclesia. Fuit aliquando vetus ante Christi adventum, Legalis, Iudaica, Prophet. Veteris Testamenti: Nova Euangelica, Christiana, Apostolica, aliàs angusta, in unius Abrahami familia, aliàs latè diffusa: Est Particularis, quæ certo loco, ut Hierosolymis. Est Vniversalis nulli inclusa loco aut alligata. Aliàs fixa, aliàs ambulatoria, transiens de gente in gentem. OEconomiam Ecclesiæ vocant externam gubernationis formam, qua extra ἀταξίαν cuncta ad ædificationem & decorum ejus administrantur. Ea universalis est, vel particularis: illa verbo Dei est definita consistens in mediis colligendæ, excolendæ, & notis agnoscendæ in hoc mundo Ecclesiæ: hæc in rebus, quæ mutantur, arbitraria, vitans scandala, & spectans ædificationem. Hospitia infestant tyranni: OEconomiam hæretici & antichristi: utrumq; Satan & Mundus.

Sed meminisse oportet:

Si quis diligit me (inquit Christus Ioan. 14.) sermonem meum servabit: & pater meus diliget eum, & veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Quod testimonium Strigelius multis elogiis exornat, semper, ait, sonet in auribus hoc dictum, semper circumferatur in cordibus, semper præluceat in quotidiana invocatione, scribatur hoc dictum in vestibulis omnium librorum, præsertim sacrorum, ut semper sit in conspectu & ob oculos positum. Sit Scholasticus ordo spretus & contemptus in hoc mundo, sit in parvo honore ordo Ecclesiasticus, sit etiam ipsa Ecclesia populus egenus & pauper, sperans in nomine Domini, ut ait Sophonias, c. 3. Sed tamen hoc maneat, quod omnes discipuli & auditores Christi, qui servant sermones Christi, fide & bona conscientia sint templa & domicilia Dei, quæ Deus non deseret,

ne quidem in media morte, ut Psal 16. dicitur: Sanctis qui sunt in terra, omnis voluptas mea in eis.

Omnis in Ascanio, chari stat cura parentis.

sic omnis cura Dei, stat in Ecclesia.

Quæ sunt secundi generis?

Ad hoc referuntur patrimonialia Ecclesiæ bona, pro dote & ad alendos ministros, & ad fabricam assignata, aut denique ad piam causam relicta. Auth. omnes v communia de success. & c. relatum & c. cum esses x. de Testam. Reditus & oblationes in quatuor distribuantur portiones: antistes Unam retineat: ministris Altera pro cujusq; merito: Tertia cedat pauperibus & peregrinis: Quarta fabricis Ecclesiasticis c. 25. cum seqq. 12. q. 2.

Quid si rei Ecclesiæ consecratæ magnus abusus sit, redibítne ad donantem, aut ejus hæredes?

Minimè gentiū, sed in meliorem, magisq; pium & Deo gratum usum convertetur l. legatū 16. de usu & usufr. leg. l. legatū D de admin. rer. l. Imp. 13. de pollicitat. Vide Schurf. consil. 48. cent. 1. Nam sacra profana fieri non possunt, nec debent, l. inter 83. §. sacrā. h. de V. O. Quæ cùm ita sint in nullius bonis & divini juris, quo malum, sacrilegio Deo auferentur & Ecclesiæ? Quàm multa hodie, proh dolor, invasiones & dissipationes Ecclesiasticorum bonorum, quàm multa supprimuntur & in privata rediguntur patrimonia. Nullus hodie Laurentius, sed multi Antiochi Cambysæ, qui tamen experiuntur se habere aurū Tholosanū. Sed hæc & alia excutiet omnipotens. Quicquid n. in sacratis Deo rebus & Episcopis injustè agitur, pro sacrilegio reputatur, quia sacra sunt, et à quoquā violari nō debēt c. in antiquis 7 x. de R. I.

Possúntne hæc alienari?

Regulariter non possunt, Nulla solennitas requiritur. Si ad tempus alienentur glos. & doct. in c. 1. de reb. Eccl. non alien. Ea quæ servando servari non possent c. 2. eod. in 6. Ex necessitate, si nequeant teneri ut propria. Bal. in Auth. Hoc jus porrectum C. de sacrosanct. Si non sint magni pretii & commodi. Si non censentur in bonis esse Ecclesiæ, non etiam planè acquisita, quæ adhuc præscribuntur. not. in c. fin. de ref. Vid. Fall Socin. Reg. 110. sed ita, si urserint Ecclesiā debita, vel æs alienum, ut de mobilibus ipsis satisfieri nequeat, & agatur de

de alienatione, aut emphyteus. eo casu adhibendus est ordo quidam, magna solennitas, & causa cognitio.

Quid sibi vult causæ cognitio?

Ut cognoscatur à superiore, expediat Ecclesiæ, nec ne: Deinde ut interveniat ipsius superioris decretum. Postremò totius Eccesiæ suffragia & consensus c. placuit 72. q. 2. & c. 2. x. de reb. Ecclesiæ alien. Nam si quid comprobetur factum in damnum divinæ domus, præterquàm quod irritus pronunciatur contractus, & atrociter puniuntur omnes personæ intervenientes, ut OEconomi, administratores, tabelliones, judices jubemus. l. jubemus. 13.

Quomodo igitur punitur OEconomus vel administrator?

Si quispiam OEconomorum audaci spiritu, sacrilega mente quocunque modo alienarit, fructum propriæ temeritatis amittit, pretia vel munera cuicunque data, Ecclesiæ lucris & commodis acquirantur. Prædia sive res cum pensionibus, fructibus & accessionibus medii temporis vendicentur, & tanquam à nullo empta forent, teneantur: quia ea quæ contra leges fiunt, pro infectis habenda sunt, d. l. jubemus. OEconomus qui id passus est, sua administratione privetur, & damnum sive ab illo, sive à successoribus sarciatur. d. l. Creditor quoque restituta re pignorata, crediti actionem contra solum debitorem habeat. Emphyteusis acceptor ab ea cadat, nec quod dedit, repetat. d. l. §. 2.

Quomodo tabelliones?

Si hujusmodi contractuum instrumenta ausi fuerint conscribere, irrevocabili exilii animadversione plectentur. d. l. §. 3.

Quomodo Iudices?

Ipsi vel jus gestorum habentes, qui hujusmodi donationum vel contractuum gesta probaverint, dignitate sua & bonis omnibus privabũtur, d. l. §. 4. Ex his satis apparet singularis Impp. erga Ecclesias favor, eóque multa iisdem sunt indulta privilegia.

Quænam?

Et personalia, & realia.

Quæ personalia?

De iis sequenti titulo commodiús.

Quæ realia, seu (ut aliquando) patrimonialia?

Quæ imponuntur ratione rerum, quas quis possidet ut sunt vectigalia, Tributa l. 1. ff. de muneribus & honoribus, & V. c. non omnes & c. adversus X de immunitat. Eccles.

Quotuplicia sunt realia?

Aut sunt generalia, quæ omnibus in universum Ecclesiis competunt: aut specialia, quæ uni, veluti Ephesinæ, Constantinopolitanæ, Romanæ.

Recense aliquot exempla?

Quinque hoc titulo perstringam, reliqua suis locis servaturus.

Dic primum?

Vt nullus quantumvis facinorosus ab Ecclesia ad cœmiterium confugiens extrahatur, ne quidem authoritate publica, exceptis latrone publico, & depopulatore nocturno. c. inter alia. 6. X. de immunit. Eccles. & homicida voluntario. c. de homicid. servo d. c. inter alia: nisi quis sub spe immunitatis crimen commiserit. c. ult. de immun. vel ablata non restituat 149. 6. c. 1. §. illud. & nisi persequens iuramentum præstiterit de morte, & debilitate membrorum non infligenda 17. q. 4. c. id constituimus. Quod videtur lege Mosaica & jure civili quoque sancitum esse.

Quomodò cum lege Mosaica?

Ita præcipit Dominus Exod. 21. v. 12. Si verò superbè egerit quispiam in proximum suum, ut occidat eum dolo, ab altari meo tolles eum, ut moriatur. Item Deut. 19. v. 11. Si quis oderit proximum, et insidiatus percusserit eum, isq; mortuus fuerit, et homicida ille fugerit ad unam illarum urbiũ, id est, ad asylum, tunc mittent seniores illius urbis cives, et abstrahent illum inde, dabuntq; illum in manus propinqui sanguinis, & morietur. Non parcet oculus tuus ei, & auferes sanguinem innocentem ex Israele, & bene erit tibi.

Quomodo cum jure civili?

Caterùm (inquit Iustin.) homicidis, adulteris, virginum raptoribus, & omnibus talia delinquentibus, in locis sacris nulla securitas erit. Novell. 17. §. caterúm.

Dic

Dic secundum?

Ex emptione, donatione, nō etiam secuta traditione, Ecclesiæ vindicatio datur, ergo & dominium ei acquiritur l. ult. c. eod.

Dic tertium?

Quas actiones alias decennalis, alias vicennalis, alias tricennalis præscriptio excludit, hæ si religioso loco competant, 40. annis demùm excluduntur.

Dic quartum?

Res ad Ecclesias & alia pia loca pertinentes, liberæ immunesq; sint, à lucrativis descriptionibus l. sancimus 22. eod.

Dic quintum?

Quod liceat quantum quisque velit Ecclesiæ & Ecclesiasticis relinquere l. 1. h. t. unde colligitur olim id nō fuisse permissū. Ecclesia à tyranno diruta, & solo æquata, vel civitas, aut castrum, privilegia sua non amittunt, ut alio etiam loco restaurata, eadem retineant, quia bellum inter casus fortuitos connumeratur, sicut vis latronum & prædonum text in l. in ratione Ad L. Falcid. text. in §. item 15. cui. Inst. quib. mod. re cont. l. in rebus. Commod. l. 23. de R. I. & jure Civili latrones appellantur, qui injustum bellum movent. Ecclesiæ duæ simul unita, retinent singula sua privilegia et statuta: si verò una alteri uniatur, hoc casu unita amittit privilegia, & gaudet tanquam filia, privilegiis Ecclesiæ matris, cui unitur fac text. in c. cum dilectus. De his quæ vi metu seq. text. in c. Sicut unicè de excess. præ. Ecclesia fisco seculari præfertur fac. not. in Aut. cassa h. t. & not. in c. Eccl. San. Mar. de const. Ecclesia nunquā moritur. vid. ever. con. 239. nu. 1. fac. L. proponebatur 76. de jun. Ecclesiæ ministris ab antiquis dari solita, mutari nō debent, nec tenentur ad munera extraordinaria vid. eun. cons. nu. 4. & 12. & 19. Ecclesia cogitur reus edere instrumenta ad fundandā actionē contra L. nimis grave C. de prob. ita sing. Bal. in c. 1. col. 2. ver. sed contra x. de prob. Cott. in verb. Eccl. Ecclesia abundet literatis & doct. Vid. Cott. in verb. Abbates. Vna est Ecclesia universalis extra quam non est salus. c. 1. §. una de sum. trin.

Delictum personæ, non debet in detrimentū Ecclesiæ redundare c. delictum. de Re. L. n. 6. Ecclesiæ bona, Res pauperum sunt. No. 7. Facultates ejus in pios usus eroganda N. 3. c. 3. Non tenetur pecuniam quam habet numeratam, in immobilia convertere, No. 120. c. 9.

Ecclesia Dei, domus orationis est, non spelunca latronum, aut sanguinis forum, Ioh. 2. c. cum Ecclesia. de immunit. Eccles.

Ecclesia est sponsa vel uxor sacerdotis, uti sponsa unius viri. c. cùm non ignores X de præb. Item

Penes Ecclesiasticos sit Ecclesiasticarum administratio.

Episcopus res Ecclesiæ non quasi proprias, sed ut communes fideliter dispenset 12. q. 1. c. 26.

Episcopus rerum Ecclesiasticarum habeat potestatem erga omnes qui indigent, cum summa reverentia & timore Dei, cum conscientia presbyterorum & diaconorum. ib. c. 23. Ex cano. Apostol. ca. 41.

Præcipimus, ut in potestate sua, res Ecclesiæ Episcopus habeat. Si enim animæ hominum pretiosiores illi creditæ sunt, multò magis oportet eum pecuniæ curam gerere. c. 24.

Aut si non episcopus, saltem ecclesiastica persona sit OEconomus: in eodem officio dispar non debet esse professio, quod prohibetur Deut. 22. Non arabis in bove simul & asino, id est, diversæ professionis homines, non sociabis in uno simili officio. Nam cohærere & conjungi non possunt, quibus studia et vota sunt diversa, 15. q. 7. c. 21. & 22.

OEconomus cunctis clericis præsentibus inventarium conficiat 12. q. 2. charitatem.

Non placuit Laicum statuēdi in Ecclesia habere aliquam potestatem, cui obsequendi convenit necessitas, non imperandi aucthoritas c. 23. ibid. In quo ipso exemplo pœnitentiæ & reverentiæ præluxit Theodosius erga Ecclesiam, qui ab Ambrosio 8 mensibus exclusus templo, non rediit in illud, donec ab eodem acciperet sententiam absolutionis: Mortem ipsius Ambrosius lamentatus est, dilexi, (inquiens) virum, qui cùm jam corpore solveretur, magis de statu Ecclesiarum quàm de suis periculis angebatur. Tanta pro religione sollicitudine affici, ea demùm vera & digna principibus bonis, virtutes sunt. Vid. Car. et Chro. Peuceri.

De Episcopis et Clericis, Orphanotrophiis &c. tit. 3.

Quemad-

QVemadmodum teste Pomponio, jus constare non posset; nisi sit aliquis jurisperitus, per quem posset quotidiè in meliùs produci. l.2.§.post originem, 13. de orig jur. ita quoque non subsistere, nedum florere Ecclesia, imò frustrà condita & extructa essent, nisi ipsis de idoneis magistris & ministris prospiceretur. Episcopus igitur deligendus non pretio aut prece, sed virtutibus commendatus, alioquin elector & electus infamia notantur, & à sacerdotio removentur l. Si quenquam 31. cujuscunque conditionis potest in Episcopum eligi, & liberatur à Patria & Dominica potestate, & ab Adscriptitia fortuna. Authen. Sed Episcopalis & Auth. Episcopalis similiter & clericis procedit, ut si filius fam. invito etiam patre ecclesiasticam personam sumpserit, exhaeredari non possit, & nihilominus tam ex testato quàm ab intestato succedat l Deo nobis 42.§. hoc autem. Adhac potest clericus de bonis ex beneficio quaesitis tanquam de castrensi peculio, tam inter vivos quàm in ultima voluntate disponere l. sacrosancta 34. neque eorum testamenta querela inoff. rescinduntur, verùm datur parentibus & liberis condictio ex L. ad legitimam l. cum lege. 50. & Auth. presbyteros. Servus sciente et non se opponente domino, in clericum ordinatus, liber fit & ingenuus: si ignorante domino intra annum poterit à Domino revocari: sed priore casu si defecerit à ministerio Ecclesia, cogitur iterum jugum servitutis subire. Authen. si servus. Adscriptitii & censiti jure C. sine expresso consensu dominorum nequeunt Ecclesiasticum ministerium suscipere, l. jubemus jure Novell. possunt Authen. Adscriptitios ex Novell. 123. ita tamen ut operas per vicarium praestent l. quisquis 16. Sic ne clerus aliqua contumelia adficiatur curiales Officiales quamvis reddiderint rationes, prohibentur ordinari, antequam libertatem adepti sint Authent. Sed neq. l. 12. 27. l. 4. Ordinati debebunt toto pectore & corpore partibus & muniis divinae suae vocationis vacare, & invigilare ad quae se sactè & fide data obstrinxerunt. l. 19. & 31. Auth. interdicimus & Novell. 123. Ideò multa privilegia & rebus & personis eorum concessa l. 22. l. 35. Rebus quia à solutione exactionum, pensitationum ex pradiis suis facienda, exceptis provincialibus immunes sunt. L. o. l. 10. l. 3. Personae autem: quia nec personali munere onerantur l. presbyteros 6. l. 6. unde tutela & cura non gravantur. l. generaliter 52. nisi cognationis jure se sponte suscipere eam intra 4. menses declaraverint. Authen. presbyteros ex Nov. 123. c. 5. Sine quaestionis incuria testimonium dicant,

cant. ita tamen ut falsa nō simulent, l. pressbyteri. vid Novel. 123. c. 20. & Auth. presbyteri. Non obstringuntur ad juramēti præstationē. l 25. Nō cogūtur ad sordida munera d. l. 2. nec cōpelluntur ad alium judicem quàm suum ordinariū l. 33. l. 37. §. 2. Is est Episcopus nisi controversia aliud suadeat Nove. 83 & No. 79. Auth. Clericus Auth. Causa quæ l. cum clericus. l. Omnes. 33. Causa si fuerit civilis, & subsit ratio, cur ecclesiasticis nō cōmitti, ea celeriter à civili judice expediēda: sin criminalis & nō ecclesiastica, intra 2. menses cognoscere de ea, & reo degradato pœnas irrogare; Authen. clericus ex No. 83. quilibet isti potest renunciare privilegio l. si quis in conscribendo 51. violatores grauissimis pœnis subdet l. 10. l. 13. l. 51. l. 53. Aut. sed nouo jure. Est & hoc officium Episcopi, ut et verbo et exēplo honestæ et castæ vitæ alios doceant. Aut. Episcopo Auth. interdicimus. ex Novell, 6. & Novell. 123. Nec ipse, nec clericus suæ diecœsis ad forum Iudicis Laici extrahatur, sed ipse lites examinet & dirimat. Auth. Nullus Episcopus Novell. 123. Si decedat intestatus & sine legitimo hærede, Ecclesia succedit Authen. Licentiam. condito testamento patrimonialia vel jure cognationis acquisita ad necessarios ad 4. usque gradum transmittit, occasione Ecclesiæ parta, relinquantur Ecclesiæ d. Auth. & Novell. 131. Efficiat & agat, ut ultimæ voluntates relinquentium bona sua pauperibus sortiantur effectum, et ea ipsa in captivos, et in Xenone decumbentes, et corporibus laborantes distribuantur l. s. quis ad 49, §. quis autem. Si quis igitur quid ad redimendos captivos et sublevādos pauperes quomodocunq; reliquerit, exigat Episcopus et ex voto defuncti eroget d. l. et l. nulli licere 28. Si certas quoque personas nullas designavit, tunc illius loci, ubi defunctus domicilium habuit, cedent egenis d. l. Nulli Et si dubium sit, cui Xenoni aut ptochæo, consideratis cujusque facultatibus, magis egenti tribuet. d. l. 49. Interim captivorum redimendorum, qui ipsi sanguine juncti sunt, habēda ratio. Qui captivos neglexerint, nō solùm exhæredari, sed etiāsi hæredes scripti fuerint, denegatur eis successio, et in aliis valet testamentum. Auth. si captivi ex Nov. 115. c. 3. Orphanotrophi instar tutorū et curatorum auctoritate, superiorū suscepta administratione, inventariū rerum per publicā personā conficiant. personas et negotia illorum, sine præstatione cautionis et necessitate reddendæ rationis defendant et curent, non alienēt res immobiles, nisi et sūma necessitas urgeat, et defensor loci cōprobet, ut etiam hæ ipsæ personæ et res piæ Ecclesiæ privilegijs gaudeāt l. Orphanotrophos 32.

Quid

Quę OEconomia?

Superiori titulo egit Imp. de locis & ædibus venerabilibus religioni, & pietati consecratis. Iam rectè de personis, & earundem gradibus, officiis, ordine, jure. Quæ duæ traditiones adeò affines & cognatæ sunt, ut vix de personis tractare possis, quin eadem opera simul agas de locis & contrà.

De quibus agetur hoc titulo?

De Episcopis, Clericis, de privilegiis tam propriis Episcoporum quàm omnium clericorum communibus, & de nuptiis clericorum vetitis & permissis.

Vnde dictus est Episcopus?

Ἀπὸ τοῦ ἐπισκοπεῖν, id est, intendere, Episcopus superintendens, & inspector aliorum. Eodem sensu Philippus Rex Macedonum cùm Diogenes in castra ipsius veniens, et à militib. apprehensus ad illum adduceretur, exclamavit, Episcope, Episcope, id est, explorator, explorator: Diogenes respondit, prorsus Episcopus. Nam veni inspecturus insaniam tuam, qui non contentus regno Macedonum aliena captas, & temet in discrimen conjicis, ut fortè & regno & vita priveris. Plutarchus in Camillo, θεοὶ χρηστῶν ἐπίσκοποι καὶ πονηρῶν ἔργων, id est inspectores. Erant & apud Athenienses Episcopi τῆς χώρας. i adolescentes, qui cùm ex ephebis excesserant, regiones circuibant, ut si ingrueret necessitas, essent regionum, viarum & locorum periti. Arcadius refert apud Romanos fuisse Epōs magistratum, qui praeessent pani & cæteris venalib. rebus, quæ civitatū populis ad quotidianum victum usui sunt l. Munerū 18. §. 7. de muner. et hon. Talis hìc apud Franequerenses Nicolaus ille cognomento Kantken, diligens et fidelis, inq; sua functione nulli secundus, hunc, hosve Ædiles Cereales possumus appellare. A vigilantia, cura, labore, fide docendi sic dictus Episcopus quasi doctrinæ & vitæ cœtus suæ fidei commissi speculator & explorator. Vnde Clemens decrevisse fertur, ut Episcopalis cathedra in eminentiori templi loco collocaretur, ut inde undique speculari & explorare possint. Et est in Ecclesia Episcopus, quod in navi gubernator, in exercitu dux, in curru rector: utpote (ut ait Cyprianus) cujus quàm perniciosa est ad sequentium lapsum ruina, tam contrà est utilis & salutaris, cùm se fratribus per firmamentum Religionis imitandum prabet. Atque utinam non verè dixisset, quisquis ille demùm fuerit: Olim cum lignei essent calices, sacerdotes erant aurei, nunc cùm aurei sunt calices, facti

ſunt lignei clerici. Et rectè tribus hominũ generib. Eccleſiaſtico, Politico, & Plebejo tria hæc præcepta ſunt injuncta: vel potiùs objecit deſidiosè.

Tu ſupplex ora, tu protege, túque labora,

At Diabolus ſuperioribus contraria commendavit,

Tu fornicator, tu prædo, tu deſidioſe.

alias legator, *apud Naucler. Sicut & tria èludunt vota, ut ſc. obedientiam præſtant in menſa: paupertatem nudi in lecto: & caſtitatem ſervent ante altare.*

Quid eſt Epicopus?

Ejus ſimulachrum D. Paulus adumbrat his verbis: Oportet (ait ad Titum et Timotheum) Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, inculpatum, ſicut Dei diſpenſatorem, unius uxoris virum, vigilantem, ſobrium, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, (tenacem ejus, qui ſecũdum doctrinam fidelis ſermonis, et potẽs ſit exhortari in doctrina ſana, et contradicentes arguere) non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidũ, non pugnantem aut litigioſum, qui propriæ domui benè præſit, filios habeat ſubditos in ſubjectionẽ cum omni caſtitate. Si aũt propriæ domui praeeſſe nequeat, quomodo praeeſſe poterit Eccleſiæ, non νεόφυτ, aut nuper inſitum, ne in ſuperbiam elatus, in laqueũ incidat Diaboli. Oportet en. illud caveat bonus gubernator Eccleſiæ, ut non in opprobrium incidat et laqueum Diaboli. 1. Tim. 3. et ad Tit. 3.

Neophytum non vult, quòd non ſatis ipſis ſubactum, ſanum & grave judicium, quale veteranis & exercitatis, juxta illud Euryp. ἀλλ' ἡ ἐμπειρία ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον. Deinde nimia eſt curioſitas, ambitio major, qua urgent amore vanæ gloriæ, ut gaudeant nova, plauſibilia paradoxa & dogmata ſpargere in vulgus. Præclarè dixit Antonius Eremita: Si quis viderit juvenem de arduis rebus diſputantem, & jam altero pede cœlum aſcendiſſe, detrahendum eſſe in terram, & retinendum in doctrina de communi vita. Tum ſunt πολυπράγμονες, volunt alterum pedem habere en Eccleſia, alterum in curia. Deinceps ſunt nimium in omnem partem vehementes, nimiúmque affectibus indulgent, & ſerviunt. Adhæc, mirantur ſc. ſua dicta, & facta ſua tanquam oracula ſuſcipi volunt, deſpiciunt aliorum judicia, pendent ab aura populari. Quo quiſque pluribus laboribus obnoxius, vexationibus & certaminibus, eò minus erit φίλαυτος. Ita Paulo Angelus Sathanæ dabatur, qui contunderet eum colaphis, ne extolleretur.

leretur. Præterea sunt inconstantes, varii, leves, nullo usu, nulláq; experientia, ut vacillent & fluctuēt eorum animi, ut facilè odio, familiaritate, gratia, cupiditate mutentur. Porrò, consilia sua nimium præcipitant, & imperitia adfert audaciam: ut verè dixerit: Ad pœnitendum properat, citò qui judicat.

Quæ est forma eligendi Episcopum?

Decretum fiat ab his, qui civitatem incolunt, super personis tribus, rectæ fidei, & honestæ vitæ, aliorum bonorum & ornamentorū, virtutumq; testimoniū habentibus, & ex ipsis magis idoneus ad Episcopatū promoveatur. l. omnem. h. t. ut si (Deo authore) puris hominum mentibus, nuda electionis conscientia, syncero omnium judicio Episcopus provehatur, nemo gradum sacerdotij precio mercetur. quantum quisq; meretur, non quantum dare possit, æstimetur. Profectò quis locus tutus, & quæ causa excusata poterit esse, si veneranda Dei templa pecuniis expugnentur, quem murum integritatis, & quod vallum fidei providebimus, si auri sacra fames in penetralia veneranda proserpat? Quid deniq; cautum esse poterit, aut securum? si sanctitas incorrupta corrumpitur? Cesset prophanus ardor avaritiæ, & à sacris ædibus repellatur piaculare flagitiū. Itaq; castus humilisq; eligatur nostris tēporibus Episcopus, ut quocunq; locorū venerit, omnia vitæ sua innocentia purificet, nec præmiis sed precibus ordinetur. Tantum ab ambitu debet esse remotus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola necessitas illi suffragetur excusandi, l. si quenquam 31. h. t.

Episcopi verò & cæteri quomodò ordinari debeant, ex auctoritate, Carthag. Concil. 4. cui interfuit Augustinus tempore Honorii Augusti, ostendamus ab examinatione incipientes.

Dist. 23. c. 5.

Qui episcopus ordinandus est, anteà examinetur, si natura sit prudens, si docilis, si moribus temperans, si vita castus, si sobrius, si pervigil, si semper suis negotiis cavens, si humilis, si affabilis, si misericors, si literatus, si in lege Domini instructus, si in scripturarum sensibus cautus vel acutus, si in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatus, & ante omnia, si fidei documenta verbis simplicibus asserat: id est, patrem, & filium, & spiritum sanctum unum Deum esse confirmans, totamq; trinitatis unitatem, Deitatem, coëssentialem, & consubstantialem, & coæternam, & omnipotentem prædicans: si singulas quasq; in trinitate personas plenum Deum, & totas tres personas unum Deum, si

incarnationem divinam, non in patre, neq; in spiritu sancto factam, sed in filio tantùm credat, ut qui erat in divinitate Dei patris filius, Deus verus ex patre esset, & verus homo ex matre, carnem ex matris visceribus habens, & animam humanam rationabilem, simulq; in eo utriusq; natura, id est, Deus & homo: una persona, unus filius, unus Christus, unus Deus, creator omnium quæ sunt, & auctor, & rector, & Deus cum patre & spiritu sancto omnium creaturarum, qui passus sit pro salute nostra, vera carnis passione, & mortuus vera corporis sui morte, resurrexit vera suæ carnis receptione, & vera animæ resumptione: in qua veniet judicare vivos & mortuos. Quærendum est etiam ab eo si veteris & novi testamenti, id est, legis & prophetarum & apostolorum unum eundemq; credat auctorem, & demum vivos ac mortuos judicaturum: & si diabolus non per conditionem, sed per arbitrium factus sit malus. Quærendum est etiam ab eo si credat hujusmodi quam gestamus carnis & non alterius resurrectionem, si credat judicium futurum, & recepturos singulos pro his quæ in carne hac gesserint, vel pœnas, vel præmia, si nuptias non prohibeat, si secunda matrimonia non damnet; si carnium perceptionem non culpet: si pœnitentibus reconciliatis communicet, si in baptismate omnia peccata, id est, tam originale peccatum contractum, quàm illa quæ voluntariè admissa sunt, dimittantur, si extra Ecclesiam catholicam nullus salvetur. Cùm in his omnibus examinatus, fuerit inventus plene instructus: tunc cum omni consensu clericorum & laicorum, & conventu totius provinciæ episcoporum, maximè metropolitani vel auctoritate vel præsentia ordinetur episcopus, suscepto in nomine Domini nostri Iesu Christi episcopatu, non suæ delectationi, non suis moribus, sed his patrum diffinitionibus acquiescat.

Item Isidorus de vita Clericorum lib. 2. cap. 2. de Eccles. offic.

His igitur lege patrum cavetur, ut à vulgari vita seclusi, à mundi voluptatib. se abstineant, non spectaculis, non pompis intersint, convivia publica fugiant, privata non tantùm pudica, sed & sobria colant, usuris nequaquam incumbant, neq; turpium occupationibus lucrorũ, non fraudibus cujuscunq; studium appetant, amorem pecuniæ quasi materiam cunctorum criminum fugiant, & secularia negotia, officiaq; abnuant, honoris gradum per ambitionem non suscipiant, pro beneficio medicinæ Dei munera non accipiant, dolos & conjurationes caveant, odium, æmulationes, obtrectationes, atq; invidiam fugiant: non vagi

vagi oculis, non effreni lingua, aut petulanti fluidoq; gestu inceđant, sed pudorem & verecundiam mentis simplici habitu incessuq; ostendant, obscœnitatem etiam membrorum & verborum, sicut & operū penitùs execrentur: viduarum & virginum frequentationes penitùs fugiant, contubernia extranearum fœminarum nullatenus appetant, castimoniam quoq; non violati corporis perpetuò observare studeant, aut certè unius matrimonii vinculo fœderentur; senioribus quoq; debitam præbeant obedientiam: neq; ullius jactantiæ studio semetipsos attollant, postremò doctrinæ lectionibus, psalmis, hymnis, canticis, exercitio jugiter incumbant: tales enim debent esse qui divinis cultibus sese mancipare student, scilicet ut dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis administrent.

Præstat paucos bonos idoneos, quàm multos malos ordinari, c. tales 4. dist. 23.

Nec ordinetur indoctus, imprudens, infamis, non ebriosus, homicida, simoniacus, apostata, hæreticus, non inbaptizatus, non rebaptizatus, non detrectans votum continentiæ. Dist. 28. c. assumi, non bigamus, non qui viduam, adulteram, meretricem, ancillam publicis spectaculis mancipatam, vel consobrinam duxit, non habentem concubinam, non furiosus, epilepticus, non corpore vitiatus, non minor ætate, non militans, non decertans in foro, non scenicus, non usurarius, excommunicatus, suspensus, non invitus. Hæc I. Pontificio caventur.

Quæ antecedunt ordinationem?

Vt ordinandi vires expendantur; ut conventus indicetur, & consilium priùs habeatur, ut ordinandus priùs examinetur: ne ad intercessionem vel preces ordinetur: ut consensus, voluntas & zelus ordinandi exploretur, ne sine præsentatione patroni fiat; ut sint probati.

Nemo absolutè & sine titulo ordinetur, testimonium in ordinatione adhibeatur: cautio ab ordinando exigatur: qui indignum ordinavit, reus est scandali, quod per ordinatum oritur, 1. q. 1. c. hi quoscumq;: ut docere & instituere populum possit: gratiam in docendo habeat: dissimulet eloquentiam, non fugiat: peccata populi redarguat: sacram scripturam rectè intelligat: non omissis sacris prophanas legat, ne sit prodigo similis, qui de siliquis quas porci manducabant, ventrem suum replere cupiebat. Legimus de beato Hieronymo, quòd cùm libros legeret Ciceronis, correptus sit ab angelis, eò quod vir Christianus paganorum figmentis vacaret, dist. 37. c 8. Gregorius quen-

dam Episcopum non reprehendit, quia seculares literas didicerat, sed quod contra Episcopale officium. pro lectione Evangelica grammaticam populo exponebat: secularia non tractet: nō procurator, non tabellio, non conductor, non fideiussor, non patronus: non plura beneficia ecclesiastica habeat; hospitalis sit, ne cum mulieribus confabuletur, converfetur, nec deniq; eas osculetur. dist. 4. c. monachi: non recedant ab Ecclesia sua: non transeant ad alias: nulli noceat, omnibus prosint: nihil præter Deum & salutem animarum curent.

Qua ætate debet esse Episcopus?

Minorem (inquit Iustin.) 25. annis ordinari prohibemus, Authen. presbyterum h. t. Quod Zacharias Papa non admittit ante 30. ann. quo Christus baptizatus est, & prædicavit dist. 88.

Quæ præterea Episcopis ex legibus nostris incumbunt?

1. *Vt in redemptionem captivorum relicta, modis omnibus exigant, pecuniam consecuti statim, actibus intervenientibus, quantitatē & tempus sine ullo dispendio publicent. l. 20. & vid. Auth. seq.*

2. *Nullum arceat à sacrosancta Ecclesia, & communione, nisi causa probata sit. l. Episcopis 3.*

3. *Debent residere in sua Ecclesia. Vagi enim & oberrantes non sunt Ecclesiæ impensis alendi. Novell. 66. c. 3.*

4. *Ad comitatum Principum non accedent sine susceptis literis, nec annum extra Ecclesiam degent. Novell. 66. c. 3. & 4.*

Quæ sunt privilegia propria Episcopis?

Nec honore, nec ll. ad dicendum testimonium flagitandus. Nam & persona oneratur, & dignitas sacerdotalis exempta confunditur, l. 7. Iudex tamen mittet ad eos, ut dicant ea quæ noverint, non tamen jurent. Auth. sed hodie.

2. *Nullus Episcopus invitus, ad civilem vel militarem judicem in qualibet causa producitur vel exhibetur, nisi princeps jusserit. Auth. nullus.*

3. *Nihil pro rebus Ecclesiæ suæ agens, sportularum nomine præstat. Auth. sed hodie.*

4. *Episcopalis ordo liberat à fortuna servili vel ascriptitia. Auth. 5. Episcopalis. Novell. 124. c. 4.*

5. Liberat

5. Liberat filium à patria potestate. Novell.8.

6. Episcopus etsi vult non potest esse tutor, vel curator. Auth.presbyteros.

Quomodo puniuntur, qui vel temeritate violant, vel dissimulatione negligunt hæc privilegia?

Quinque libris auri mulctantur, l.3.

Vnde dicti sunt Clerici?

ἀπὸ τοῦ κλήρου Græcè, quod Latinè vel munus, vel hæreditatem, vel sortem significat. Inde dicti Clerici quòd de sorte Domini sint, vel fortè quemadmodum Matth. electi, vel quia partem Domini habent. Generaliter omnes Clerici nuncupantur, qui in Ecclesia serviunt, c.2. dist.21. Nitatur (inquit Hieronymus) esse quod dicitur, & talem exhibere debet, ut ipse possideat Dominum, & ipse possideatur à Domino. Cui congruit illud Ambrosii, Cui portio Deus est, nihil debet curare nisi Deum, nec alterius impediatur necessitatis munere. Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui atq; huic nostro officio decerpitur.

Quales esse debent qui in clericos ordinantur?

Sciant literas, & rectam fidem, vitámq; habeant honestam. Novell.124 c.12.

Quæ sunt communia clericorum privilegia?

1. Vacatione gaudeant ad novas collationes, neq; ad hospites suscipiendos obligantur l. 1.

2. Non tenentur ad munera sordida aut extraordinaria.

3. Non vocantur ad parangaria præstanda, nec eorum facultates aut substantia. l. 1. & qui ausint imponere triplum refundunt nihilominus banno imperiali subjecti. Auth. eod.

4. Personalium munerum expertes sunt l 6.

5. Presbyteri citra injuriam quæstionis testimonium dicant, ut tamen falsa non simulent salva litigatoribus falsi actione. Hoc ipso quod nihil metuentes vera suppresserint, magisq; digni sint pœna. Quibus cùm plurimùm honoris defertur, occultè inveniuntur in cri-

mine. l. 8. Non possunt tamen trahi ad aliud forum, quàm ad Episcopalem audientiam: nec præstant juratoriam cautionem, cui tamen privilegio renunciare possunt. l. si quis in conscribendo 51. Contrà Iure Canonico. c. significasti. 2. x. de foro Compet.

6. Si servus sciente, & non contradicente Domino in Clericum ordinatus sit, hoc ipso & liber & ingenuus est. Auth. Si servus. Ipso Iure immunes sunt ab onere tutelæ, sive testamentariæ, sive legitimæ, sive dativæ. l. generaliter 52. Possunt tamen si velint cognatorum esse tutores, Auth. presbyteros.

Quibus vetantur nuptiæ & cur?

Qui clericatus honore censentur, vel cujuscunq; gradus sacerdotio funguntur, horum cessent conjugia; soli lectores cantoresq; nuptias contrahere permittuntur. l. 19. & Auth. seq. Episcopo nullam mulierem secum habere licet, si habere probetur, ab Episcopatu dejiciatur, quo se fecit indignum. Auth. Episcopo eod. Convenit eligi atq; ordinari, quibus nec liberi sunt nec nepotes. Vix enim fieri potest, ut vacans hujus quotidianæ vitæ curis, quas liberi creant parentibus maximas, omnem curam, omnemq; cogitationem ad res Ecclesiasticas conferat. Oportet enim Episcopum minimè impeditum affectionibus carnalium liberorum, omnium fidelium spiritualem esse patrem. l. 42. §. 1. Sed potiùs loco uxoris adhæreat Ecclesiæ, loco verò liberorum, omnem Christianum & Orthodoxum habeat populum, l. sancimus 48. eod.

Rectène vetantur Clericorum nuptiæ?

Nequaquam: Nam hæc prohibitio pugnat primùm cum Constantini Principis primùm Christum professi constitutione, qua patet illius ætate libera fuisse sacerdotibus matrimonia. Deinde expresso Dei verbo, tum cum exemplis Apostolicis, & ipsorum etiam Patrum. Porrò cum ipsis Canonibus, atque adeò Iure naturæ.

Quomodo pugnat cum expresso Dei verbo?

Paulus disertè dicit quosdam in novissimis temporibus discessuros à fide, auscultantes spiritibus erroris & deceptionis & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi falsa loquentium, cauteriatam habentium suam conscientiam, probibentium nubere. 1. ad Timoth. 4. Item propter fornicationem unusquisque habeat suam conjugem, 1. Cor. 7. Nuptiæ quidem implent terram, nec virginitas tamen paradisum, sed fides.

Dic

Dic exempla Apostolica.

Petrus fuit maritus, cujus socrum febribus vehementibus correptã curavit Dominus. Matth. 8. v. 14. & 15. Philippo Euangelistæ fuere 4. filiæ. Act. 21. v. 9.

Dic exempla Patrum.

Ecclesiasticæ historiæ lib. 7. cap. 24. Polycrates de se ita loquitur: Ego omnium minimus vestrum secundum traditionem parentum meorum observo, eorum duntaxat, quos ab initio secutus sum, septem namque ex parentibus meis per ordinem fuerunt Episcopi, ego octavus.

Spiridion, Cyprius Episcopus filiã habuit Irenen nomine. Ibid. l. 1. c. 5.

In Synodo Nicena cùm à quibusdam propositum esset, ut sacerdotibus maritis prohiberetur conjugalis consuetudo: Senex Paphnutius, qui in Ægyptiaca Thebe Episcopus erat, dissuadens hanc legem dixit: conjugia dissolvenda non esse, & conjugalem consuetudinem castitatem esse. Synodus Paphnutii sententiam secuta sensit, nequaquam cælibatum recipiendum esse. dist inct. 31. ex tripar. Histor.

Ecclesiasticæ historiæ lib. 4. cap. 24. Dionysius Corinthiorum Episcopus scribit ad Gnosios epistolam, in qua deprecatur Episcopum Penitium, ne fratribus necessitatem compulsæ castitatis indicat, in qua nonnullorum infirmitas periclitaretur. Illius sententiam Penitius amplectitur. Graviter Ignatius, Virginitatis ait, jugum nemini imponito. Periculosa ejus possessio, quando coactis imperatur. Iunioribus concede conjugium: priusquam corrumpantur.

Bonifacius tertius.

Quia aũt secundum regionis suæ morem non abdicarunt copulã conjugalem, si lapsi fuerint, gravius puniãtur, cùm legitimo matrimonio uti possint, c. ut Clericorum 13. in fin. x de vita & honestate Clericorũ.

Idem.

Orientalis Ecclesia votum castitatis non recepit. c. cum olim 6. x. de clericis conjugatis, Rectè igitur & graviter Æneas Sylvius & ipse Papa dixisse fertur, ob aliquas causas matrimonia sacerdotibus esse adempta: sed multò esse graviores, justiores & majores rationes, quæ suadent, ut eadem ipsis restituantur. Gregorius magnus dicitur primus mandasse cœlibatum; sed posteà comperto, quòd multa adulteria, stupra, infanticidia committerentur, eundem revocasse, dicentem, melius esse, quàm cædibus & flagitiis occasionem præbere.

Qui ſunt Canones, cum quibus pugnat?

Si quis docuerit propriam uxorem obtentu religionis abjicere, anathema ſit. Conſulite Canones Apoſtolorum.

Si quis nuptias in accuſationem duxerit, & mulierem fidelem & religioſam cum viro ſuo dormientem abominandam crediderit, aut etiam accuſandam, tanquam non poſſe conjugatos in regnum Cœlorum ingredi, anathema ſit. Concilio Gangrenſ. Canon. 39. Infirmitas enim prona in ruinam turpitudinis excipitur honeſtate nuptiali, & quod ſanis eſt officium, ægrotis eſt remedium. Magiſter Sentent. lib. 2. diſtinct. 29. Verba ſunt Auguſtini.

Quid fugient clerici?

Vt nihil commune habeant cum publicis actionibus ad curiam pertinentibus l. 17. non ad tabulas ludant, aut aliis ludentibus participes fiant, aut inſpectores, aut ad quodlibet ſpectaculum ſpectandi gratia veniant. Auth. interdicimus. Non inſinuent ultimas deficientium voluntates, hoc enim eſt magiſtri cenſus. Abſurdum etenim clericis, imò etiam opprobrioſum, ſi peritos ſe velint oſtendere diſceptationum forenſium. l. repetita. 41. Arma non portet, neq; uſuras exerceat. c. 2. de vita & honeſtate clericorum.

A crapula & ebrietate omnes abſtineant, cùm ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. c. 14. eod. & v. ad Tit. 1. cap. & 1. ad Tim. 5.

Quid poſſunt in quaſi caſtrenſi peculio?

Conceſſum eſt Clericis, ut non ſolùm habere peculium quaſi caſtrenſe poſſint, ſed etiam de eo teſtari: adeò ut illorum ultima voluntas querelæ inofficioſi ſubjaceat. l. cum lege Leonina 50 k. t.

Licétne miniſtris Eccleſiarum & ſacerdotibus tenere proprium?

Vetus hæc quæſtio eſt cùm ſcriptum ſit. Non habentes æs in zonis, Mat. 10. Deniq; reditus Eccleſiarum traduntur eſſe eleemoſynæ, ut ex iis duntaxat tantùm accipiatur, quantum requirit ſuſtentatio. Extat etiam conſtitutio in decretis diſt. 10. q. 2. quæ vetat Epiſcopos & Diaconos alienare reliquos fructus, quia juvandi ſunt alii egentes. Manifeſta

festa confirmatio est licere, ex regula verissima, quæ adfirmat, omnibus Christianis licere uti ordinationibus politicis, & quidem agnoscere debemus, divinitùs institutas & approbatas esse sicut Proverb. 6. Libra & statera judicia Domini sunt. Et dictum Christi nominatim tribuit proprietatem docentibus. Luc. 10. Dignus est operarius mercede. Fit autem merces propria ejus, cui solvitur. Vt ministri revera sint fructuarii, quia in mercede proprietatem habent. Et verissimè dictum est: honestissimè partum esse, quod fideli labore docēdi partum est Sicut minister operā dare debet, ut faciat officium: et ne ipse sit oneri Ecclesiæ, aut nutricem voret more cuculi, & anguinam mercedē rependat, sed eam foveat: ita magistratus providere debet, ne ministris sit fame contabescendum, & cavere, ne semel à religiosa antiquitate ad Ecclesiæ commoda, legata bona in profanos usus convertat. Eaq; re se obliget duobus gravissimis sceleribus. Dum committit crimen ἱεροσυλίας. & promovet ruinam & interitū ministerii Euangelici. Quare cùm debeantur docentibus δίδακτρα, etiam pii Doctores bona conscientia possunt percipere stipendium & tenere proprium.

Et Paulus 1. ad Corinth. 10. tractat hunc locum, additis multis similitudinibus & rationibus.

1. *A militia, Quis unquam militavit sine stipendio?*

2. *A plantatione, Qui plantat vineam, an non edit de fructu ejus?*

3. *A pastoribus ovium, Quis pascit gregem & de lacte gregis non edit?*

4. *Ex allegoriis legis. Deut. 15 Bovi trituranti non alligabis os.*

5. *A similitudine sementis et messis: Qui seminant, eos est æquum & messis esse participes.*

6, *Ex sacrificiis Veteris Testamenti: An nescitis eos qui sacra operantur, ex sacris comedere? eos qui altari serviunt, de altari manducare? Item Gal. 6. Communicetur communicanti verbum.*

Consentaneum itaq; Reges & locupletes conferre ad conservationem ministerii & studiorum, sicut in Esaia scriptum est. Reges erunt nutritores tui, & Reginæ nutrices.

Respondendum ad superiores objectiones, & primum ad illam Matth. 10. Nam prohibet hoc dictum non proprietatem & usum necessarium argenti & æris &c. sed prohibet partim avaritiam, quæ prætextu ministerii quæruntur opes & potentia: partim pusillanimitatem

mitatem & diffidentiam animi, & deserentem ministerium propter inopiam. Nota est historia de Alexandro Papa, qui cùm Maximiliano I. dixisset: Nunquid jam possumus dicere cum Petro: Aurum & argentum non habemus. Subjecit Maximilianus. Atqui nec illud sancte pater potes dicere quod sequitur, surge & ambula. Alludens ad historiam, Act. 3. Albertus dux Saxoniæ dixit se habere Lipsiæ 3. genera hominum. Alios non attrectare pecuniam, & tamen abundare pecunia. Alios non habere fundos, & tamen habere granaria frumentis plena. Alios ne quidem conspectum mulierum ferre, sed tamen multorum liberorum esse parentes. Sic & ferè Bernard. dixit: Volunt esse humiles sine despectu, pauperes sine defectu, divites sine labore.

Prohibitio, dist. 10. c. 2. non loquitur de stipendiis eorum, qui labore docendi funguntur, sed de eleemosynis quæ præstantur sacerdotibus non amplius sustinentibus labores in Ecclesia. Deinde ut maximè urgeantur generaliter verba juris Canonici, tamen aliæ constitutiones aliis temporibus congruunt.

Ecclesiastica bona sunt eleemosynæ, scilicet respectu conferentis ad usum totius corporis Ecclesiæ, in quo plures sunt pauperes. Non verò illo respectu, quem habet minister ad partem, quæ ipsi tribuitur à procurantibus ista bona. Datur enim ipsi ut merces & longè tenuior, quàm pro debito & officio. Summum bonum est in genere humano communicatio vera & necessaria doctrina de Deo, de natura rerum, & de virtutum officiis.

Quale igitur jus habent pastores & ministri in reditibus Ecclesiarum, à majoribus constitutis?

Non tantum usum sed etiam usumfructum in reditibus annuis suarum Ecclesiarum. Ratio perspicua est quia reditus illi dantur ministris tanquam merces laboris & operarum, quas præstant Ecclesiis. Habent igitur in his reditibus potestatem non solùm sumendi de stipendio in præsentiam quantùm opus est: sed etiam ejus, quod supereft, fruendi, id est, possidendi, alienandi & disponendi pro arbitrio.

Quid

Quid de OEconomis, Ptochotrophis, Orphanotrophis & similibus?

Hi instar tutorum inventarium facere. & rationes redderr tenentur, sine tamen satisdatione, & conveniunt & conveniuntur. Novel. 131.c.15. & l.omnem.42.§. *necessarium.6.cum seq.* & l. Orphanotrophos.32.eod.

De Episcopali audientia. tit.4.

Synopsis tit. de Episcop. aud.

CVm nulla sit potestas sive Ecclesiastica sive Politica, quæ non aliqua mulcta aut pœna possit coërcere contumaces l.unic. Si quis judic. non obt curabit ut pauperibus subveniatur, ne egestate periclitentur, ne cum magno suo detrimento indefensi maneant l. 1. Furiosis & aliis prospiciet de tutoribus & curatoribus, nisi jam pater testamento dederit. L.de creatioribus. 27. ut parentes quoque indigni sint successione, si horum curam negligant. Auth. liberi ex Novell. 115.c. 3. At si pater fuerit demens, aut furiosus, liberi possint contrahere nuptias, dotem & donationem præfectorum urbis, vel antistitis moderatione consequi L. Tam dementis 28. Ad interrumpendam præscriptionē, si adversarius absit, vel sit deniq; infans, aut furiosus, aut maximæ potestatis, quisq; potest sibi porrecto libello, & denunciatione coram Episcopo vel judice consulere l. Sancimus.31. Idem in querela non numeratæ dotis vel pecuniæ valet l.si præsens.21. Qui tollunt et alunt pueros expositos, eorū Domini non efficiuntur. & liberi & ingenui sunt, vel ex ancilla nati l. Nemini.24. Curabit ne commentarienses sæviant in captivos, sed ut eos humaniter tractent l. Iudices. Primo die Paschatis, nullum teneat carcer inclusum, nisi sint tales, quorum dimissione publica gaudia contaminentur l. Nemo 3. Addictos supplicio & pro immanitate criminū damnatos, nulli & ne clerico quidem licet eximere: provocare licet. l. Addictos. 6. A sententia lata ab Episcopo ex prorogatione jurisdictionis, non appellatur l.Episcopale. Agat hoc, ne quis ad Advocatorum consortium adscis. nisi sacrosanctis religionis Catholicæ imbutus mysteriis l. Nemo. 15. l. jubemus. 19. Mimæ et quæ corpore quæstum faciunt non utantur Vestalium habitu l. 5.

Quæ

Quæ Oeconomia?

Quia inter cætera privilegia præcipuum hoc habet Episcopus, ut audire debeat, & quamvis præcipuum munus sit Episcopi doctrina verbi populum pascere & moderari, sed quia non omnes dicto audientes sunt, nec hujusmodi ratione ad disciplinam perduci aut in officio contineri possunt, opus fuit aliqua superioritate, id est, Episcopali audientia, sine qua Ecclesia cultrix & mater Iustitiæ nihil haberet nervorũ aut authoritatis. Audientia enim pro exercitio jurisdictionis, sicut auditorium locus est ejusdem. Fac. Lecta. Si cert. 1. pet.

Quæ tractantur hoc titulo?

Primùm cur hic titulus ita inscribatur: quid sit Episcopalis audientia: tum quot modis ea exerceatur: hinc quæ pertineant ad ius, ad curiam, ad reverentiam Episcopi: Porrò de pœnis, quas potest Episcopus infligere. Vltimò de gradibus fori Ecclesiastici.

Cur de Episcopali audientia, & non potiùs de jurisdictione Episcopali?

Quia nec forum, nec Iurisdictionem. ll. habet, nec apparitionem, nec exequutionem: sed eorum ut Iudicum delegatorum, qui etiam notionẽ non Iurisdictionem habent, sententias Magistratus exequitur. l. 8. Audientia igitur Episcopalis ad differentiam jurisdictionis politicæ.

Quid est Episcopalis audientia?

Est forum & judicium Episcopale. l. Episcopale, 8. h. t. quasi quædam jurisdictio Ecclesiastica in personas & res Ecclesiasticas, ll. Impp. concessa, ut jus clericis, OEconomis, & similibus personis dicant, controversias de rebus Ecclesiasticis dirimant, introducta πρὸς θέσιν τῶν εὐσχημάτων, ut omnia honestè & piè in Ecclesia fiant, καὶ πρὸς ἀναίρεσιν τῶν κακῶν.

Quotuplices sunt causæ?

Alia est Ecclesiastica sive divina: alia humana.

Quotuplex est Ecclesiastica?

Hæc est aut criminalis: aut non criminalis.

Quotuplex est non criminalis?

Vel secularis, ut cùm de pecunia: vel spiritualis, ut cùm de primitiis, decimis, vel oblationibus agatur.

Quotuplex humana?

Triplex: vel pecuniaria, vel civilis, ut cùm de statu, vel criminalis, ut cùm de falsa moneta, homicidio, & similibus agitur.

Quot genera causarum audit Episcopus?

Pecuniarum & Simoniæ: reliqua ad Civilem Iudicem pertinent.

Quot modis Episcopus suam audientiam interponit?

Aut sponte, & de partium voluntate & consensu, veluti quando cognoscit inter duos laicos, aut inter duos Clericos non suos. Aut necessitate, videlicet, inter suos Clericos, aut si Laicus vel Clericus extraneus conveniat suum Clericum, idq; sine damno conficiendorum instrumentorum, ac sportularum. Auth. ult. h. t.

Quæ pertinent ad jus Episcopale?

Vt ipsis Episcopis in consilium adhibitis defensores civitatum, tutores vel curatores minorum deligantur. l. sancimus. 30. h. t. Aut furiosorum constituant, efficiantq; ut ipsi jurent, omnia sese rectè & cum utilitate furiosorum gesturos, neq; prætermissuros, quæ utilia furiosis esse putarint, neq; admissuros quæ nō utilia existimarint. Et inventario cum omni subtilitate conscripto publicè, res suscipiant, & secundum suam sententiam eas disponant, sub hypotheca rerum suarum, l. de creationibus. 27. Item querela non numeratæ pecuniæ vel dotis absente Magistratu l. 21. & qualibet alia præscriptionum interruptio vel contestatio apud eos instituantur. l. 31. 32. Tam dementis quàm furiosi filiæ dos, & filii donatio propter nuptias, tum pro opinione personæ, tum pro rerum moderatione ordinentur. l. 28.

Quæ ad curam Episcopi?

Disciplina Ecclesiæ, Clericorum, & illud inter cætera, ne aleæ vel spectaculis dediti sint. l. 25. & v. omnino. l. ult. h. t. Et ne per vim vel usurpationem, judicatos, addictósque supplicio eripiat l. 6. ut nullum primo die Paschatis teneat carcer inclusum, omniumq; vincula dissolvantur, exceptis iis, de quibus meminit l. 3.

Quæ præterea?

Pauperes. l. 1. captivos visitent, & inquirant causas cur detineantur, l. 22. impediant, ne in urbe sint privati carceres. l. 23. infantes expositi. l. 24. meritoriæ puellæ lenonum injuria captæ & oppressæ. l. 33.

Inspectio

Inspectio operum publicorum, cautionúmq; civilium, & pleraq; officia pia & sancta, ne alii quàm Christiani vocati recipiantur. l. 15. ne alii milites l. 20. nec defensores plebis. l. 19. cum Auth. seq. nec alii quàm Christiani ad Reipubl. curam vel administrationem, vel juvenum institutionem admittantur, datis paganis & hereticis tribus mensibus ad resipiscendum. Singulis annis cum tribus bonæ existimationis viris, & qui cæteris in ea civitate præstant, opera facta inspiciant, & curent ut rationes conficiant, qui ea administrarunt l. 25.

Quæ pertinent ad reverentiam Episcopalem?

Ne ab illorum sententia appelletur l. 8. Si qui fortè ultrò eos judices optarint, cùm tamen alias ex consensu utriusq; partis judice dato sine vinculo compromissi liceat apellare. l. ex consensu. ff. de appell. Licet tamen intra decem dies contradicere his, quæ judicata sunt, ut judex locorum examinet, qui si invenerit rectè judicatum, tunc sua confirmet sententia, & propria tradat exequutioni, si non, tum à sententia judicis appelletur. Aut. fin. h. t. eod.

Qui sunt gradus fori Ecclesiastici?

Apud Episcopũ loci primũ instituẽda est actio vel accusatio, ab eo revocatur ad Metropolitanũ, ab hoc ad synodũ, à qua ad patriarchã &c.

Potéstne Episcopus punire?

Habet quidem potestatem puniendi, non tamen corporaliter pœna sanguinis. Iason in l. transfugere numero 4. C. de transactionibus. Damnandi ad carceres perpetuos, c. quamvis de pœnitent. l. 6. Interdicendi. c. 3. 8. de officio Ordinarii Suspendendi. d. c. 3. Mulctandi. Glo. & Dd. in. c. 3. & c. dilectus. de pœnis: Ita tamen ut mulctæ non ipsius sint, sed in pauperum, atq; alium pium usum convertantur.

Sed quousq; hæc potestas seu audientia sese extendat valdè & variè agitatur.

Possit hoc loco quæstio proponi, utrumne probanda sit constitutio Bonifacii 8. quæ præcipit, credendum esse jus divinum tribuere Romano Episcopo utrumq; gladium, id est, esse eum summum Episcopum & habere auctoritatem supra Reges talem, ut cùm vacant regna, ad ipsum pertineat, præficere Reges: Item ut obedientiam ei debeant in causis politicis. c. Vnam sanctam Ecclesiam. in Extravagãt. In verb. In hac ejusq; potestate duos esse gladios: spiritualem videlicet & temporalem Euangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus apostolis: Ecce gladii duo hic: Luc. 23. in Ecclesia scilicet cùm Apostoli loquerentur

rentur, non respondit Dominus nimis esse: sed satis. Certè qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat: malè verbum attendit Domini proferentis. Converte gladium tuum in vaginam. Matt. 26. Vterque ergo in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet & materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exercendus. Ille sacerdotis: is manu Regum & militum: sed ad nutum & patientiam sacerdotis: & temporalem auctoritatem spirituali subjici, &c. Hoc Bonifac. de adserendo utroq; gladio. Hæc ideò disceptantur, ut junioribus in conspectu sint discrimina utriusq; potestatis Politicæ & Ecclesiasticæ, quarum confusio non solùm errores, sed etiam ingentia bella peperit. Plurimum autem ad veram reverentiam, & ad flectendos animos, & ad pacem conducit, fontes hujus doctrinæ nosse.

Discrimina utriusq; potestatis sunt quatuor. Differunt objectis, potestate ferendarum legum, beneficiis & modo executionis in pœnis.

1. Potestas politica, cui Deus permisit imperium & auctoritatem, Luc. 22. Rom. 13. 1. Pet. 13. versatur circa externam disciplinam, quam tueri debet. Sed Ecclesiastica debet sonare vocem Euangelii, quæ non tantùm regit externos mores, sed arguit & sanat corda: atq; ita nudum famulitium, & simplex ministerium tribuit, quemadmodum Ioannes de se pronunciat. Ego sum vox clamantis in deserto. Complanate viam Domini, Ioan. 1. Presbyteros qui inter vos sunt, precor ego unà presbyter ac testis adflictorum Christi, idemq; gloriæ patefaciendæ consors, pascite gregem, neq; ut dominantes cleris 1. Pet. 5.

2. Potestas politica habet auctoritatem suas quasdam leges condendi; Minister Ecclesiæ non habet similem potestatem leges condendi.

3. Per vocem Euangelii Deus dat æterna bona, remissionem peccatorum, & Spiritum sanctum, & vitam æternam. Hæc aliena sunt à potestate politica. Hujus subjectum sunt res humanæ, quæ vitam, corpus, bona, existimationemq; attingunt, & civilem rerum societatem tuetur ac fovet, illius res divinæ & sacræ, & sanctam rerum sanctarum communionem spectat & curat.

4. Differunt modo executionis. Etsi enim oportet utramq; potestatem habere jus coërcendi, tamen hoc interest, Magistratus politicus coërcet vi corporali: sed Ecclesiastica potestas tantùm punit verbo, scilicet legitima excommunicatione, atq; ô si utraq; potestas intra metas & limites sui muneris se contineret.

Cùm Iulius II. Pōtifex educeret copias cōtra Gallos præ indignatione claves abjecit in Tyberim, & in hæc verba prorupit: Quoniam mihi non

possunt opitulari Petri claves, deinceps gladius Pauli subsidium ferat. Vnde versus nati sunt. Cùm Petri nihil efficiant ad prælia claves,
Auxilio Pauli forsitan ensis erit.

Iam igitur ad quaestionem responderi perspicuè potest. Nullus minister Euangelii jure divino habet utrumq; gladium. Manifestè repugnant haec dicta: Sicut me misit pater, sic ego mitto vos. Reges gentium dominantur eis, vos autem non sic. Quòd autem multi Episcopi vel Pastores habent Politicam jurisdictionem in aliquibus locis, habent eam donatam auctoritate humana, ut multi alii patres fam. habent talem jurisdictionem in suis prædiis, quæ habet suas metas, ut notum est. Impp. Reges & Principes initiò contulerunt plurimas ditiones, pagos, fundos, ut Ecclesia & schola haberent certos reditus. Et unà cum pagis eis etiam fuit commissa Iurisdictio, sicut Academiis sunt attributa certa prædia & fundi, in quibus similiter habent jurisdictionem. Sed Episcopi abutuntur hodie reditibus Ecclesiæ, neglectis scholis & pauperibus &c. Ecclesia non est politia similis regno, in qua oporteat unum caput visibile esse, armatum potentia & potestate condendi leges & interpretandi, taxandi & constringendi leges divinas & humanas. & hoc caput allegatum esse certo loco, & constitui electione certi collegii, ut in regnis politicis. Non sunt confundendi gradus utriusque potestatis, sicut illi qui abrogarunt imperium quibusdam & ad alios transferebant. ut puta contra Henricum 4. Rodolpho Suevia duci coronam misit cùm hac inscriptione Gregorius 9.
Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Cùm Albertus Austria dux, missis in urbem Oratoribus Pontifici Bonifacio voluntatem Electorum declarasset, de sui electione eámque confirmari peteret, superbè respondit, sine sua voluntate electionem factam robur non habere: penes se enim utriusq; gladii potestatem esse; id quod ipso apparatu in jubilao, quod tum Romæ agebatur solenniter ostentavit, primo quidem die solenni in pontificalibus, conspiciendum se præbens, Apostolicam populo benedictionem impertiit. Postero die temporali habitu, insula Cæsarea insignis, gladium ante se nudatum deferri jussit: & sedens alta voce clamavit: Ecce duo gladii hîc. Huic narrationi addit Albertus Crantius Epiphonema. Vides ô Petre successorem tuum, & tu salutifer Christe cerne tuum vicarium. Vides quò ascenderit superbia servorum tuorum. In glossa recitatur hoc distichon:
Servierant tibi Roma priùs Domini Dominorum,
Servorum servi, nunc tibi sunt Domini.

De

De hierarchia Romana, videant Chronica Peuce. lib. 5. c. de Ecclesia. pag. 678. unde hæc:

Pontifices Romani jam olim sua auctoritate, non divino mandato, et suis non cœlestibus legibus, condiderant, non Ecclesiam Catholicam Christo, sed hierarchiam sibimetipsis, similem politiis, descripto ex diaconis urbis Romæ & vicinis Episcopis collegio purpuratorum, in quo Nicolaus 2. à populo Romano jus omne atq; potestatem eligendi Pontificem transtulerat, distributis ordine in singula regna orbis Christiani Episcopis, ceu ducibus in provincias, qui auctoritate simili armati, & potentia politicis pari, aut majore etiam instructi essent, deniq; comparato exercitu innumerabilium monachorum velut exercitu. Hanc hierarchiam finxerunt esse Ecclesiam, neq; Ecclesiam tantùm, sed & catholicam prædicarunt, hoc nomine indicantes ut cœtum dispersum in totum orbem terrarum, & de doctrina atq; invocatione consentientem, qualis est cœtus Catholicæ Ecclesiæ Christi, sed hanc ad sedem Romanam alligatam hierarchiam, quæ complexa esset omnia regna orbis Christiani.

Extant fundamenta Ecclesiæ Christi immotis patefactionibus declarata divinitùs, quæ ostendunt regnum Christi Spirituale atq; æternum, non politicum: nec constitui aut regi vi, aut sapientia humana, sed inchoari prædicatione Euangelii in credentibus & obedientibus voci doctrinæ. Romanæ hierarchiæ fundamenta sancita sunt decretis Pontificum, perplexissimis disputationibus scholasticorum inter se dissidentibus, opinionibus erroneis, abusibus idololatricis, ritibus humana auctoritate confictis: & ipsos fateri oportet ea fidei & scripturis analoga non esse. Expressè Paulus testatur, Fundamentum aliud neminē ponere posse, nisi quod est positum: item, si quis aliud Euangelium prædicaverit, anathema sit. Vnde tota Germania sese impiæ prohibitioni conjugii, quæ decreta fuit à Gregorio 7. & promulgata à Moguntino, opposuit. Sunt in manibus scripta scholasticorum, qui in uno magistro sententiarum velut canone & norma fidei occupati, ne terram amittant, cœlo bellum inferunt, præferentes divinis sententiis Romana decreta, & ad hæc testimonia sacra inflectentes; non ex diverso.

Ex una enim hac hypothesi detexunt universa: Nullum dogma recipiendum esse inter articulos fidei, nisi sit aut expressè fundatum in scriptis Apostolicis & Propheticis, aut approbatum ab Ecclesia quo nomine Romanam intelligunt. Altera pars disjunctivæ manifestè falsa

est. addita eo fine, ut confirmet errores & idola Romanæ Ecclesiæ, ipsorum etiam confessione. Etsi enim Ecclesiæ commendata sint judicia de dogmatibus & delictis externis: tamen alligata est ad normam certam, scilicet ad Euangelium patefactum, ut hoc sonet & pronunciet mordentibus controversiis, quod vox Euangelii proponit. Hoc cùm animadvertissent recentiores aliqui, ut Occam & Gerson & alii offensi Thomæ & Scoti paradoxis, vehementer se torserunt, ut mediam quandam viam inter veritatem cœlestem & commenta Romana ingredientes, ne utrobi impingerent. Monet ut à conspectu monarchiæ Pontificiæ, & ordinariæ successionis oculi animiq; abducantur ad inquisitionem et considerationem veræ Ecclesiæ, quæ propriis & suis notis cognoscitur, ut professione veræ doctrinæ, vero usu Sacramentorum, & obedientia erga ministerium, ubicunq; locorum sit.

Gregorius Nonus, quod nomen fatale orbi Christiano fuit in Romana Hierarchia inde usq; à Gregorio magno superstitionum architecto. Nonus ille, Decretalium constitutionibus, quas opera cujusdam Raymundi Barchinonensis congessit, hierarchiam Romanam ceu Adamantinis vinculis, ne, ut existimabant, unquam convelli & labefactari posset, circumdedit, circiter annum millesimum, ducentesimum tertium.

Bonifacius cùm templa plena essent theatricis missis, quæ impio & profano ritu contra institutionem Cœnæ Dominicæ mercede celebrabantur & applicabantur pro vivis & mortuis, & dominantur ubique ἀρτολατρεία, ita ut fierent concursus & dirigitur adoratio post consecrationem, elevatum, repositum et inclusum, quem à cōmentitia oblatione, hostiā nominant, et aleretur ad ædiculā ignis perennis, ut olim in templo Delphico, tanquā ad peculiare numen. Et sicut reges Persicos præcedebat equus gerens parvā aram, in qua inter modicos ignes refulgebat flāmula ignis sacri, quem Orismada vocabant. Hunc ceu numen colebāt & adorabant Persæ. Vt igitur rex videretur augustior & unà cum præsenti numine adoraretur, quod illi genti usitatum erat, cum hac pompa prodibat in publicum: Ita nunc Pontifices Romanos præcedit equus gerens panem consecratum, hoc symbolo agnosci, coli & conspici volunt in pompa publicorum spectaculorum tanquam terrena numina. Neq; exemplo regum Persicorum admittunt ullos, nisi qui geminatione supplici ad genua devoluti pedes deosculantur.

Disputatum quoq; fuit de auctoritate Pontificis & Synodi, utrius major esse deberet. Pontificis quem conveniat esse ἀνυπεύθυνον καὶ ἀνεξέταστον, quòd propter locum & munus quod gereret errare non posset.

Syno-

Synodus Basiliensis Pōtificem censura Synodi subjecit, quod Decretum confirmauit Nicolaus 5. sed cæteri secuti rursus id labefactarunt. Miror Pontificis encomium τοῦ ἄρχοντος κόσμου affectasse, quod nouerunt tribui Diabolo hosti filii Dei & Ecclesiæ ipsius. Si consultò id factum est, ingenuitatem laudo, quod usurpare titulum non erubuerint, cujus vices in terris gerunt. Si incogitantia, stoliditatem accuso, quòd cum religioso prætextu et simulatæ religionis affectatione pleraq; valere studuerint, hac in parte ambitionem suam, quod non texerint, aut pinxerint callidiús. Non enim, ut nōnulli putant, tantùm corruptos mores sacerdotum & Pontificum reprehendimus, sed titulum eis Ecclesiæ Dei detrahimus, eò quòd discesserint à fundamento Christi & Apostolorum. Et verè judicamus religionem Romanam esse abominationem desolationis, de qua vaticinatus est filius Dei, id est, idolum quod vastavit universam Ecclesiam. Consistit autem in quatuor maximis erroribus, quorum primus est, quòd delet doctrinam de lege & justitia fidei, & præcipit dubitationem, ex quo fonte scaturiit totum chaos pōtificiorum errorum & idolatriæ. Secūdus est, quia merita & cultus filii Dei proprios transfert in adorationem, oblationem, et applicationem panis consecrati pro vivis & mortuis ex opere operato in missa theatrica, & extra missam, cùm beneficia filii Dei applicet sibi unusquisq; non nisi fide propria. Tertiò, quia invocationem soli Deo præstādam, ethnico more dirigat ad homines mortuos. Quartò, quia ritus humana auctoritate institutos, ut vota monastica et similes innumeros cum opinione meriti, cultus, ac necessitatis, anteponit præceptis ac requisitis lege divina operibus, voce divina expresse docente. Frustrà Deū coli mandatis hominum. Habet Pont. Card. Patriarch. Archiep. Metrop. Ep. Antist. Sacerd. Past. Vicar. Archipresb. Archidiac. Diac. Subdiac. Lect. Acolyt. Exorc. Ostiar.

Hodie aliter in repurgatis Ecclesiis.

Publica administratio aut Ecclesiastica, aut Politica. Administratio Ecclesiastica est divinus ordo fidelibus ad sanctam rerum sanctarum communionem imperatus. Hujus duæ sunt species: Vna ad totius cœtus utilitatem. Altera ad tyronum & Candidatorum Sacræ Theologiæ pertinet, illa generaliter Ecclesiastica, hæc Scholastica vocatur. In externa cōmunione duo officiorum genera, spiritualia nempè et corporalia; prius Presbyterium, posterius Diaconia dicitur. Presbyteriū est administratio consilii ad tuendam & promovendam veritatem

doctrina, censuram morum, rituum honestatem, & in omnibus ordinem colendum necessariis: Diaconiam verò administrationem sacræ eleemosynæ. Has sancti Patres cum testamenti veteris ordine comparantes Presbyteros Sacerdotibus, Levitis Diaconos putaverunt successisse. 1. Tim. 3. Tit. 1. 2. Presbyterium plerumq; Ordinarium, interdum Extraordinarium. Hujus tres formæ ex S. S. discuntur. Primaria Apostolatus, Rom. 1. 5. hæc solùm à capite Ecclesiæ Iesu Christo demandatur. Secunda Prophetiæ, Prophetæ singulari modo scripturas interpretabantur, & eventa prænunciabant. Tertia Euangelistarum, qui Apostolorum quasi ἀκόλουθοι & comites Ecclesias à suis ducibus collectas augebant, & confirmabant in cognitione Dei & obedientia fidei. Ordinarii presbyterii duo gradus in scrip. exponuntur, Vnus eorum qui verbi prædicatione, & Sacramentorum administratione pascunt gregem Christi, 1. Tim. 5. 17. præter communia onera, quæ cum reliquo subeunt presbyterio. Alter eorum est, qui rebus Ecclesiæ præsunt, doctrinæ, morum, rituum, totiusq; ordinis censuram observantes, communi ferè cum superioribus opera. Hos promiscuè nominat S. S. inspectores, προεστῶτας, laborantes, duces, seniores, pastores, administros. Quæ tamen functiones communi usu certis vocibus distinguuntur, ut qui in verbo doctrinaq; laborant διδασκάλους doctores & magistros: hos κυβερνήσεις, id est, gubernatores vocet. Et usus obtinuit, ut illi Pastores, hi Presbyteri & Seniores nuncupentur. Hic ordo divinus est & auctoritate sacræ scripturæ comprobatus, sed à temporibus Apostolorum multæ distinctiones titulorum, dignitatum & plurium graduum in Ecclesiam invectæ sunt. Testes sunt locupletissimi hujus rei Chrysostomus, testis Ambrosius c. 4. ad Ephes. Et Paulus presbyterum à se creatum vocat Episcopum. Et quia cœperunt sequentes presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata est ratio; prospiciente concilio, ut non ordo, sed meritum multorum sacerdotum judicio crearet Episcopum, ne temerè indignus usurparet, & esset multis scandalum. Quæ hactenus congessit in unum Apostolus dicens 4. Ephes. Itaq; dedit Deus alios quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi &c. Pastores sunt seniores omnes, Doctores verò qui laborant in verbo & doctrina vitæ. Pastorum prima virtus, bene vivere. Ferrand. Carthag. lib. ad Reginan. Secunda, rectè docere. Optimè Chrysostomus Hom. 3. in Act. Apost. c. 14. Perquàm facilè est verbis philosa-

philosophari: doce me vita tua, hæc optima est doctrina. Melior est ille qui operibus docet: non ita insident animæ verba, ut opera. Quoniam si non habueris opus bonum, non solùm non proderis loquendo, sed plus oberis: Vtilius fuerit tacere: quid ita? quia sic mihi proponis, ut si esset ἀδύνατον. Vnde illud, qui docet & non facit, ille plus destruit quàm construit. Pastorum administratio est duplex, publica & privata. Publica tria exigit, primùm ut omnia quæ in Ecclesia geruntur sanctificari precibus à Deo petant. Secundùm ut ex Dei mandato & auctoritate Domini nostri Iesu Christi doctrina sacra gregem Dei pascant. Tertium, ut Sacramenta, velut visibilia quædam in Ecclesia administrent. Privata administratio erga singula membra in hisce tribus versatur, 1. quid spectet, quidve agat. 2. qua ratione in privatos agat. 3. deniq; quis sit finis & scopus istius actionis.

1. Spectat conscientias & mentes hominum. 2. Vt iis non dominetur, sed prosit solo verbo Dei: hoc unum pedum est retrahendis ovibus, baculus agendis & cibus pascendis nempè commoda doctrina, redargutione, eruditione, correctione, seu reprehensione & consolatione sacræ scripturæ. 3. Vt si qui aversi sunt à Deo resipiscant & ex animo convertantur; si qui adhuc Deo adhæreant, illi in salutari doctrina & vita probata confirmentur; si qui fuerint offensi, discant condonare; si qui offensionem dederunt, cum offensis in gratiam redeant, breviter ad continendam & agendam communionem sanctorum conspirent sanctissimè. Quæ sint partes & conditiones cum Doctoris Ecclesiæ, tum omnium piorum, Christophori imagine à D. Melanthone quasi ob oculos posita depingitur. Is enim Christum gerit monstrandum aliis hominibus. Oportet autem in tali viro magnum animi robur esse. Ideò pingitur magna corporis moles. Nam infinita pericula subeunda sunt docenti Euangelium, quare & iste heros per mare ac medios fluctus incedit, & undiq; circum eum natant variæ belluæ minantes ei exitium. Puer quem gerit exiguus est. Nam potentia Christi aliquando perexigua videtur, laborãt et periclitãtur Apostoli, nec videntur adjuvari à Deo. Et queritur Christophorus, inusitatum pondus esse. Puer ipse opprimit bajulũ. Sæpè enim Deus ipse videtur adversari ac irasci, & terret pios ac penè ad desperationem adigit. Interim tamen erigit se Polyphemus iste, ac sustentat se quadã arbore, hoc est, sancti in terroribus sustentãt & erigunt se verbo Dei. Et illa arbor primùm arida, posteà florere incipit. Nam doctrina parit multos bonos fructus, servat & doctorem & Ecclesiam. Quanquam impii ju-

dicant doctrinam inanem & inutilem esse. Præit autem in littore senex cum lychno, Is significat Prophetas, qui ante Christum natum de eo vaticinati sunt, & testimonio suo nos confirmant. Neq; verò deest victus piis, tametsi impii ubiq; cupiant eos perditos esse, ideò secum in pera piscem ac panem gerit. Vides quàm aptè in hac pictura significatum sit, qualem esse, & quid sustinere Christianum ac præcipuè doctorem Euangelii oporteat. Meritò igitur laudata est imago, & in omnibus picta templis, non ut per superstitionem coleretur, sed ut nos admoneret nostrorum periculorum. Presbyterorum & Seniorum officium in eo versatur, non ut sint homines personati titulis inflati, sed viri sancti, qui fide in Deum imbuti, & in obedientia ejus ambulantes, Domino auctore & Ecclesia sponsa ejus eligente ac vocante suscipiant ejus gubernacula, ut operam navent ad ejus conservationem, ædificationem & propagationem in Christo. Horum duo genera posuimus, pastores seu ministros verbi, & eos quibus Ecclesiasticarum rerum administratio credita est seorsim à verbi & Sacramentorum administratione. Horum functio partim communis cum ministris, partim singularis & peculiaris. In communi officio duo considerantur, quales debeant esse instituto vitæ, & qualis administratio. Instituto vitæ eadem præcepta conveniunt, quæ tribuimus ministris, 1. Tim. 3. Tit. 1. quia communis eorum appellatio. Administratio aut publica aut privata. Publica aut consilium Ecclesiæ spectat, aut universum cœtum: hoc utroq; modo æquum est, ut Seniores videant, ne quid Ecclesia detrimenti capiat. Privata ad singula Ecclesiæ membra sigillatim respicit. Ac singulorum quidem membrorum curam Seniores gerant, sive segnescentes ad bonum excitent, sive lapsos corrigant, sive ignaros erudiant, sive adversarios doctrinæ sacræ redarguant, sive abjectos animos consolentur verbo, sive concilient dissidentes, et ad mutuam dilectionem Christianamq; revocent: licet hæc eadem officia Christiani alii aliis ex charitatis lege debeant, tamen Seniores ad ea præstanda specialiter & nominatim, donis & auctoritate divina & consensione Ecclesiæ armati sunt. dati enim sunt Ecclesiæ Episcopi, hac ad Gal. 6. cum spiritu mansuetudinis: alii aliorum onera portate & implete legem Dei. Item jux. Matth. 18. ordine observato, quem Christus ibi præscribit. Non vult enim te, si fortè videris peccatum fratris tui, continuò in publicum evolare, & proclamare passim, ac divulgare aliena peccata, quod utique non corrigentis, sed potiùs infamantis esset: solus (inquit) inter te & ipsum corripe eum. Ubi enim

nim sibi secretum servari viderit, qui peccat, servabit & ipse emendationis pudorem: si verò sese viderit diffamari, illicò ad impudentiam denegandi convertitur; ita non solùm non emendaveris peccatum, sed etiam duplicaveris. *Consilium Ecclesiæ Senatumq; appellamus, quod Paulus πρεσβυτέριον vocat, Patres collegium sacerdotum, aut corpus; suffragiis & votis communibus ipsis omnis Ecclesiæ potestas ad exercendam justam disciplinam collata est, qua auctoritate veteres Iudæorum Ecclesiæ ob typos legales sacerdotis caruere, ut sint νομοφύλακες Christi. Diaconi obeunt corporalium rerum administrationem et ministerium interturbetur. Horum duo sunt genera Diaconi & Diaconissæ. Debent esse 1. inculpati, honesti & graves, 2. Non leves aut bilingues. 3. Non multo vino dediti. 4. Vt habeant mysterium fidei in pura conscientia. 5. Vt sint probati fidei vita, & administratione, antequam Diaconi constituantur. Tempus probationis quadriennium (teste Cypriano) instituit, Deus in lege quinquennium. Familiam ante omnia rectè constitutam habeant, uxorem, liberos, totam denique familiam fideliter diligenterq; institutam & informatam.*

Augustinus de sese utpute Presbyter & Episcopus ita loquitur: Nos, inquit, quos in isto loco, de quo periculosa ratio redditur, Dominus secundum suam dignationem non secundum nostrum meritum constituit, habemus duo: unum, quia Christiani sumus: alterum, quòd præpositi sumus. Illud quod Christiani sumus propter nos est: quod autem præpositi sumus, propter vos est. In eo quod Christiani sumus, attenditur utilitas nostra: in eo quod præpositi sumus non nisi vestra. Sunt multi Christiani & non præpositi, qui perveniunt ad Deum, feliciore fortassè itinere, & tantò expeditiùs ambulantes, quantò minorem sarcinam portant. Nos autem excepto eo, quod Christiani sumus, unde rationem reddemus Deo de vita nostra; sumus etiam præpositi unde Deo reddemus rationem de dispensatione nostra. Quòd præpositi sumus inter pastores reputamur, si boni sumus, & nos vobiscum oves sumus. lib. de past. c. 1. In exercitio officii, ut cum fructu fiat, non fide solùm & veritate opus est; verùm etiam prudentia maxima. Prudentia duo adhibet, salem seu acrimoniam, & gratiam sese modestè in animos hominum insinuantem. Deinde circumstantias accuratissimè circumspicit. Exempli gratia, in reprehensionibus observabit. 1. Quis in quem utatur reprehensionibus: an homo offensus, &c. 2. Cur utatur reprehensionibus: suáve causa an illius

qui peccavit: an alterius, an publica. 3. Quis adhibeatur in reprehensionibus modus: gravis an levis, &c. 4. Quod tempus sit ad reprehensiones commodum, quod cum ebrio, quod cum sobrio, irato, sedato &c. 5. Qui locus, clanculum, an coram testibus, &c. 6. Quibus adjumentis: an solus ipse praestare posses Matth. 5. & 18. Hac ratio & hi gradus privatorum efficiorum observandi sunt, ut optatum illum charitatis & pacis Christianae lege prudentiae finem consequamur. Singularem quandam prudentiam adhibeat opus est in functione sua, ut sanctè discernat privatas culpas à publicis & forenses causas ab Ecclesiasticis. In privatis ex analogia ordinis quem instituit Christus, 4 leges videntur futurae satis. 1. Presbyteri privatas culpas ne ad presbyterium deferunto, sed partes contendentes ad opus privatae reconciliationis remittunto. 2. Si ipsi fraternè inter se nequiverint convenire, ad arbitrium amicum exhortantur, ut amicorum opera fiat potiùs conciliatio, quàm presbyterii. 3. Eos qui arbitratui virorum bonorum non acquieverint, iterum & tertiò monente presbyteri: ita demùm posteà renuentes ad cognitionem presbyterii referunto, ut videat presbyterium reconciliationis impedimentum, & illud auctoritate verbi divini tollat. 4. Corrupta doctrina virum iisdem modis & gradibus revocanto, et (si fieri potest) convictum Dei verbo ad bonam frugem adducunto. In publicis peccatis hae leges ceu regulae ob oculos sunto. 1. Peccata publica cùm presbyterio innotuerunt, Presbyterium Ecclesiastica à forensibus prudenter discernito. Forensia sunt, quae humanae leges persequuntur, ut quae contra existimationem, vitam, corpus & bona proximi, & secunda tabula continentur. 2. Peccata cognitionis Ecclesiasticae, aut in consilio Ecclesiae reprehenduntor, si publicum Ecclesiae offenderunt aut in Ecclesia palam, auctoritate judicioque presbyterii, si Ecclesiae toti sunt scandalo, alia aliis sunt graviora & plus offensionis continent manifesta. 3. Forensia delicta, si cognitio magistratus praevenerit, presbyterium ne attingito: donec res cognitione civili judicata extabit. Quia res judicata pro veritate haberi solet. Ne Ecclesiastica cum Civili committatur, & utriusque auctoritas labefactetur magno Satanae gaudio. 4. Quòd si fori cognitione Presbyterium non praevenietur, tunc partibus suis fungitor ex Ecclesiasticae censurae lege, & peccatoris animam & conscientiam ad officium pietatis & resipiscentiae revocato: sed semper magistratui integram cognitionem reservato. 5. Si peccata sint hujusmodi, quae leges & magistratus negligant, videto

Presby-

Presbyterium ut eò graviorem disciplinam colat, ne fortè socordia ipsius invalescant mala: quid si tam cõmune & pervulgatum malũ sit, ut nulla severitate Ecclesiastica disciplina emendari possit, modestè quidem omnia tentare debet, ut rei iniquitatem ostendat, sed intereà patienter ferre, & publicis malis ingemiscere, ut eleganter August. donec meliora Deus. De peccatis quasi publicis leges. 1. Peccata quasi publica, nec manifesta cùm in quæstione facti versentur. Presbyterium Magistratui quærenda & pervestiganda relinquito. 2. Senior unicus si viderit maleficium & deprehenderit, ac non alius quispiam; ne ad presbyterium quidem referto, sed hominem privatim reprehendito. Nam unius hominis testimonio Lex fidem haberi vetat; præterea hic probationibus destitueretur, negaret ille. Sic Augustinus Sermon. 16. De verb. Domini. Nos volumus, inquit, corripere & corrigere: quid si inimicus quærit audire quod puniat? Nouit enim nescio quem maleficum Episcopus, & alius illum nemo novit: Ego volo eum publicè corripere, & tu vis eum inscribere. Prorsus nec prodo, nec negligo: corrigo in secreto, Pono ante oculos Dei judicium, terreo cruentam conscientiam. Hac charitate præditi esse debemus. Unde aliquandò homines reprehendunt nos, quasi non corripiamus: aut putant nos scire quod nescimus, aut putant nos tacere quod scimus. Sed fortè quod scis & ego scio: sed non coram te corripio, quia curare volo, non accusare: nec prodimus palàm, sed in secreto arguo. Ubi contigit malum ibi moriatur malum. *3. Sed si reus peccatum aliquod in aurem unius è senioribus aut totius presbyterii à se commissum retexuerit, ut consolationem acciperet, tunc neq; ille, neq; hoc confessionem hominis indicato. Communes de privatis & publicis peccatis leges. 1. Contumaces viros & sanctis Ecclesiæ monitis reluctantes Presbyterium admoneto, non posse eos bona fide ad communionem Christi coram Ecclesia in sacra cœna accedere, & Christo seipsos, tanquam sacrificia, exhibere, donec monitis Ecclesiæ obsequentes in gratiam cum suis fratribus redierint. arg. Matth. 5. Hos Sancti Patres nominabant Abstentos. 2. Pervicaces & ab omni resipiscentia obfirmato animo abhorrentes, nec ullis admonitionibus fractos Presbyterium Ecclesiæ totius precibus commendato, idq; dissimulato primùm peccato, & peccatoris nomine: deindè post aliquod tempus iterum, indicato palàm facto, sed suppresso nomine; postremò etiam facto & nomine auctoris pronunciato. 3. Quòd si per severitatem censuræ Ecclesiasticæ periculum*

erulum superventurum Ecclesiæ videatur, Presbyterium patienter ferto, quod cum pace Ecclesiæ nequit corrigere, ne cum Zizaniis triticum exstirpetur.

Unde August. Cùm idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis restat, quàm dolor & gemitus. Misericorditer igitur corripiat homo, quod potest, quod autem non potest, patienter ferat, donec aut ille desuper emendet, aut usque ad messem differat paleam ventilare. 4. *Resipiscentes Presbyterium probata pœnitentia publicè recipito, eisq; nomine Dei & Ecclesiæ benedicito, ac cum Ecclesia tota gratulator. Hoc pacem dari lapsis pœnitentibus, dixerunt veteres.* 5. *Sed si quis injuriam sibi ab Ecclesia contendat fieri: aut aliud docendum adserat: Presbyterium de sententia sua ne pervicaciter concertato, potiùs Ecclesiarum judicio rem totam permittito, eamq; ob causam Ecclesiarum Pastores tempestivè conveniunto, rem componunto, aut de ea judicanto. Act. 14. & 15. sic factum legimus. Presbyterorum duo genera Apostolus dicit: Unus est ὁ προεστὼς. qui præsidet: Alij sunt μεταδιδόντες, qui communicant, quæstiones, causas, judiciaq; sua de illis in medium afferunt. De Diaconis quæstio, duabus legibus expediri potest.* 1. *Diaconi bona fide, & mutuo consensu, consilioq; cum hilaritate administranto quod habent & possunt ex Ecclesiæ facultatibus.* 2. *Quod ipsis gravius videbitur; illud ex consilio & auctoritate Presbyterii, cui in adjumentum dati sunt, procuranto: Nam hæc ita fieri oportere, docent Apostolorum exempla, & prima διακονίας institutio. Act. 4. & 6. Hæc ex D. Francis. Iun. Ecclesiast. Semper cogitemus, ac præstemus.*

Et te confiteor sanctissima concio, qua gens
Christigenum arcano nexu coit omnis in unum
Corpus, & unanimis capiti sociatur Iesu.
Hinc proprium nescit, sed habet communia cuncta.

De Hæreticis, & Manichæis, & Samaritanis. tit. 5.

Quæ Continuatio?

Superioribus titulis de ministris Catholicæ fidei, de cultoribus Christianæ religionis, & qui fidem Orthodoxam custodiunt: Iam de hæreticis, &c. qui fidem impugnant, negant, confundunt, ipsamq; religionẽ

miserè dilacerant, & Ovile Iesu Christi turbant. Egimus & superioribus titulis de privilegiis Clericorũ, quæ non pertinent, nisi ad Catholicos & Orthodoxos: sequuntur rectè hæretici qui horum expertes sunt

Quæ tradentur hoc titulo?

Primùm unde dicti sint hæretici: deinde quid hæreticus: tum quotuplices: Hinc quomodo adversus eos procedatur: tunc de pœnis: porrò de liberis hæreticorum: de fautoribus: quæ pœna temporalis, si Dominus eos non punierit.

Unde dicitur hæreticus?

ἀπὸ τῆ αἱρέσιος id est ab electione: quòd scilicet eam unusquisq; eligat sententiam, quam putat esse meliorem. Quicunq; igitur aliter scripturam intelligit, quàm sensus Spiritus Sancti flagitat, quo scripta est: licet ab Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest. Hieronym. ad Galat. c. 5. Theodosius tradit eos nomen habere à pertinaci spiritu, & opinione singulari, duraq; frontis obstinato piaculo: & de carnis operibus est, eligens quæ pejora sunt. c. hæresis 24. q. 3. Unde hæresis dicitur falsa credulitas in rationali, perversa voluntas in concupiscibili, impugnationis pertinacitas in irascibili gloss. in c. qui aliorum 24. q. 3.

Novell. de Iudæis, Samarit. & hæretic. Frons enim hæreticorum frons non est. Unde quidam: Quid autem iniquius, quàm impia sapere, & sapientioribus doctioribusq; non credere? sed in hanc insipientiam cadunt, quicunq; ad cognoscendam veritatem non ad Propheticas literas, non ad Apostolicas voces, non ad Euangelicas authoritates, sed ad semetipsos recurrunt, Et ideò magistri erroris existunt: quia veritatis discipuli non fuerunt, c. quod autem. 30 q. 3. Id sciendum & retinendum, quod propriè hæresis versetur circa ea quæ fidei sunt. Unde absurdæ opiniones in philoso. Medic. Iure. Astron. non sunt hæreses censendæ. Et hæreticus differt à schismatico, qui tantùm à ritibus hominũ traditione constitutis recedit, diversis utitur, non tamen impijs tantùm à receptis variat. Hæresis est dissensio et distractio fidei et doctrinæ, schisma animorum etiam in religionis consensu: omnis hæreticus est schismaticus, sed non contrà.

Quid est hæreticus?

Est is qui vel levi argumento à judicio Catholicæ religionis vel tramite detectus fuerit deviare. l. 2. h. t. Aliter. Hæretici dicuntur, qui contra manifestam verbi Dei doctrinam, & veritatem, contraq; articulos

culos fidei, impias opiniones vel impium aliquod dogma in vulgus spargunt, & hoc, illasq; pertinaciter defendunt, nec emendare volunt c. qui in 24. q. 3. Multoq; damnabiliores ijs, qui errant. Quia alios offendunt & confirmãt. Breviter, non Orthodoxus est hæreticus, l. Quæ 48. h. t. Augustino hæreticus est, qui alicujus temporalis commodi, vel maximè vanæ gloriæ, principatusq; sui gratia falsas ac novas opiniones vel gignit vel sequitur. Et qui aliter scripturam intelligit, quàm sensus Spiritus Sancti flagitat, quo scripta est, licet ab Ecclesia non recesserit, hæreticus appellari potest: & de carnis operibus est, eligens quæ pejora sunt. c. hæresis 24. q. 3. Ille autem qui hujusmodi hominibus credit, imaginatione quadam veri illusus est. In lib. de Vtilit. credend. Idem. Qui moribidum quid, pravumq; sapiunt, si correcti ut sanum rectumq; sapiant, resistunt contumaciter, sua pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici sunt contra manichæos. c. qui in Ecclesia. 24. q. 3.

Quotuplices sunt hæretici?

Duplices: alij majores: alij minores.

Qui sunt majores?

Manichæi (quos ad imam scelerum nequitiam pervenisse ait. l. 5.) Arriani, Eutychiani, Samaritæ, Ophitæ. v. l. 5. h. t.

Quomodò proceditur adversus hæreticos?

Legitimus ordo rerum criminalium servandus est, præmissa denunciatione. Authen. Gazaros. Matth. 18. Tit. 3. & si ea nihil proficiatur, instituenda accusatio est, vel inquisitio, etiam absq; diffamatione procedente, substantialia legitimæ cognitionis non omittentur: ut sunt citatio partis, examinatio causæ idonea, admissio defensionum, probationum ab utraq; parte, per confessionem, testes saltem duos, omni scilicet exceptione majores, per literas, libros improbatæ lectionis, instrumenta, probatione contra hæresin impleta, quæ hîc urgentissima esse debet, adhibito sapientum consilio, & exquisito eorum, qui de verbo Dei, & illi contraria hæresi, rectè judicare possint, judicio, sententia declaratoria in hæreticum est ferenda. vid. 5. VVes. Sed etiam atq; etiam cavendum, ne pœna magis hæreticum designet, quàm causa convincat: ne injusti justos & innocentes, imò hæretici Orthodoxos persequantur: ne Agar iniqua Saram sanctam, ne Saul Davidem: ne Dominum pro latrone crucifigant. Nam, ut Apollinaris dixit, ubi veritas est Christi, martyriũ est, non pœna hæresis: et ut Cyprianus, Causa

facit

facit martyrem, non martyrium: ita supplicium non arguit hereticum.

Quæ sunt pœnæ?

Atq; hic observandum est, alias esse pœnas generales seu omnium communes: alias quorundam proprias scilicet majorum.

Dic pœnas communes omnium.

1. *Multis muneribus haretici astringuntur & subjiciuntur, l. 1. h. t.*
2. *Odio habentur omnibus & sunt. n. 45.*
3. *Mulieribus hareticis negantur privilegia dotis, quibus creditoribus tempore prioribus praferuntur, nec non de tacitis hypothecis Auth. item eod.*
4. *Omnia loca adimuntur, qua hujusmodi cœtibus copiam prabent, & ades illa vel loca Ecclesia Catholica vendicantur, l. 3. eod.*
5. *Prohibentur gerere magistratum, aut dignitatem habere, aut Ius dicere, aut defensores & patres civitatum fieri, ne habeant licentiam vexandi aut judicandi Christianos orthodoxos.*
6. *Item militare.*
7. *Haretico non licet synacteria aut collectas facere.*
8. *Non παρασυνάξεις, quia illorum conventicula & conciliabula non sunt Ecclesia, sed quasi Ecclesia. l. 5.*
9. *Non Synodos celebrare.*
10. *Non Baptisma; quia est παραβαπτίσμα, l. 8. et N. 132. c. 14.*
11. *Non testari. l. penult.*
12. *Non prophana illorum pracepta discere aut docere, aut fidem insinuare quam habent, & ministros creare, qui non sunt, nec per conniventiam Magistratus hujusmodi audacia negligatur, aut crescat. l. 2. Graviùs volunt puniri doctorés & corruptores, quàm discipulos.*

Quæ sunt pœnæ propriæ majorum?

His ex legibus nihil, nihil ex moribus commune est cum cateris. Publicum haresis crimen (quia quod in religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam) publicatione bonorum punitur. Vnde ijdem submoventur ab omni liberalitate, à successione: his convictis ne contrahendi quidem conceditur facultas: in mortem quoque inquisitio extenditur: suprema illorum scriptura irrita est: neq; his filij haredes existunt, nisi à paterna pravitate discesserint. Delicti enim venia pœnitentibus datur. l. 4. & 15. h. t. Vndiq; expelluntur, nec usquã commorandi habent facultatem, & capite puniuntur. l. 5. & 11. cum seq. eod. His non permittuntur ulla testimonia, sed inter se tantùm. l. penult.

penult.h.t. atq; sic error animi contra L. cogitationis. de pœn. punitur, dummodò ex indubitatis indicijs probari possit. (Quod non de supplicio capitis, de ultimarum voluntatum cessatione, & ad hoc, ut mortuus accusari & ejus memoria damnari posset, & non de amissione vitæ, sed de deportatione, accipiendas leges putant. Vt in politia sit exilium, quod in Ecclesia excommunicatio, & minus impingit in illud Christi, Matth. 13. Sinite crescere zizania. Ita intellectas fuisse constitutiones, exilium Arrij & similium docet.)

Quid juris de liberis?

Hæreticorum liberi Orthodoxi, qui nihil deliquerunt, indelibatum & indeminutum accipiunt, quod eis ab intestato competit, & adversus hæc facta, ultima voluntas infirmatur l. 13. Etiamsi uterq; parens fuerit hæreticus l. 18. & 19. h.t Orthodoxis liberis non existentibus ad agnatos vel cognatos eadem res, vel successio perveniat, post hos fisco vindicatur. d. l. 19. Quòd si liberi non Orthodoxi resipuerint, tum ijs bona sine ratione fructuum et administrationis restituuntur. Auth. Idem est. Quæ tamen novissimo jure non videntur procedere. Iuxta Auth. Gazaros. Quia longè gravius, æternam quàm temporalem offendere Majestatem.

Quid de fautoribus & horum defensoribus?

Hi, postquam excommunicatione fuerint notati, si satisfacere intra annum contempserint, ipso jure tunc sunt infames, neq; ad publica officia, concilia, vel ad eligendum aliquos adhibentur. Sunt intestabiles & incapaces relictorum. Præterea nullus illis, ipsi verò omnibus respondere coguntur: Si judices fuerint, neq; causæ ad eos deferuntur, neq; sententiæ illorum firmitatem habent: Sin advocati, illorum patrocinia non admittuntur. Si tabelliones, illorum instrumenta nullius sunt momenti. Auth. Credentes, eod.

Súntne igitur Hæretici occidendi?

Paterfamiliàs, id est, Deus non vult pseudoapostolus & hæresiarchas extingui, sed tolerari si fortè resipiscant, & ex zizanijs vertantur in triticum. Quod si non resipiscant, serventur ipsius judicio, cui pœnas dabunt aliquando. An leges Ecclesiæ sunt, quenquam ultricibus tradere flammis? Vitari jubentur, non exuri. An devitare, est in ignem conjicere? Auferte malum ex vobis. Num auferte valet idem, quod occidite? Arma militiæ nostræ non carnalia, sed spiritualia Eras. in supput. err. Bed.

Cùm

Cùm Donatistarum & Circumcellionum insanabilis esset insania, ut se & alios vexarent, eluscarent, gladio vel præcipitio necem accersserent, adhuc non placuit Augustino & aliis ad negotium quatenus Ecclesiasticum, imploratio profanæ potestatis, existimantibus non decere Episcopos aliis armis uti quàm verbo Dei, precibus, & si malum foret insanabile, anathemate, hoc est, separatione à cõmunione. Hoc tum erat extremũ Ecclesiæ supplicium, et sicut apud Ebræos, civilis mors dicitur exitium. ita apud Apostolos & horum successores, pœna capitis erat, ab Ecclesiæ consortio submovisse. Idẽ admonet Dulcitium tribunũ, ne quem capite plectat. Ex his satis liquet, quantùm illorum animus abhorruerit à confiscationum, carcerum, incẽdiorum sævitia, quæ nunc quibusdam sola placet, quorum erat mederi potiùs quàm interimere, & legum severitatem sua intercessione mitigare. Iam etiam ultra principum edictum, sævitur ab illis clementiæ magistris. Berengario ne tum quidem vis fuit adhibita, quum semel dimissus in eundem errorem esset relapsus. Nunc interdum monachi vanum spargunt rumorem, mox veluti suspectum pertrahunt in carcerem, ibi disputant suo more, notantur articuli, parantur fasciculi. Chrysostomus vir pius & scripturarum peritissimus, Matth. 13. Homil. 47. simpliciter interpretatur Domini parabolam hoc docere, ne trucidentur hæretici. & hujus sententiæ varias adfert causas. Hæc Eras. in Responsione de Inquisitione.

Hieronymus dixit, multorum corpora in terris adorari, quorum animæ apud inferos torquentur. Ita sæpè mundus canonizat, qui coram Deo abominabiles, ita quosdam sanctos, synceros, pios habet pro hæreticis & condemnat, quod apparet in Christo, Prophetis & Apostolis, Vbicunq; modò Christus existit, ibi semper inveniuntur Iudæ, Annæ, Caiphæ, Pilati & universa passio: ut Christiani nomen hæreticorũ ferant, & hæretici Christianorum, inq; catalogum Divorum referantur. Sic cum VVeselo Groningensi, Ioañe Huss, & aliis actum videtur. Eleutherius de non puniendis glad. hær.

Non opus est vi & injuria, quia religio cogi non potest: verbis potiùs, quàm verberibus res agenda est, ut sit voluntas. Distringant aciem ingeniorum suorum: si ratio eorum vera est, adferatur, parati sumus audire si doceant: tacentibus certè nihil credimus, sicut ne sævientibus quidem cedimus. Imitentur nos, aut rationem totius rei exponant. Nos non illicimus (ut ipsi objectant) sed docemus, probamus, ostendimus. Itaq; nemo à nobis retinetur invitus: inutilis est enim

Deo, qui fide & devotione caret. Et tamen nemo recedit, ipsa veritate retinente. Sciant igitur ex hoc ipso, quantum intersit inter verum & falsum, quando ipsi qui sunt eloquẽtes persuadere non possunt: imperiti ac rudes possunt quia res ipsa & veritas loquitur. Quid ergò sæviunt? ut stulticiam suam dum minuere volunt, augeant? longè diversa sunt carnificina et pietas: nec potest aut veritas cum vi, aut justitia cum crudelitate conjungi. Sentiunt en. nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eamq; summa vi oportere defendi: sed ut in religione, sic in defensionis genere falluntur. Defendenda religio est non occidendo, sed monendo: non sævitia, sed patientia: non scelere, sed fide: illa enim malorũ sunt, hæc bonorum. Et necesse quidem est bonũ in religione versari, non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, jam non defendetur illa, sed polluetur & violabitur. Nihil est enim tam voluntarium quàm religio: in qua si animus sacrificantis aversus est, jam sublata, jam nulla. Quid gravius dici posset? rogo. Lactant. lib. 5. c. 20.

Christianorum spiritus clemens est, comburit tantùm igne charitatis. Luc. 9. Nescitis cujus spiritus estis. Non quærit vindictam, sed peccatorum resipiscentiam. Non docet comburere errantes oviculas: sed Ezechielis 34. sanare infirmas, macilentas pascere, &c. Reg. de hæret. De magistratibus quidem dixisse Apostolum legimus, quòd non sine causa gladium geratis, & ministri Dei sitis, vindices in eos qui malè agunt. Sed alia est causa provinciæ, alia est Ecclesiæ. Illius terribiliter gerenda est administratio, hujus clementer commendanda est mansuetudo. August. epist. 150.

Tu quis es, qui alienum famulum damnes? Suo enim Domino stat, aut cadit. Omnes qui piè vivere volunt in Christo, persecutionem patientur. Nolite timere pusille grex, ego mittò vos sicut oves in medio luporum. Mundus gaudebit, vos autem plorabitis. Persecutiones fiunt aut invidiâ, ita Cainus Abelem interfecit: ita Scribæ & Pharisæi Christo insidiabantur: ita avaritiâ Demetrius Paulum persequebatur, quòd deos fabriles (ex quibus quæstum faceret) Paulus tolleret: ita libidine & cupidine concita Herodias caput Ioannis petijt, aut Zelo (sed non secundum scientiã) quo Paulus impulsus Christianos persequebatur. Ex persecutionibus seditiones & tumultus existunt, ut ex Antiochi Epiphanis temporibus Macchabæorum nec cessarunt nisi cessantibus illis: sic Hierosolymis cùm Scribæ & Pharisæi Christum infestarent. Hæc Kleynbergius. Petrus Ananiam & Sapphiram extinguit,

tinguit. Elias Baalis sacerdotes, Paulus Elymam Magum excæcat, non gladio, sed verbo Dei. Deniq; multi rectè sentientes, à veris hæreticis damnati sunt hæreseos. Qui igitur veros doctores & ministros dignoscere cupiat, sic agat. Pingatur in sinistra parte dux natu grandior & potentior Cainus, signo rubro, cujus insigne sit lupus. Sententia, insidiemur sanguini; tessera, Crucifige; scutum, incredulitas; baltheus, mendacium: thorax, injustitia; caligæ alacritas ad effundendum sanguinē: gladius violentia. Hunc sequatur universa ejus progenies, ferro & flammis armata, Ismaël, Esau, Saulus, falsi prophetæ, Pharisæi, tyranni. Pingatur deinde in dextera dux imbecillior Abel, signo candido, cujus insigne ovis; sententia, omnes qui piè volent vivere in Christo Iesu persecutionem patientur: tessera sit patientia; scutum fides: balthevs, veritas: thorax justitia: caligæ alacritas ad juvandum proximum: gladius verbum Dei, supra hos duos exercitus sedeat in tribunali judex, in cujus sinistra hæ sententiæ: Cain ubi est frater tuus? Qua mensura mensi fueritis, eâdem vobis remetietur: ite maledicti in ignem æternum. In dextra, Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Venite benedicti patris mei, &c.

Ne sanctum Baptisma iteretur. tit. 6.

Quæ Continuatio?

Superiore titulo egit in genere de Hæreticis, jam persequitur Anabaptismum, qui species est hæresis.

Quid est Anabaptismus?

Est actus, quo Baptisma sacrum, quo in Ecclesia consortium recepti sumus, & Christo uniti, & filii Dei renunciati, geminant, & iterant, & præcepta Apostolorum calcantes, Christiano nomine Sacramentum sortitos, alio rursus baptismate non purificant, sed incestant, lavacri nomine polluentes, l. 1. h. t. Idq; odio contrariæ religionis, c. ult. x de baptismo. Unde in Canonibus (quos vocant Apostolorum) deponitur Episcopus & Clericus, qui habentem verum Baptisma, iterum baptizaverint.

Quid dicis ad Canonem eundem Apostolorum, qui pollutum ab impiis vult baptizari?

Illic non verum baptisma intelligi per actũ, neq; formam observatã ordinatione Domini, qui præcipit, profecti docete oẽs gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & F. & Sp. S. Matth. 28 Aliàs hæreticum quidem hominem rebaptizare, qui Sanctæ Trinitatis signa susceperit, omninò peccatum est: Rebaptizare Catholicum immanissimũ scelus est. Augus. epistola 203 ad Maximum, sed qui in Trinitatis nomine non baptizent, quemadmodum Bonosiani & Cataphryges, cùm ad sanctã veniunt Ecclesiam baptizantur, quia baptisma non fuit, quod in errore positi, sanctæ Trinitatis nomine, minimè perceperunt c. hi verò hæretici 8. 3. de Consecrat. distinct. 4. & c. quos à paganis 51. eod.

Videris innuere, quòd vis Sacramenti non pendeat à ministro.

Omninò: sic Augustinus ait: Cùm tantum valeat baptismus per hominem contemptibilem, quantum per Apostolum datus: Ita nec illius sed Christi Baptisma cognoscitur; invenimus ab Apostolis dictum, Meum Ministerium, meum Euangelium, quamvis à Domino impartitum: Baptismum autem nemo eorum meum dixit omninò. Et ideò dici potest; alius alio doctior est in doctrina salutari ipsa: alius autem alio magis minúsve baptizatus dici non potest, sive à majore, sive à minore baptizetur. De unico Baptismo lib. 5. Idem lib. 3. Nunc autem sicut hæresis hæreticorum est, sicut error ipsorum est, sicut etiam sacrilegium dissensionis ipsorum, sic etiam Baptisma, quod Christi est, ipsorum non debet dici. Item, Aliud est baptizare per ministerium, aliud per partem. Vnde quos Iudas baptizavit, non iterum sunt baptizati, tract. 5. ad 1. cap. Ioann. Item, Ipse dat Sacramentum gratiæ etiam per malos, ipsam verò gratiam non nisi per seipsum confert lib. 5. cap. 20. de Baptismo.

Quas habent causas Anabaptistæ hujus sui erroris?

Cùm Baptismus lavacrum sit regenerationis, & purificationis, sæpiùs huic naturæ, quotidie se peccatis inquinanti opus esse: quemadmodum Sacra Cœna usu, quem Dominus voluit iterari, in verbis, Hoc facite in mei recordationem. Item, Quotiescunque, &c. *Lucæ 22. & 1. ad Corinth. 11.*

Quid respondendum ad hæc?

Nihil habere rationem Sacramenti extra usum & finem à Deo institutum

institutum Rom. 2. vers. 25. Vnde res æstimatur. l. penul. C. de Codicill. & l. non Codicillos. C. de Testam.

Quare verissima est illa regula?

Sacramenta non constant nisi ex ordinatione institutoris, & ad eum usum, cujus gratia instituit.

Ostende hoc in Baptismo?

Quia Baptismus est vice Circumcisionis institutus, & primum regenerationis lavacrum, quo corpori Christi inserimur & initiamur Ecclesiæ, ac velut in filios Dei adoptati, filii renunciamur ad Coloss 11. hæc externa insitio, receptio in Ecclesiam, hoc principium, hic visibilis adoptionis ingressus, non potest esse dividuus, & non nisi unus, velut qui filius est, nequit amplius quàm semel filius fieri & effici, sicut nec bis aut denuò generari. Vnde Optatus de Donatistis. Iam lotum non revocamus ad fontem: absit ut iteremus, quod semel est: aut duplicemus quod unum est. In modum semel nati hominis, Baptisma semel conceditur à Deo.

Quomodò igitur peccant, qui Baptismum repetunt?

Priorem fidem faciunt irritam. 1. ad Timoth. 5. v. 11. Indutum semel Baptismo Christum exuunt, ad Galat. 3. Primum Sacramentum incestant. l. 1. h. t. Iterum quasi Christum crucifigunt. c. qui bis. 116. de Consecrat. dist. 4. lib. 4. Abnegant Deum c. seq. Atq; Confessio & Invocatio tanti nominis annullatur. c. sine hæret. 50. ibid. Deridens crucem & mortem Domini d. Can. 46.

Cur Cœna sæpiùs frequentatur quàm Baptismus?

Nullum de iteratione Baptismi præceptum exstat, quod vel ideò non debet quoq; iterari, quòd in Baptismo cum Deo feriatur fœdus mutuũ Petr. 3. Vt admoneamur promissiones Dei ratas esse, & irrevocabiles. Rom 11. Heb. 6. Sicut ipse Deus immutabilis est: qualis enim causa, talis est effectus. Proindéq; manere fœdus lapsis etiam fixum, dummodò pœnitentibus. Psalm. 89. & Ioan. 9. Cœna requirit probationem fidei, 1. ad Cor 11. Et hic exstat verbum repetitionis. Quotiescunque. *Baptismus signum est initi fœderis. Cœna continuandi: Baptismus est signum ingressus in Ecclesiam, Cœna nutritionis, mansionis & conservationis.*

Quibus pœnis afficiendi sunt iterantes sacrum Baptisma?

De his in hac verba rescripserunt Honorius & Theodosius; Si quis rebaptizare quempiam fuerit detectus, unà cum eo, qui piaculare crimen commisit (si tamen criminis per ætatem capax sit) & hic cui persuasum sit supplicio, quod quidam de deportatione interpretantur, & putant hanc legem magis ad errorem incutiendum rogatā, quàm quòd sint ultimo supplicio adficiendi: l. 2. h. t. Episcopos huic legi dedisse occasionem, inter quos & Nestorius quidam, qui inter concionandum Theodosium his compellabat verbis, O Cæsar, da mihi regionem ab Hæreticis purgatam, & ego tibi cœlum daturus sum, tripart. hist. lib. 12. c. 4. Qui rebaptizat, exilio et decem librarum auri mulcta damnabitur: Testamenti & donationis faciendæ utrisq; (& qui rebaptizavit, & rebaptizatus est) neganda est licentia, nec Iudæus nisi idem pati velit, dissimulare licet. l. 3. h. t.

De Apostatis. tit. 7.

Quæ Continuatio?

Apostatæ cùm vel deteriores sint hæreticis, vel pares. l. 6. eod. rectè de his agit: Nam dicti sunt ἀπὸ τ̃ ἀποστατεῖν, id est, à deficiendo & deserendo, illud impugnantes, quòd anteà defenderunt. Vnde etiam turpiùs est veritatem agnitam abjicere, quàm eam nunquam agnovisse. Apostatæ omnes fidei articulos ex professo repudiant, sed hæretici aliqua ex parte corrumpunt.

Quid sunt Apostatæ?

Sunt qui deficiunt à religione Christiana, et à Christianismo desciscentes præcipitant sese in Paganismum, vel Iudaismum, vel Ethnicismum. l. 1. 2. & fin. h. t. fidem produnt, & divinum ministerium, eaq; polluentes in prophana migrant. l. 3. eod.

Quotuplices sunt Apostatæ?

Secundum Canonistas triplices sunt, nimirum aut Fidei; aut Inobedientiæ: aut Irregularitatis: Nos tantùm Apostatas Fidei attingemus.

Quot modis fiunt Fidei Apostatæ?

Duobus: vel cùm à vera religione in Hæresim retento titulo Christiani

stiani. l. ult. eod. Vel cùm religione Christiana contempta prorsus contraria placent, veluti Iudæorum, Mahometistarum, vel aliorum, qui Christum ignorant, vel ex professo persequuntur. d. l. Talem Iulianum Imp. fuisse historiæ testantur.

Ex errore & hæresi Arrius, qui docebat Christum, non esse verè & naturaliter Deum, miserabiliter concordia Ecclesiæ divulsa est: ut errorem ipsum plurimi Episcopi amplexi fuerint, & tandem etiam Constantius Imp. defuncto Constantino. Arrius autem, collaturus & disputaturus cum Alexandro, qui totam noctem precibus in templo consumpserat, ne latiùs serperet contagium Arrianæ sectæ, & pergens in auditorium, cœpit intereundum ventris dolore laborare, & exonerandæ alvi gratia præter omnium opinionem ilicò periit. Athanasius eo tempore ab Constantio proscriptus, ex Ægypto Treverim usque profugit, ubi in octavum usque annum delituit, ut eo tempore calamitosa foret facies Ecclesiæ: Quæ meritò occasionem offendiculi non solùm gentibus præbuit, quò minùs amplecterentur verbum, sed alios etiam offendit ut à Christianismo ad Gentium idolatriam deficerent. Inter quos & Iulianus Cæsar fuit. Et via patefacta fuit Mahometi. Iulianus hic Apostata eruditione tanta erat, ut in Ecclesia Nicomediana publicè sacras literas prælegeret, posteà Athenas profectus philosophiam didicit. Et philosophorum consuetudine usus, ex ratione humani captus, de Deo disputabat. Interim odium adversus Christianos conceptũ exercet, non tamen vi manifesta persequitur eos, sed calliditate quadam vulpina abolendos censuit. Nam Scholas publicè interdixit, ut non instituerentur, existimans (id quod res erat) eruditione impedita, religionis doctrinã facilè interituram. Quin & hoc vetuit, ne Christiani nomine professores jus militãdi haberẽt cum Romanis, ne qua occasione ad Reip. gubernationem pervenirent. Ecclesiarum bona abstulit, per risum inquiens, officium se facere Christianis, nimirum ut pauperes facti citiùs regnum cœlorum intrarent, cùm Euangelium promittat regnum cœlorum pauperibus. Christianorum fidem scriptis etiam editis oppugnavit, quibus & graves fuerunt illius calumniosæ cavillationes, adeò ut publicæ adversus tàm perniciosum Euangelii hostem orationes ac supplicationes fierent. Itaque cùm in Persiam esset profectus, in solitudine (& à quo nescitur) sauciatur.

Tradunt tùm ex inflicto vulnere cùm jaceret, ac animam ageret, manum sanguine plenam ad cœlum projecisse, & dixisse: *Vicisti tandem Galilae*, Christum significare volentem, quem Galilæum appellabat. Vide Peuc. & Cario.

Idem Apostata habuit sub se Christianos milites, quibus cùm dicebat producite aciem pro Repub. obediebant: Cùm autem dicebat: producite arma in Christianos, tùm agnoscebant Imperatorem cœli. 11. q. 3. c. Iulianus.

Quomodo puniuntur?

1. *Facultates illorum fisci dominio vendicantur. d. l. 1.*

2. *Testari prohibentur, & usq; ad quinquennium post obitum in eos inquiritur; l. 2. h. t.*

3. *A consortio hominum segregantur:*

4. *A testimoniis & testamenti factione alieni habentur, adeò ut nulli succedant, nec ab ullo scribantur hæredes: sed neq; unquam in pristinum revertuntur statum, si sanctum Baptisma hæreticâ superstitione profanarint: ab omnibus accusari possunt: testamenta & donationes illorum rescinduntur, hæreditásq; defertur ad propinquos ab intestato venientes: lapsis & errantibus subvenitur, non deperditis l. 4. eod.*

Sed cur hæreticis pœnitentibus venia datur, l. 4. de hæret. sed sanctum Baptisma profanantibus non succurritur?

Quoniam illa crimina, quæ facti sunt ut Anabaptismus, non tolluntur pœnitentiâ, quemadmodum nec homicidium, nec adulterium: Ideóque nec pœna pœnitentiâ tollitur: quia manente causa, manet effectus. At reliqua hæreses non consistunt in facto, quod gravius est, etenim quod factum est, infectum fieri nequit, l. bellum §. capta. ff. de capt. & postlim. revers. Sed hæreses in opinionis versantur errore, quæ cùm posterioribus, tùm melioribus possunt revocari cogitationibus, mutari & emendari. Facit l. cogitationis. ff. de pœnis.

Cæterùm cum Ecclesia non claudat gremium redeuntibus, l. 5. de summa Trinitate, quî asseveras his, ne quidem pœnitentibus, veniam dari?

Respondeo, legem istam non esse intelligendam de politica discipli

na-

na, aut pœnis, quæ à Magistratu ob delicta infliguntur, sed remissione peccatorum coram Deo & Ecclesia, vel ex sententia Cyrilli, Contritum cor non patitur repulsam: & (ut Azo inquit) id ad Regem cœli, non ad legem aut Regem seculi, ad jus poli non fori pertinet.

Nemini licere signum Salvatoris Christi humi, vel in silice, vel in marmore, aut insculpere, aut pingere, tit. 8.

Cur signum Salvatoris Christi non licet vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis, insculpere vel pingere, l. hâc unicâ?

Ne in contemptum religionis Christianæ petulantia illa & insolentia desineret, neve in ludibrium crucifixi crucem conculcarent & conspurcarent, audacia enim talis, est impietatis comes (ne dicam) mater: cruxq; Christi Christianorum est gloria. Sic & Iudæus sub pœna amissionis suorum privilegiorum interdicitur, ne ea parte in cõspectu abutantur. l. 10. tit. seq. de Iudæis, & quod factum est, tolli jubetur. Exod. 20. Deut. 17. Esa. 40. Ierem. 10. Abac. 2. Act. 2.

Adeò sanctum fuit Christi signum seculo veterum, ut in instrumentis pro fide & subscriptione cederet l. ult. §. 1. J. de jur. delib. Novell. 90. & collatione ejus, profana loca expiari & Deo consecrari crederentur. Novell. 5. c. 1. Novell. 131. c. 7. præferebatur quoq; litaniis publicis. Novell. 123. c. 33. & honorabatur usque ad superstitionem.

At è contrario vetitum, ne in locum publicum vel privatum voluptatibus destinatum crux inferretur, l. 26. ff. de Episc. aut ad contumeliam passionis Christi deferretur. l. 11. ff. de Iuda.

Constat enim veteres eo signo frontem primunivisse. Vnde videtur illud Erasmi in Pietate puerili. Manè simulatque sum expergefactus pollice signum crucis pingo in fronte & in pectore, auspicor initium diei in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Cùm Maxentius & sævitiam contra Christianos exerceret, & raperet honestas matronas & virgines, & militibus concederet omnium

ſcelerum licentiam, Senatus Romanus Constantinum ex Gallia accerſivit, cui dubitanti an Romam duceret exercitum, oſtendit Deus illuſtre ſignum victoriæ. Nam medio die in clara luce vidit Constantinus in cœlo igneam crucem, cum literis: ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ, *id eſt,* IN HOC VINCE. *Scribit Euſebius, ſe hanc narrationem ex ipſo Conſtantino audiviſſe. Itaque tanquam ducente Domino noſtro Ieſu Chriſto pergit, & Maxentius prælio victus, & cum magna multitudine in flumen merſus periit. Ideò Chriſtiani dixerunt: Interitum Maxentii ſimilem eſſe pœnæ Pharaönis.*

In qua crucium forma Chriſtus mortem tulerit, ne quærendum cenſeam, niſi (ait Lipſius lib. 1. de cruce. c. 10.) dubitaſſe et diſputaſſe viderem viros graves & ſacrorum peritos, ego (inquit) arbitror & pronuncio in illa, quæ quatuor finibus univerſum orbem complexa eſt, non ſine myſterio, quod toti orbi mortuus, Salvator noſter pependit. Tangit hoc & docet Sedulius,

Neve quis ignoret ſpeciem crucis eſſe colendam,
Quæ Dominum portavit ovans, ratione potenti,
Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis,
Splendidus auctoris de vertice fulget Eous,
Occiduo ſacræ labantur ſidere plantæ,
Arcton dextra tenet, medium lævâ erigit axem.

Inducit præter alios & Damaſcenum in hæc verba, de Ortho. lib. 4. c. 12. Ὥσπερ τὰ τέσσαρα ἄκρα τοῦ σταυροῦ διὰ τοῦ μέσου κέντρου κρατοῦνται καὶ συσφίγγονται, οὕτω διὰ τῆς τοῦ θεοῦ δυνάμεως τό τε ὕψος, καὶ τὸ βάθος, μῆκος καὶ πλάτος, ἤτοι πᾶσα ὁρατή τε καὶ ἀόρατος κτίσις συνέχεται. *i. Sicut quatuor extrema Crucis per medium centrum vinciuntur & junguntur: ſic per divinam potentiam Sublimitas & Profunditas, Longitudo et Latitudo ſive omnis conſpicua & inconſpicua creatura continetur. Nonnus diſertè ſcribit, Chriſtum ſublatum* εἰς δόρυ τετράπλευρον. *in lignum quadrilaterium.*

Inveſtigat & hoc quænam crimina cruciaria: Primùm, ait, latrocinium, Calliſtratus ICtus: Famoſos latrones, in his locis ubi graſſati ſunt, furcâ figendos, compluribus placuit. Scripſerat, inquit, ille Cruce. Cum ipſo Servatore utrinque ſecus latrones duo fixi, quos duo Euangeliſtæ diſertè λῃστὰς *appellant, Lucas paullò communiùs* κακούργους. *Deindè Sicariatus, Paulus: In honeſtiores (Sicarios) pœna capitis vindicari placuit, humiliores verò in crucem tolluntur, aut beſtiis ſubjiciuntur, lib. 6. ſent. 23.*

Tertiò

Tertiò crimen falsi. Firmicus, Facient in crimine falsi comprehensos in Crucem tolli, lib.6. Matth.c.26. Anné & furtum? ita, sed non Romæ. Lampridius in Alex. Cùm quæreretur à regibus, quid apud eos fures paterentur? illi responderunt, Crucem. d.lib.c.13.

Porrò, ait, piè & non curiosè quæro, in Servatore nostro quis prætextus (nam causa nunquam fuit) ad Crucem? Blasphemiam aliquis dixerit, ex vocibus, aut indiciis Iudæorum. Atque ipsi sanè ita apud Pontificem accusant, & hinc noxæ testes quæruntur, & ipse denique Pontifex ejus damnat. Attamen si legem spectes. Si tales lapidibus, non Cruce puniti. An non veriùs & simpliciùs, totum illud judicium, etsi judicii dissimile, Romanis legib. moribusq; directũ? Mihi videatur (ait) & respondeam damnatum innoxium nostrum agnum, quasi seditionis nomine & Regni affectati. Certè Romanâ lege, auctores seditionis aut tumultus, pro qualitatis dignitate, aut in Crucem tolluntur, aut bestiis objiciuntur, Paul.5. Sent.22. Quod autem sic etiam apud Pilatum sit accusatus, Lucas clarè c.23. Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem, se Christum regem esse. Credidit, nec credidit Pilatus: & Titulum tamen causámque mortis inscripsit, REX IUDÆORUM, *Idem eod.c.14.*

De Judæis & Cœlicolis, tit. 9.

Quæ Continuatio?

Etsi Iudæi religionem nostram non profitentur, neque per Baptismum nomen ei dederint, tamen sæpè non minùs detrimenti eidem afferunt, quàm veri hæretici: rectè igitur de his hoc loco tractatio instituitur. Quoniam Iudæi semi plenè, & ad literam tantùm Deum reverentur & colunt, Messiæ officium & personam non agnoscentes. Plin. nat. hist.13. Iudæos dicit gentem contumeliâ numinum insignem, ita ut non immeritò in hos quadret: Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis, similis illis factus. Dicti sunt à tribu Iuda principe aliarum, et quæ prærogativa quadã inter reliquos tribus præeminebat, ut ex ea reges crearentur: unde & in præliis primam aciem sustinebant.

Sunt omnes unius generis?

Horum

Horum duo vulgò genera numerantur, & dicuntur vel Veteres, vel Recentiores.

Qui sunt Veteres?

Qui eadem nobiscum fide & salutem quæsiverunt, & adepti sunt, Act.15. atque hos Ecclesia Christiana veneratur, & pro patribus agnoscit: hi peculiaris populus Domini dicebantur, & magnis gaudebant privilegiis: pane cœlesti in deserto sustentati: ingentibus miraculis ex Ægypto liberati: lege & ceremoniis ab ipso Deo decorati, ut ad religionem vi, vel militari manu cogi non debeant: invitari & blanditiis induci possunt, c.debet. 23.q.4.

Qui sunt Recentiores?

Qui Christum Dominum repudiant, hósque Ecclesia aversatur & damnat, déque his hoc tit. agitur, & traduntur quædam, quæ principes Christiani in illis tolerant communia cum aliis: quædam peculiaria & specialia, ipsisq; gravia.

Dic quæ sunt primi generis?

Veluti templa, synagogas l.3.13 pen. (quæ quidem illis sunt) fulcire, non autem novas constituere licet, l.ult. Item propriam sibi religionem, l.10.12.13. ut ad religionem vi, vel militari manu cogi non debeant: invitari & blanditiis induci possunt, c.debet 23.q. 4. & l. circumcidere 11 ff. ad. l. Corn. de Sicar. Collegia, l. spadonem 15. § jam & Iudæi ff. de excus. tut. Synedria l. penult. seniores. l. si quis: Primates d l pen. commertia. l. 7. jura defensionis l. nullus l. 4. habere. Deniq; militi non licet in eorum synagogas meritò hospitij immigrare l.4. nec ulli extero religionis Iudæis pretia constituere. Iustum est sua cuiq; cōmittere l. nemo. 9. Tolerantur quædam in universo, ne iis sublatis, majora bona tollantur, aut majora mala consequantur.

Igitur non licet Iudæum ob religionem conterere, & contumeliæ exponere?

Nequaquam: tolerat illos Christiana pietas, obstringuntur ad parem legum observantiam, christianorum leges in contractibus sequūtur: nemo enim perperam & sine ulla ratione lædi debet, & ne quidem etiamsi sceleribus sit implicitus. Idcirco enim judiciorum vigor, jurisq; publici tutela in medio est constituta, ne quisquam sibi permittat ultionem l. nullus. 14. h.t. & l. non est singulis, ff. de reg. jur. adeò ut si quis manus his religionis authoritate intulerit, & contra secun-

securos violentus fuerit, bonaq; illorum diripuerit, in duplum conventus damnatur. l. 6 ꝟ de Paganis.

Quæ sunt illis specialia & gravia?

Ad honores non admittuntur. Seve. & Anton. Impp. eis honores adipisci permiserunt l. 3. § ult. de Decurion. ne facultatem habeant insultandæ nostræ fidei à l. ult.

2. Litigare debent apud Christianũ Magistratum. l. si quis. & l. 15.

3. Legari illis nihil potest, l. 1.

4. Christiani præsertim infirmiores non debent cum his nimiam habere familiaritatem: neq; habitare: neq; convivia frequentare: non recipere medicinas. non cum iis in balneo lavare: nullo prætextu Christiana habeant mancipia Iudæi: non uti Christianis nutricibus, ne quidem cum dispensatione: non debent provehi ad dignitates & officia, ne sæviant in Christianos: imò signo vel habitu distincto à cultu Christianorum debent procedere in publicum: subibunt census & munera patrimonialia: Christianos contra se patiuntur testes, non contrà Christiani ipsos: non alium quàm suæ sectæ circumcidant: cogendi sunt, ut manibus, aut honestis rationibus victum quærant, neve sese scelere sustententur & alant: non conjugia cum Christianis contrahere (adulterii enim commissi vicem obtinent) l. 6.

5 Ne quidem inter se contra leges Christianas per polygamiam, aut aliter, l. 7.

6. Et si quid fecerint in contemptum Christianæ religionis permissa hactenus amittunt, l. 11. juxta illud, Licita perdit, qui sibi non temperaverit ab illicitis.

Sed πολυγαμία videtur permissa, primùm quòd non legatur prohibita, ut dices, dilectę & exosæ uxores: Deut. 21. v. 15. & plurium uxorum, 2. Sam. 12. Deinde ab exemplis Patriarcharum Veteris Testamenti. Gen. 20. Paralip. 13. Iudic. 8. 2. Reg. 3. & 20. 3. Reg. 11?

Respondendum, in rebus controversis semper ad initia recurrendum esse. Matth. 19. v. 8 ab initio n. non erat sic. Notum enim est illud, Erunt duo in carne una. Gen. 2. 24. Item, suam quisq; uxorem & proprium quæq; virum habeat, 1. Cor. 7. Quia si natura rationem

nem quærimus, ipsa generatio perficitur ex duobus: Si amorem conjugalem, solus inter duos tantùm esse potest: nec sic erit individua vitæ consuetudo sive conjunctio, si utriq; pluribus adhærere liceat. Ad hæc si consideremus ipsum hominem, unus uni sufficit: Si concordiam, plures non sunt committendi: Si liberorum & familiarum certitudinē, si honorem parentibus debitum, tollendus erit maritorum numerus: Si consulis jurisprudentes eosq; Ethnicos, πολυγαμίαν improbant, l. 1, in fin. ff. de his qui not. infam. Si Impp. iidem vetuerunt, hîc & l. 2. J. de incest. nupt. Constat igitur nec eandem duobus nuptam esse posse, nec eidem licere eodem tempore duas habere uxores, §. 6. instit. de nupt.

Licétne volentibus Iudæis, Paganis, & Ethnicis accedere ad Christianismum?

Adeò non repugnanter recipiuntur, ut quicunq; feralem sectam fugientem, & ad Dei cultum se conferentem, ausus fuerit saxis, aut alio furoris genere impetere, ille cum omnibus participib. concrematur. l. 3. mulctatur etiam proscriptione bonorum, qui aliquem ad falsam sectam traducere conatus fuerit, l. Iudæus 18. cum seq. Grave enim est fidem alterius perversa doctrina expugnare.

Quos intelligis Cœlicolas?

Qui cœlum colunt, & lumina cœli, planetas, scilicet Solem, Lunam, & stellas, quos toties increpant Dei Prophetæ. Horum videtur secta fuisse Iudaica. Nam Sophonias reprehendit quosdam ex Iudæis, quòd cœli militiam colerent, quò videtur allusisse Iuvenalis, cùm diceret,

Nil præter nubes & cœli numen adorant.

Item Petronius in Catalectis, loquens de Iudæo, sic ait,

Et cœli summas advocat auricolas.

Meritò igitur hi tanquam superstitiosi, ab Ecclesia repelluntur.

Quid de his Impp?

Ita Theodosius & Honorius rescripserunt, Cœlicolarum nomen inauditum quodammodo novum superstitionis crimen sibi vindicavit: hi nisi ad Dei cultum venerationemq; conversi fuerint, iisdem legibus, quibus hæretici, obstringantur. Ædificia autem eorum, quæ nescio, quos conventus habeant, Ecclesiis vendicentur. certum est enim, quicquid à fide Christianorum discrepat, legi Christianæ esse contrarium, l. cœlicolarum, h. t. juxta illud: Qui non est mecum, contra

contra me est, & qui non colligit, dissipat.

Iudæi ferè Christianorum & religionis odio flagrant, quod hisce exemplis comprobatur. Anno post Christum natum 1510. 19. Iulii, combusti sunt in Marchia Brandeburgensi 38. Iudæi, qui sacramentalem hostiam à sacrilego quodam emptã, pugionibus & cultellis in ipsius Christi & Ecclesiæ Christianæ ignominiam, impiè confoderant, adjectis blasphemiis, quòd Christianorum Deus nullum haberet sanguinem. Manlius in collect. loc. commun. Dicuntur difficiliores ad convertendum, & peritiores subtilioresque ad subvertendum, quàm gentiles.

Sunt quoque supra modum superstitiosi. Vidi, inquit idem, Iudæum fœneratorem, qui solebat typographis quibusdam pecuniam credere ad usuram. Hunc si quando impressores accederent die Sabbathi, ipsi quidem religio erat eis numerare pecuniam, sed dabat tandem clavem ad mensam, jubebátque numerare quantum vellent: ipse intereà astans, adspiciebat, ne dolum aut fraudem committerent. Idque ne violaret festum, neve manibus peccaret. Vidi, inquit, quòd Iudæi in Sabbatho conducerent quendam Christianum qui coqueret, & mucos candelarum decerperet.

Accidit Magdeburgi, ut die Sabbathi Iudæus in cloacam incideret, ibi Iudæi tanti faciebant suum Sabbathum, ut ipsum eo die extrahere nollent. Re delata ad Episcopum Magdeburgensem Ernestum, inquit: Cùm Iudæi tanti faciunt suum Sabbathum, ut hominem ex cloaca extrahere nollent, ergo etiam nostrum Sabbathum tanti faciamus, ac prohibuit ne die Dominico Iudæus extraheretur. Ita oportuit illum Iudæum biduum manere in cloaca. Tertio tandem die extractus est, Manlius.

Est illud durum, quod Suetonius in Claud. c. 25. refert. Iudæos, ait, impulsore Christo assiduè tumultuantes Roma expulit. Quò videtur spectare illud ex Act. 18. Posteà Paulus discedens Athenis Corinthum, & reperto quodam Iudæo, nomine Aquila, Ponticum genere, qui nuper venerat ex Italia, & Priscillam (eo quòd edixisset Claudius, ut omnes Iudæi Roma excederent) venit ad eos.

Anno Christi 118. extitit dux quidam seditiosorum Iudæorum qui sibi tribuit titulum Messiæ, ut propter religionis speciem plures concurrerent & cresceret audacia. Et ut alluderet ad vaticinium:

ticinium: Orietur stella ex Iacob, nominatus est Benrochab, seu Barcochab, id est, & significat filium stellæ. Hic annos aliquot tenuit in Iudæa 50. castella, & nongentos & octoginta vicos, & munit oppidum Bethoron, situm in Beniamin & Ephraim, quod olim & Salomon muniérat. Ex ea arce cùm irruptiones facerent, sæpè Romanos profligarunt: Sed Hadrianus Imp. obsedit Bethoron annos tres & sex menses, Et tandem oppidum vi captum est, & dux seditiosorum interfectus, quem posteà Iudæi nuncuparunt Bencosba, id est, filium mendacii, quòd falsò iactitasset se Messiam esse & recuperatorem Iudææ. Numerus interfectorum scribitur fuisse quinquies centum millia hominum. Alii qui pestilentia & fame perierunt non potuerunt numerari. Peucer. in Hadriano.

Placet adjicere illud Ambr. ad c.4. Luc.lib. 4. in Com. Cùm Dominus Iesus Christus per lavacri regenerationem omnibus remissionem dedit peccatorum, Matt.28. Cur ergo Giezi semẽ in æternum damnatur? nisi, respondet, ut vitiorum magis, quàm generis semen, sectatores intelligas. Sicut enim qui filii promissionum sunt, existimantur in semen bonũ, ita qui erroris sunt, in semen malum. Nam & Iudæi ex patre Diabolo sunt, non utique carnis successione, sed criminis. Ergo omnes cupidi, omnes avari, Giezi lepram cum divitiis suis possident.

Anno 1349. pestis per totum orbem sævijt. Florentiæ 60.M. Lubeci 90.M. Argentorati 16.M. absumpsit. Causam in Iudæos conferebant, qui fontes & puteos veneno passim infecerant. Unde catervatim ad supplicia rapti passim comburebantur.

Anno 1322. Leprosi à Iudæis conducti, fontes per Galliam passim intoxicarunt, sed omnes & Leprosi & Iudæi, qui sceleris hujus participes essent ad supplicia magno numero abrepti sunt.

Anno 1160. in Gallia 80. Iudæi simul cremati sunt, & deinceps reliqui omnes regno ejecti, quòd puerum Christianum clam comprehensum in die Parasceues cruci affigere, gravissimisque tormentis affectum crudeliter eodem die quotannis necare deprehensi essent.

Anno 1287. in simili flagitio Bernæ deprehensi & Anno 1475. Tridenti atque hi puniti, reliqui exterminati sunt.

In Fortalitio fidei multa recitantur exempla perfidiæ, furoris, sævitiæ Iudæorum in Christianos: quòd mactarint acubus infantes

infantes, quòd cultellis clavísque transfixerunt, quorum sanguinem referuntur miscuisse fructibus, pomis, pyris, nucibus, in partes minutissimas concisis, ac devoratis posteà, pabulum horrendum ac triste, &c. Vide Theatrum historicum, 5. præc.

Ne Christianum mancipium, tit. 10. &c.

Quæ traduntur hoc titulo?

Primùm ne quis Iudæus, Hæreticus, vel Paganus comparet, vel quocunque demùm titulo habeat, possideat servum Christianum: Deinde ne eum circumcidat, si verò circumciderit, non solùm mancipij damno mulctatur, sed & capitali feritur sententia, servo pro præmio libertate donando, l.1. & 2. h.t. Atque adeò debet illud intra mensem venum proponere, & justa conditione non ampliùs 12. solidis vendere: sin verò detrectaverit, & mancipio & pretio mulctatur. dd. ll. l. ult. de epis. & cler. Ex rescripto autem Pij circumcidentibus pœna castrantis irrogatur, l. circumcidere 2. ad l. Cornel. de Sicar. Imò concilio Maciensi sancitum est, Christianis licere redimere 12. solidis quodlibet. Nephas est, ut Christi sanguine redempti sub jugo blasphemi detineantur, c. 1. & 2. X eod.

De Paganis, sacrificiis, & templis, &c. tit. 11.

Quæ continuatio?

Hactenus de hæreticis, aliisque à religione Christiana alienis & orthodoxa, quos omnes investigare & exterminare Episcoporum & ministrorum Ecclesiæ est. Tales cùm etiam sint pagani, rectè hoc titulo de eorum sacrificiis tollendis, & claudendis eorum delubris, & fanis, non etiam diruendis agitur.

Unde dicti sunt Pagani?

A pagis, qui ἀπὸ τ͂ πηγῶν, id est, fontibus deducuntur, circa quos villæ ædificantur, quasi ex eodem fonte potantes: & ne agricultura impediretur, plerumque ex oppidis milites, non pagis legi solent, ve-

rùm vox, paganus omnes in universum homines, qui non sunt milites, l. in paganis ff. de reg jur. designat: propriè militibus opponuntur, ut Togati Sagatis, cinctisq́; Et pagani sunt rustici, qui domi relinquuntur ad agrorum & ruris culturam: aliàs ut hic significat eos, qui non sunt Christiani, vel Iudai: Gentiles quoq; hoc nomine appellantur. Nam prisca illa idololatria diutiùs hæsit in pagis, quàm in urbibus. Id convincunt indigna nex Vigelij martyris, & simlles, difficiliùs paganos .i. rudiores à majorum institutis, quamvis falsis, abduci.

Qui igitur sunt Pagani?

Qui gentilium ritus & sacra retinent, idololatra nimirum, qui deos innumeros & deas peculiares fingunt, venerantur, colunt & adorant, & veluti qui inspectione jecoris, extorumq́; præsagio, vana permissionis spem occipiunt, superstitiones sequentes futura sub execrabili consultatione cognoscunt, l. 2. h. t. & sincerioris fidei cultui injuriam inferunt. Pagani vulgari sermone (ut ait Orosius) quasi ex agrestium locorum compitis & pagis, alieni à civitate Dei. Paulus dicit, hos foris esse, de quibus Ecclesia non judicat.

Alciatus de voce Gentilis. Ethnici & Pagani lib. 1. parerg. c. 13. Qua ratione, ait, & in sacris literis Ethnicus, id est, gentilis dicitur, qui Christiana legi non paret. Scribit Amm. Marcellinus lib. 15. condemnatum à synodo antistitum fuisse Athanasium, quòd Aruspex esset, & quid portenderent augurales alites, aliquoties ex vero prædixerit. Quam rem sic exequitur in hist. Cassiodorus,

Cùm Athanasius paganis & gentilibus in multa discrimina & pericula conjiceretur, inter jurgandum quadam die supervolitavit cornix, quæ cùm clariùs crocitaret, conversus ad eos Athanasius, Scitis, inquit, quid vox oscinis prædicet? nempe cras, cras, inquit, fore, ut de templis vestris ejiciamini, nec fefellit hominē divinum expectatio. Sequenti die allata fuit Constantini Imp. constitutio, qua jubebat templa claudi, & sub gladii pœna universos gentilium sacrificiis abstinere. l. 1. h. t.

Pagani autem ea ratione dicti sunt, quia non sunt Christi milites: siquidem in jure hi sunt pagani, qui non militant, sed in pagis & vicis sua munera subeunt.

Quid si qui nondum baptizati sint, velint sese ad Ecclesiam conferre?

Majo-

Majores prius sacras literas doceantur, & parvulos sine mora baptizari curentur, l. 10. h. t.

Quid igitur Impp. de Paganis & eorum sacrificiis constituerunt?

Vt illorum aræ & sensu carentia simulacbra evertantur, avellanturq́ꝫ, honosq́ꝫ pristinus non reddatur: cultus omnis aboleatur: nec sacra sacrilegia excerceantur: non redimiantur sertis postes templorum, prophani ignes aris arceantur: non adoleantur in iisdem thura: non victimæ cadantur: non vina pateris libentur: non sacrilegium religio existimetur, l. 1. 2. 7. & ult. h. t. Non tamen ædificia templorum & publicorum ornamenta operum destruantur, l. 3.

Quæ pœna Paganis irrogatur?

Quietè viventes securi sint, non lædantur, non turbentur, l. h. t. defendantur, non violentur, l. 6. & jure Ro. civium utuntur, nec enim aliter in rei inveteratæ recenti imitatione fieri potuit, licet crimen per se capitale sit, Exod. 22. Si verò perrexerint suis sacrificiis uti, gladio ultore sternantur, facultatesq́ꝫ eorum fisco vendicentur, non tamen ea, quæ semel sunt numini consecrata, quæ profanari & rursus in fiscum redigi non possunt, ne quidem propter abusum, ita Cæsar Phoca templum, quod Pantheon appellabatur, Bonifacio donavit, juxt: l. omnia h. t. sicut rectores provinciæ, qui tantum scelus dissimulaverunt. 5. ll. auri & ipsi, & 30. eorum officium inferent fisco. l. 1. 2. 7. h. t. Domus & prædia, in quibus scientibus dominis exercentur, & perpetrantur hujusmodi facinora, fisco addicuntur. l. 8. ut pœnæ metu, desinant interdicta sacrificia celebrare. d. l. 1 Quod relinquitur & locis paganici erroris, aut personis, id urbs illorum locorum accipiet. l. 9. vel Imperatori cedit, secundum l. 5.

De iis, qui ad Ecclesias confugiunt, &c. tit. 12.

Quæ continuatio?

Superioribus titulis egimus de hæreticis, quorum quidam sunt intra Ecclesiam, de quibus cognoscit & judicat Ecclesia. Quidam extra Ecclesiã, qui divino relinquuntur judicio, quatenus sunt pagani: qui-

dam medij, quos tolerat Ecclesia, veluti Iudæi. Illorum qui sunt intra Ecclesiam, alij verbum in suum detorquent sensum, quorum alij sunt majores, alij minores: alij sacramentis abutuntur: alij temerè deficiunt ab Ecclesia, ut Apostatæ: alij qui secedunt, distrahunt, dividunt, & separant per inobedientiam & conspirationem ab Ecclesiæ unione. De his ita Augustinus, Omni homini, qui Ecclesiæ Catholicæ non tenet unitatem, non Baptismus, neq; eleemosyna, quantumvis copiosa, neq; mors pro nomine Christi suscepta, proficere poterit ad salutem c. firmissimè. x. de hæret. Supersunt privilegia præcipuè Ecclesiæ indulta, quorum primum hoc, alterum sequenti persequemur titulo. nempe ad θέσιν τῶν εὐεργετημάτων καὶ ἀναίρεσιν τῶν κακῶν.

Dic summatim quæ hoc titulo traduntur?

De confugis ad Ecclesiam vel non Christianis, vel Christianis, Christianis vel servis, vel liberis: de pœna extrahentium: & quibus non pateat jus asyli, nec scilicet qui ad Ecclesias confugerint, vexationis vitandæ gratia, sive ob reatum, sive ob debita, non temerè inde extrahantur, sed loci reverentia & intercessione defendantur, juxta c. eos qui. 87. dist.

Quî debent se gerere confugæ, & quæ conceduntur?

Nulla arma, nec tela, nec ferrum intra Ecclesiam habere debent, & credant, quòd meliùs religionis nomine, quàm armorum præsidio muniantur. Possunt somnum capere & cibum sine injuria in ijs: quod si verò immorigeri arma servent, armati sunt immittendi, qui eos extrahant. l. 3. & 6. h. t.

Quid de non Christianis?

Hi non antè suscipiuntur, quàm debita universa reddiderint, vel fuerint innocentia demonstrata, purgati. l. 1, vel ob debita confugit, vel ob delicta.

Quid de servis?

Si servus in Ecclesiam confugiens, fiducia armorum resistendi animos impellente insania, sumpserit, extrahente eum domino, quibus id potest efficere viribus, facultas conceditur: si servum etiam confodi in concertatione contigerit, nulla domini erit noxa. Quia ex statu servili, in hostilis & homicidæ conditionem transilit. l. 4.

Quid

Quid si servus vel alia domestica persona convasatis rebus & subtractis, vel seipsum furatus, ad Ecclesiam confugerit?

Eo casu OEconomus & defenser Ecclesiæ per eos, ad quos hoc pertinet, Ecclesiastica disciplina ultione competenti pro qualitate commissi, aut intercessione humanissima, (Vos domini æquitatem, & æquabilitatem servis exhibete. scientes quod & vos habeatis Dominum in cœlis, ad Coloss. c. ult.) procedent, remissione veniæ, & sacramenti interventione ad locum suum revertantur, rebus quas secum tulerint, restitutis. idq́; statim, ne diu patronis obsequia negentur, & ipsi egentium & pauperum alantur expensis. l. 6. § 5. & c. inter alia x. de immunit. Ita Paulus apud Philemonem pro Onesimo.

Quid de iis, qui conclamationibus utuntur in Ecclesiis?

De his ita Martianus Imp. rescripsit: Qui movet tumultum, aut impetum commiserit, vel conventicula in qualibet urbis parte, aut vici (licet tum adire judicem, & legitimum postulare præsidium) celebraverit, aut seditionem concitaverit, capitali odio subjaceat. l. 5. h. t.

Quid fiet de libero?

OEconomus & defensor debent illum inventum præsentare, d. l. 6, §. 1.

Quid faciet citatus actione civili ex publico aut privato contractu?

In ejus arbitrio est sive per per se, sive per procuratorem solenniter instructum, respondere. d. l. §. 3. & jus triginta illi dies securos indulget, ad allegandum suas legitimas exceptiones, &c.

Sed si hoc facere detrectet, aut differat?

Tùm solitus judiciorum legumq́; ordo servetur, d. l. §. 4.

Quis est ille?

Si res immobiles possident, post dictorum solennium citationem ex sententia judicantis, usq́; ad modum debiti bonorum ejus, sive prædiorum venditio sive traditio celebretur, d. §. Novell. de mandat. principum.

Quid si res mobiles habeat, easque extra terminos Ecclesiæ occultatas?

Tùm sententia judicantis & executoris solicitudine perquisita & eruta pro æquitatis tramite, modoq; debiti publicis rationibus proficiant, d. §.

Quid si intra fines habeantur depositæ & absconditæ?

Tùm OEconomi studio & providentia, nec non diligentia defensoris Ecclesiæ inquisita proferantur, ut pari æquitatis ordine iisdem ex bonis, quibuscunque creditoribus ad modum debiti consulatur, d. l. 6. § 4.

Quid si sola suspitione adferantur absconditæ?

Túm de sua conscientia satisfacere autoritate venerabilis antistitis jubeantur: quæ & in personis fidejussorum, mandatorum, sociorum, & participum observantur, d. §.

Quomodo puniuntur, qui confugas avellunt?

Sciant se majestatis crimine retinendos, l. 2. & pœnam capitalem invadentibus esse propositam, l. 3. plectendosq; ultimi & capitalis supplicii animadversione, l. 5. quantumcunq; gravia maleficia perpetraverint. ut scilicet honor Ecclesiarum conservetur, c. Reum. 17. q. 4.

Patet ne omnibus indistinctè ara (ut loquitur lex) salutis & asyli?

Absit: non in causa tributorum, adeò ut OEconomus & Episcopus teneantur, nisi confugas exhibuerint, N. 17. & edict. instit. 10. cap. 1. & Edict. 13. Neq; in criminalibus. d. N. 17. & 37. & 117. & 117. cap. ult. Imò ex Ecclesia extrahi debent. Ius Pontificium 3. excipit, latronem publicum, vel nocturnum depopulatorem agrorum, vel qui aggressor publicas vias insidiis obsidet. His non præstatur immunitas c. inter alia. x eod. nisi etiam homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis commiserint. Frustrà isti invocant legis auxilium, qui in ipsam peccaverunt: nec privilegio debent gaudere, quo se fecerunt indignos, c. ult. x. eod. quemadmodum apud Iudæos iis tantùm urbes proderant refugii, qui nolentes sanguinem effudissent, Exo. 21. Num. 35. Deut. 4. & 19. Ios. 29. 3. Reg. 1. & 2.

Ita habet textus, Exod. 21. vers. 12. & seqq.

Qui percusserit virum & mortuus fuerit, moriendo morietur. At qui non insidiatus *fuerit ei, sed Deus fuit causa, ut veniret ad manum ejus, tunc ponam ipsi locum ad quem fugiet.*

Sin

Sin verò superbè *egerit quispiam in proximum suum, ita ut occidat eum* dolo, *ab altari meo tolles eum, ut moriatur.*

Num. c. 35. vers. 11. & seqq.

Constituetis vobis urbes, urbes autem refugii erunt vobis: quò fugiet homicida, qui aliquem percusserit per errorem.

Et erunt vobis urbes illæ in refugium à propinquo: & non morietur homicida, donec steterit ipse ante congregationem ad judicium.

Et ex urbibus quas dabitis, sex urbes refugii erunt vobis.

Tres urbes dabitis citra Iordanem, & tres urbes dabitis in terra Chanaan: urbes refugij erunt.

Filijs Israël & peregrino, & incolæ in medio eorum, erunt sex urbes illæ in refugium, ut fugiant illuc, quicunque percusserit aliquem per errorem.

Si casu absque inimicitiis *impulerit eum, aut projecerit in eum quodvis instrumentum absque* insidiis,

Et eruet homicidam è manu propinqui sanguinis, & habitabit in civitate refugii sui, donec moriatur sacerdos magnus, quo mortuo revertetur homicida in terram possessionis suæ.

Deut. c. 19. vers. 1. & seqq.

Hæc autem est res homicidæ qui fugiet illuc, & vivet: qui percusserit proximum suum ignoranter, neque oderat eum ab heri & nudiustertius, & non effundatur sanguis innocens in medio terræ tuæ, quam Iehovah Deus tuus dat tibi in hæreditatem, neve sint super te sanguines.

At cùm fuerit quispiam, qui oderit proximum suum, & insidiatus fuerit ei, insurrexeritque in eum, & percusserit eum animà, & mortuus fuerit: fugerit autem ad unam urbium istarum.

Tunc mittent seniores urbis illius, & abstrahent eum inde, dabuntque eum in manum propinqui sanguinis: & morietur. Non parcet oculus tuus ei: & auferes sanguinem ex Israële, & benè tibi erit, Iosua 20.

Ita traduntur primùm Herculis nepotes timentes insidias eorum, quos pater adflixisset. Primùm Athenis templum misericordiæ, id est asylum, unde nemo per vim abduci posset, erexisse. Quod & Statius affirmat, lib. 12. Thebaid.

Fama est defessos acie post busta paterni
Numinis, Herculeos sedem fundasse nepotes,
Sic sacrasse loco commune animantibus ægris

F 4

Confugium.

Longo post tempore & Romulus asylum condidit, ut haberet plures advenas, cum quibus Romam conderet, de quo Vergil. 8.

Hinc locum ingentem, quem Romulus acer asylum
Rettulit.

Hinc Ovid. l. 3. Fast.

Romulus ut saxo turrim circumdedit alto,
Quilibet huc, inquit, confuge tutus erit.

Huc pertinet tit. x de Immunit.

Immunitas est, ab onere vel munere in favorem alicujus concessa liberatio, t. 1. de jur immun. & dicitur immunitas, quasi sine muneribus data libertas. Hostien. in §. & unde. Hanc triplicem faciunt: Localem, Personalem, & Realem. Localis, quæ sacræ ædi, religiosis domibus, cœmeteriis, aliisq; religiosis locis conceditur. Ecclesia enim domus orationis esse debet, non spelunca latronum, aut sanguinis forum, seculares judices, causas, in quibus de sanguinis effusione, vel corporali pœna agitur, in Ecclesiis vel cœmeteriis agitare, sub interminatione anathematis prohibentur. Quia absurdum videtur, ibi judicium sanguinis exercere, ubi est tutela refugij constituta, c. cum Ecclesia x. eod. Neq; ea homines politici tanquam in hospitio causas civiles tractare debent c. 1. x. eod. non in eadem tolerari nundina, consultationes, confabulationes, fœda & profana colloquia, quæ divinum cultum turbent & impediant, aut oculos divinæ majestatis offendãt, c. decet, eod. in 6. Tandem & eò processit Toletanum concilium, ut confugiẽntibus ad 30. usq; passus in totum circumjacentem locum ab ipsis Ecclesiæ januis progredi permiserit, ut qui intra eos violenter abstraxerit, sacrilegij criminis reus excommunicaretur, & alijs pœnis legitimis plecteretur, c. definivit, 17. q. 4. c. frater c. 5.

Realis immunitas est, libertas, qua res Ecclesiastica ab onere tributorum aliarumq; actionum, quæ à seculari potestate imponuntur, eximuntur. Vnde nullus politicus magistratus potest collectas exactionesq; imponere Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis, vel ab ijs exigere, pro domibus, prædiis in ejusdem territorio sitis: vel quibuscunq; possessionibus ab iis acquisitis & acquirendis. Item non coguntur solvere pedagia vel guidagia, pro rebus propriis quas non negotiandi causa deferunt, vel transmittunt, c. diligenti x. de præscript. c. Ecclesia x. de constit. c si clericus x. de for. comp. Si tamen tanta sit necessitas & utilitas Reipubl. ut laicorum facultates non sufficiant, consult

Pontific

Pontifice, poterunt aliquid in commune conferre, c. non minus. & c. adversus, ex eod. Ab angariis, Parangariis, vel plaustris, aliisq; muneribus, propter Principis expeditionem incumbentibus, res Ecclesiæ non sunt immunes: Quod & de tributis Canon statuit c. si tributum 11. quæst. 1.

Personalis immunitas est exemptio à muneribus personæ industriam, curam & laborem desiderantibus. Ordinata enim persona in clericum, et res spiritualis efficitur, & in sortem Domini transfertur. c. cui portio 12. q. 1. Hinc etsi ipso jure habent immunitatem à tutela & cura, tamen cùm pietas & urgens necessitas quemlibet ad negotia impellere debet, à cura viduarum, orphanorum, aliarumq; miserabilium personarum, excusationem non habent: nec tempore magnæ necessitatis cleri à murorũ vigiliis excubiis & defensione: quæ inter res omnes seditiosis tumultibus, & bellis conturbatas, etiam susceptis armis, saluti patriæ recuperandæ & conservandæ impenditur, liberi sunt. Naturæ enim lex quemlibet in defensionem patriæ, totis viribus incũbere monet. c. pervenit, x. eod. c. si nulla 23. quæst. 8.

De iis, qui in Ecclesia manumittuntur, &c. tit. 13.

Quæ continuatio?

Superiori titulo ex duobus, quæ supererant, unum privilegium exposuit; sequitur secundum, de quo hoc tit. Aliter, servi qui ad Ecclesias confugiunt, non consequuntur libertatem: dominus tamen in ijs, si velit, potest manumittere, sicut hoc titulo videre est, & ut favet confugientibus ad eas, ita quoq; in ijs manumittendis. Unde colligunt actus non pios in Ecclesia celebrari non posse. docet x̃, de immunit. nisi talis sit cum quo agitur, ut tutò egredi non posset. Quo casu necessitas facit licitum, quod alias non foret licitum, c. Necessitas x de R. I. Vel ita, Superiora ad contentiosam jurisdictionem pertinent, hæc ad voluntariam.

Quomodo igitur in Ecclesia manumittuntur?

Ut sub aspectu plebis, adsistentibus Christianorum antistitibus, id faciant, & propter facti memoriam interponant qualemcunq; scri-

pturam, quia ipsi vice testium & actionum signent; quinetiam Episcopi ad dandas libertates sufficit, si vel voluntatis appareat evidens testimonium, l. 1. & 2. h. t. Imò clerici, si postremo judicio quibuscunque verbis dederint, vel dari praeceperint, ex die publicata voluntatis, sine aliquo juris teste, competit directa libertas, l. 2. eod. Nec minus liberi sunt, quàm si vel vindicta vel censu, vel testamento manumissi essent. §. 2. inst. de libert. Vt olim per censum honoratiore modo in Comitiis manumittebantur: ita eo modo obsoleto sub Christian. Impp. in Ecclesiis, velut Ecclesiasticis Comitiis manumitti & in civium numerum redigi coeperunt. Sic & olim in templo Feroniae Deae apud Romanos solebant servi, raso capite accipere pilium insigne libertatis.

Sed quid haec de rebus sacris hactenus tractata, ad leges & Impp?

Principes sunt nutritii Ecclesiarum & scholarum, ut prohibeant externas blasphemias: tollant impios cultus: & curent veram de Deo doctrinam proponi, & erudiri populum de vero cultu: sunt custodes Decalogi, quòd ad externam attinet disciplinam, ut tanquam vicarii Dei sonent vocem externam legis moralis, & iuxta eam subditos regant. Tales fuerunt sancti reges Iuda abolentes impios cultus, & propterea laudantur & ornantur magnis praemiis. Ita Deus inquit: Glorificantes me glorificabo. Item Nabuchodonosor & Darius proponunt edicta, ne quis dicat blasphemiam adversus Deum Israëlitarum. Huc etiam pertinent exempla Christianorum Impp. veluti Constantini, qui cùm Synodum haberet, interfuit ipse disputationi, & posteà sententia subscripsit, & in publicis literis inquit, se pariter fuisse ministrum, donec examinaretur controversia tota, Et Martianus, qui habuit Synodum Chalcedonensem, ait se extemplò Constantin. adfuturum synodo, ut patefacta veritate, curet deinceps populo unam certam sententiam proponi, & prohibeat pravas opiniones. Item Nicolaus Papa inquit distinct. 96. Fidei causas communes esse, & non tantùm ad Clericos, sed etiam ad Laicos pertinere. Imò Ambrosius Imp. Theodosium excommunicavit, nec admisit ad templum, nisi acta poenitentia. Neque Imperatori mandanti, ut cederet templum Arrianis, obtemperavit. Quare Imperator Valentinianus cum magna pietate pronuntiat, talem Episcopum esse eligendum, cui ipse Imp. submittere caput non vereatur.

Cùm

Cùm magna tyrannis sit confundere officia, & peccatum τὸ ἀλλοτρίῳ ἐπισκοπεῖν, & utile Ecclesiasticorum partes, & civilium Magistratuum intelligere, denique virtus eximia, viroq; bono digna, utrique debitam reverentiam deferre, & in utraque ordinem à Deo institutũ observare & suspicere, & unumquemque ἡσυχάζειν καὶ τὰ ἴδια πράττειν, Ostende itaque utriusque differentias?

Potestas civilis est ordinatio, in qua superiores videlicet Magistratus habent mandatum honestos mores præcipiendi in externa vitæ consuetudine, & contumaces coërcendi & puniendi vi corporali, prohibendi injustam violentiam, & defendendi publicam pacem. Potestas Ecclesiastica est mandatum divinum docendi Euangelium, & administrandi Sacramenta, ordinandi ministros Euangelii, annunciandi remissionem peccatorum singulis aut multis constituendi judicia dogmatum, & eos, qui in manifestis delictis versantur, excommunicandi verbo Dei, sine vi corporali. Non rectè ergò Bonifacius Octavus sibi utrumq; gladium adscivit. Differentia autem utriusq; ex discrimine Ecclesiæ & Politiæ magis illucescit.

Dic illud?

Illa distincta est variis locis & temporibus: hæc una est & eadem omnibus temporibus & ubiq;.

Illa habet multa capita, vel unum quidem summum, & præter illud inferiora multa, eaq; in hoc mundo: hæc unum duntaxat, idq; in cælo.

Illa certis legibus ad pacis & tranquillitatis conservationem sancitis constat: hæc Spiritu Sancto & verbo Dei munitur.

Illa urget & exigit externam disciplinam & obedientiam: hæc utramq; externam & internam.

Illa potest condere novas leges, quarum violatio obligat conscientias, & pœnas meretur corporales: hæc est alligata verbo Dei, cui nihil addere, nihil detrahere licet.

Illa armata est vi corporali adversus contumaces; in eosdem & debet & potest gladio animadvertere: hæc punit denunciatione iræ

Dei

Dei ex verbo Divino, id est excommunicatione.

Unde hujusmodi?

Leges non dedignantur imitari, & sequi canones 3. 1. distinct. 10. Item non licet Imp. vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra divina mandata præsumere, nec quicquam quod Euangelicis, vel Apostolicis, vel Propheticis regulis obviet, agere. c. 3. eod. Item certum est, hoc rebus vestris esse salutare, ut cùm de præceptis Dei agitur, juxta ipsius consuetudinem regiam voluntatem Christo subdere, non præferre, & Ecclesiasticam formam sequi, non humana jura sequenda præfigere, c. 4. ead. & c. 7.

De Legibus, &c. tit. 14. con. l, 12.

Quæ Continuatio?

Hactenus de sacris & Ecclesiasticis personis, id est, de prima hujus libri parte: Sequuntur jam humana, quæ duas reliquas partes hujus libri absolvunt, nimirum leges, quæ sunt mutus Magistratus, & Magistratus, qui sunt ἔμψυχος νόμος. Omnia enim ad jus publicum pertinent, & qui hos vel illas violat, in jus publicum peccet, & in hac parte leges legum (ut ait Placentinus) publici juris tuendi causa proponuntur.

Vnde dicitur lex?

Ciceroni dicitur potiùs à deligendo (quòd ex injusto justum, ex iniquo æquum, ex ambiguo & incerto certum despiciat) quàm à distribuendo, Græcè νόμος, quòd cuiq; suum jus ex æquitatis & justitiæ præscripto tribuat. Nam (inquit Cic.) ut illi æquitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus. Vtrumq; enim proprium legis est. Sed vocabulum legis variè accipitur.

Quot ergò modis accipitur?

Aliàs secundum perfectam significationem, ac ferè pro jure naturali. Aliàs naturaliter, idq; vel in angusta significatione, vel ἐν πλατεῖ.

Quid est lex secundum perfectam significationem?

Est recta ratio naturæ congruens, diffusa in omnes, constans & perpetua

perpetua, quæ vocat ad officium jubendo, vetando à fraude deterret. Huic legi neq; propagari fas est, neq; derogari ex hac aliquid licet, neq; tota abrogari potest. Nec verò aut per senatum, aut populum hac lege liberari possumus. Nec quærẽdus est ullus alius interpres. Nec erit alia Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac: sed apud omnes gentes omni tempore una lex, & sempiterna & immutabilia continebit: unusq; erit quasi Magister & Imp. omnium Deus: Ille hujus legis inventor, disceptor, lator. cui qui non parebit, ipse fugiet ac naturam hominis aspernabitur: hoc ipso luet maximas pœnas, etjamsi cætera supplicia, quæ putantur, effugiet. Cic. lib. 3. de Rep.

Quid significat in angusta significatione?

Ius, quod Pop. Rom. Senatorio Magistratu interrogante (veluti Consule) constituebat. In inst. de jur. Nat. Gent. & Civil. & l. 1. h. t.

Quid ἐν πλάτει?

Tùm lex definitur ars æqui & boni. l. 1. ff. de instit. & jur. & Hermenopulus de legibus præceptum commune, virorum prudentum consultum delictorum quæ sponte vel ignorantia contrahuntur, coercitio. communis Reipubl. sponsio. Ita Papin. l. 1. de ll. divinarum & humanarum rerum regina: oportet autem eam præsidem esse & bonis & malis, & principem & ducem esse, et secundum hoc regulam esse justorum et injustorum, cui omnes obtemperare convenit, et ad ejus præscriptum vitam instituere: ex Demosth. et Chrysipp. l. 2. ff. eod. Aliter: Lex est honestum decretum ad tuendam Reipublicæ pacem, moresque ac judicia regendam publicè factum et conscriptum.

Quot sunt species legis?

Aliæ sunt divinæ, aliæ humanæ. Divinæ natura: Humanæ moribus constant: ideoq; discrepant, quoniam aliæ leges alijs gentibus placent, c. omnes 2. distinct. 1.

Quomodo subdividuntur humanæ?

In Naturales et Civiles, l. 9. et penult. ff. de instit. et jur.

Quomodo Civiles?

In Vniversales, Generales, Particulares, et Locales. l. 2. et l. fin. h. t. et l. jus singulare ff. eod.

Quæ causa efficiens?

Modestin.

Modestin. respond. Omne jus aut consensus fecit,(ut leges jus civile prudentum) aut necessitas constituit (ut constitutiones, Sct^a, edicta Magistratuum, quia Magistratibus parendum est) aut firmavit consuetudo, l. penult. ff. eod.

Quales debent esse leges?

Honesta, justa, possibiles, secundum naturam & secundum consuetudinem patriæ, loco temporiq; convenientes, necessariæ & utiles, manifesta quoq;, ne aliquid per obscuritatem in captione contineāt, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscriptæ. Hæc (inquit Gratianus) in ipsa constitutione consideranda sunt: quia cùm leges institutæ fuerint, non erit liberum judicare de ipsis, sed oportebit judicare secundum ipsas, c. erit, 3. dist. 4. Quia (teste Iuliano) non omnium, quæ à majoribus constituta sunt ratio reddi potest, l. 20. ff. eod. h. t. Ideò (ut ait Neratius) rationes eorum, quæ constituuntur, inquiri non oportet, alioquin multa ex his quæ certa sunt, subvertentur, l. 21. Idem, ut leges & constitutiones futuris dent formam negotiis, & non ad præterita revocentur: nisi nominatim & de pendentibus adhuc negotiis cautum fuerit, l. leges. h. t.

De quibus agunt leges?

Aut de personis, quibus jus redditur: Aut de rebus, de quibus jus dicitur: Aut de actionibus sive judiciis, per quæ jus redditur, l. 1. ff. de statu hom.

In quibus consistunt leges, quæ circa res versantur?

Aut in acquirendo, aut in conservando, aut in minuendo: Aut enim hoc agitur, quomodo quid cujusq; fiat, vel quemadmodum quis rem aut jus suum conservet, aut quomodo alienet vel amittat, l. ult. ff. eod.

De quibus constituuntur leges?

Non de rarò contingentibus, sed de plerumq; accidentibus: Et huc pertinent sex pulcherrima Iurisconsultorum responsa.

Quæ sunt illa?

1. *Iura constitui oportet (ut dixit Theophrastus) in his quæ ut plurimùm accidunt, non quæ ex inopinato l. 3. ff. eod.*

2. *Ex iis quæ fortè uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur, ut ait Celsus, l. 4. eod.*

3.

3. Nam ad ea debet potiùs aptari jus, quæ frequenter & facilè, quàm quæ perraro eveniunt, l. 5.

4. Quod enim semel aut bis accidit (ut ait Theophrastus) prætereunt legislatores, l 6.

5. Nec leges in singulas personas, sed generaliter constituuntur, l. 8.

6. Ea quæ raro accidunt, non temerè in agendis negotiis computantur, l. ea quæ ff. de reg. jur.

Quomodo illa decidi oportet, de quibus, legibus nihil est cautum?

Cùm (ut Iulianus ait) neq; leges, neq; Sc^ta ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoq; inciderint, comprehendantur, sed sufficit ea, quæ plerunq; accidunt, contineri, l. 20 eod. Et ideò de his quæ primo constituũtur. aut interpretatione, aut constitutione optimi principis certius jus constituendum est, l. 11. Quare cùm omnes articuli sigillatim aut legibus, aut Sctis comprehendi non possint, ideo quando in aliquo causa sententia illorum manifesta est, is qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atq; ita jus dicere debet. l. 12. Nam (ut Pedius ait) quoties lege aliquid unum vel alterum introductum est, bona occasio est, quæ tendunt ad eandem utilitatem vel interpretatione, vel certa jurisdictione suppleri. l. 13. Quæ omnia clariùs elucescent ex iis, quæ posteà subjiciemus de ipsarum legum interpretatione.

Quis est finis legum?

Hic exprimitur in lege 12. tab. paucis verbis, nempe, Salus populi suprema lex esto. *Et Plato huc leges omnes tanquam ad unicum scopum respicere prædicat, ut scilicet cives optimi sint, & mutuò invicemq; amici. Item Vlpianus legum scientiam appellans non simulatam philosophiam, affirmat jurisprudentes justitiam colere, & æqui notitiam profiteri: æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, bonos non solùm metu pœnarum; sed præmiorum quoq; exhortatione efficere cupientes, l. 1. ff. de just. & jur.*

Qui effectus?

Vt omnes obstringant ad scientiam, l. leges 2. & 9. h. t. ad obedientiam l. divus. & l. leges 3. h. t. & ad pœnam. l. 2. & d. l. 9. eod.

1. Leges ut generales ab omnibus æquabiliter observentur d. l. leges. 3.

Item.

2. Leges sacratissimæ, quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab

ab omnibus debent, ut universi præscripto earum manifestiùs cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sectentur.

3. Item, Regula juris antiqui est, facti non juris ignorantiam excusare, l. regula. ff. de jur. & fact. ignorant. Item,

4. Non videtur injuriam facere, qui jure suo utitur, & ordinaria actione experitur, l. factum. §. 1. ff. de reg. jur. Item,

5. Scire leges, non est verba earum tenere, sed vim atq; potestatem, l. 17. ff. eod. Huc etiam refer, quòd aliud sit contra legem facere, & facere in fraudem legum.

Quis igitur contra legem facit?

Qui id facit, quod lex prohibet. l. contra legem 19. eod.

Quis in fraudem legis facit?

Qui salvis verbis legis sententiam circumvenit, d. l.

Quomodo igitur fit fraus legi?

Vbi quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit, & quod distat ῥητὸν ἀπὸ διανοίας. id est, dictum à sententia, hoc distat fraus ab eo quòd contra legem fit, l. fraus. 30. eod. Vnde non dubium est in legem committere eum qui verba legis amplexus nititur contra legis voluntatem, nec pœnas legibus insertas evitabit, qui se contra juris sententiam sæva prærogativa verborum excusat fraudulenter. Nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus (ut Impp. rescripserunt) subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente. Quod ad omnes etiam legum interpretationes, tàm veteres quàm novellas trahi generaliter imperamus; ut legislatori, quod fieri non vult tãtùm prohibuisse sufficiat: cætera quasi expressa ex legis liceat voluntate colligere, l. non dubium 5. eod. Pertinet etiam ad effecta legum ipsa virtus legis.

Quæ est virtus legum?

Imperare, id est, mandare aliquid fieri: Vetare, id est rei faciendæ alicui potestatem denegare: Permittere, id est, nec vetare, nec hortari: Punire, id est, necessariò à re facienda deterrere. l. virtus, 7. eod. Hermenopulus tit. 1. §. 19. Huc etiam pertinet legum interpretatio.

Quid est interpretatio?

Est declaratio legis sensus & intellectus.

Quotuplex ea est?

Duplex

Duplex: Naturalis & Collectiva.

Quid est Naturalis?

Quando ipsa natura præsidet, & moderatrix adhibetur.

Quot illa fit modis?

Duobus: primò quando summo naturali juri, id quod inferius est cedit & succumbit; veluti parenti turpia & impia præcipienti non est parendum, licet naturalis obedientia debeatur. Quia summum illud jus naturæ turpia prohibet. Item, Deo magis obediendum, quàm hominibus, Act. 5. Ita non rectè Saul clementia & humanitate adversus Dei mandatum utitur, 1. Reg. 15.

Secundò cùm rigor juris, seu summum & strictum jus longiùs à naturali æquitate recedens, ex præscripto rationis pro rerum & personarum circumstantijs temperatur, l. placuit 8. ff. de judicijs. l. in omnibus. ff. de reg. jur. & l. 14. § 6. ff. de religios. hac interpretatio vocatur sæpè æquitas, ἐπιείκεια, æquum, bonum, naturalis justitia, v. l. 13. § 6. ff. de excus. tutor. Bona fides, v. l. bona fides, ff. depositi, l. 29. § 4. ff. mandat. l. aut facta. ff. de pœnis. Videre etiam est exempla, Exod. 21. Num. 35.

Quæ est Collectiva?

In qua magis conjectura dominatur.

Vnde sumitur illa conjectura?

Partim ex verbis legum, partim ex mente. Ex verbis autem primò, si verba legum non sunt perspicua, vel propter ambiguitatem orationis, vel propter variam significationem.

Quomodo propter orationis ambiguitatem?

Cùm certa sententia investigari non queat, videndum est, quæ magis propria verbi significatio, & hæc præferenda est, l. non aliter, 69. de legat. 3. l. 1. §. licet. & § in re igitur. ff. de Exer. Quæ quidem significatio ad id quod benignius est, accommodanda est. Iuxta laud. Celsi, Benignius leges interpretandæ sunt, quo voluntas earum conservetur, l. benignius. 18. § eod.

Quomodo ex vocis significatione varia?

Tùm significatio rei gerendæ aptior recipienda est. Et hic observetur illud Pauli, In ambiguo sermone non utrumq; dicimus, sed id duntaxat, quod volumus. Itaq; qui aliud dicit quàm vult, neq;

id dicet, quod vox significat, quia non vult: neq; id quod vult, quia non loquitur, l. 3. ff. de reb. dub.

Quid, si de legis totius interpretatione quæratur?

Paulus respondet, Si de interpretatione legis quæratur, inprimis inspiciendum est, quo jure civitas retrò in iisdem casibus usa fuisset. Optima enim est legum interpres consuetudo, l. 37 ff. de legibus.

Quomodo interpretatio ex mente legis sumitur?

Id patet ex Celsi responso. Incivile est, nisi tota lege perspecta, una aliqua ejus particula proposita, iudicare vel respondere, l. incivile 24. eod.

Interpretatio hæc, quæ ex mente legis sumitur, quotuplex est?

Duplex: vel Restrictiva, vel Extensiva.

Qualis est Restrictiva?

Est scripturis formam vagam & generalem pro ratione contrahere, moderari & constringere: quod plerunq; locum habet in odiosis; Vnde ille Canon: Odia restringenda, & favores ampliandi, de reg. jur. in 6. Sic præceptum de non occidendo restringitur, ut Magistratus impunè punire possit, quemadmodum cognoscere est ex tit. de pœnis. Verùm hic observanda est Bartholi distinctio, videlicet, quòd aut ratio legis generalis in ipsa lege expressa est, aut per interpretationem collecta, aut propter variam legis utilitatem dubia & incerta.

Quid in priore observatur?

Si ratio legis cesset, & ea penitùs deficiat in casu, propter quem in restrictione ejus legis deliberamus, licet recedere a verbis legis, ut serviant menti legislatoris. Vnde illa regula, Deficiente ratione legis, deficit quoq; ipsa lex, neq; ulterius extenditur. Exemplum est pulcherrimum in l. adigere, in verbis, Quamuis nulla persona lege excipiatur: tamen intelligendum est de his legem sentire, qui liberos tollere possunt. Itaque si quis castratum libertum jurejurando adegerit: dicendum est, patronum non punire hac lege, l. 6. §. 2. ff. de jure patronatus.

Quid si ratio non penitùs cesset in casu proposito, sed variare tamen videatur à casu legis?

Tùm

Tùm non est à verbis legis recedendum, nec lex est interpretatione restringenda, l. prospexit. ff. qui & à quibus. & l. 1. §. si is, qui navem ff. de Exercitoria.

Quæ hactenus dicta sunt, habent locum, cùm ratio legum est generalis. Sed quid juris, si ad casus certos lex fuerit ducta, & specificè sive nominatim exprimat, quot casus velit, sub ea juris forma comprehendi?

Tùm nullo modo licet privato homini, sua interpretatione legem restringere, multò minus casum, qui sub ea comprehensus sit expressis verbis, propter aliquam æquitatis speciem, ab eo juris vinculo liberare, l. 2. h. t.

Quid est Extensiva?

Est jura constituta ad casus legis oratione non comprehensos, propter rationis similitudinem extendere, & rebus aliis accommodare. Magna interpretationis hujus est utilitas. Nam, cùm non omnium specierum facti forma, sigillatim legibus contineri aut tradi potuerint, hoc remedio utamur, ut cùm in aliqua simili causa sententia & juris forma manifesta fuerit, inde exemplum, quod in dicendo jure sequamur, sumamus, l. neq; leges, cum l. seq. ff. de legibus.

Quotuplex est Extensiva Interpretatio?

Ea juxta Barth. duplex est: Activa & Passiva.

Activa est, qua leges ad casus non expressè comprehensos, neq; jure communi decisos, propter similitudinis (quemadmodum diximus) rationem extenduntur, l. non distinguemus. 32. §. de officio. ff. de recept. & Gloss. ibid.

Passiva est, qua leges non ad casus in iis non expressos, sed ad alias leges communes, aliaq; statuta, quæ de eodem juris schemate agunt, extenduntur & moderantur, juxta l. 1. §. lex Falcidia ff. ad l. Falcid.

De constitutionibus Principum, et umla a hujus tit. membrum.

Quem intelligis Principem?

Princeps dicitur quasi rerum primus, & quasi primum caput. Tacit. lib. 1. & facit c. cupientes, de Electione in Sexto. In jure autẽ nostro is dicitur princeps, qui non recognoscit superiorem, cujus oculus debet esse in sceptro, satellitium & opes in amore populi: præsidium in innocẽtia, sitq; sublimior sentiendo et benè consulendo, et tam constans in eo, quod bonum et salutare, quàm est polus in cœlo aĩata nempe lex.

Quid significat Constitutio?

Quodlibet jus constitutum, sed tamen strictè præcipuè & propriè jus illud, quod ab Impp. promulgatum est, & in Codicem redactum.

Quæ origo constitutionum?

Rebus ipsis (teste Pomponio) dictantibus evenit, ut necesse esset per unum Reipubl. consuli, & cum lege Regia, quæ de imperio ejus lata est, populus ei & in eum omne jus suum & potestatẽ contulisset, datum est ei jus, ut quod constituisset, ratum esset, l. 2. §. novissimè. ff. de orig. jur. Unde illud Ulpiani, Quod Principi placuit, legis habet vigorem, l. 1. ff. de Constit. princip.

Ergone Princeps est author & conditor Constitutionum?

Quidni, adeò ut (autore Hermenopulo) generales constitutiones, & universim cõcepta in principis personã locum habeãt. l. 1. c. de principe.

Sed Princeps est legibus solutus, l. princeps 31. ff. de legib.

Est quidem solutus legibus civilibus: sed ita tamen, quemadmodum Alexander rescripsit. Licet enim lex Imperii solennibus juris Imp. solverit: nihil tamen tam proprium imperii est, quàm legib. vivere, l. 3. C. de Testam. Et in eam sententiam rescripserunt Theodos. & Valentin. Digna vox est Majestate regnantis; legibus alligatum se Principem profiteri. adeò de authoritate juris nostra pendet authoritas, & revera majus imperio est, submittere legibus principatum, & oraculo præsentis edicti, quod nobis licere non permittimus, aliis indicamus, l. digna vox. 4. h. t.

Quotuplices sunt hæ constitutiones?

Duplices: Generales, aut Personales.

Generales sunt, quæ ita ex responso Ulpiani declarari possunt. Quodcunq; Imp. per Epistolam & subscriptionẽ statuit, vel cognoscẽs decrevit

decrevit, vel de plano interlocutus est, vel edicto præcepit, legem esse cõstat. Hæ sunt, quas vulgò constitutiones appellamus, quarum præcipuè tres tantùm recensentur species. Nam aut dicuntur Rescripta, aut Decreta, aut Edicta.

Rescripta sunt, quibus principes vel ad libellos præsentium, vel ad absentium Magistratuum consultationes respondebant: atq; hæc valent rataq; habentur etiam præter leges, dùm non lædant alterum. Harmenop. c. de principe. lib. 1. tit. 1.

Decreta sunt, sententiæ, quas principes, utraq; parte audita, & causa exploratè cognita, pronunciabant. Nam ut l. 3. habetur: Si Princeps censuerit, quæ in certis negotiis statuit, similium quoq; causarum facta componunt. Hîc observetur discrimen inter sententias principum, & sententias Iudicum. Illæ in similibus sequendæ sunt, hæ nequaquam: Vnde dicitur res inter alios iudicatas, aliis non nocere, neq; præjudicare. l. sæpè, ff. de re judic.

Edicta sunt, quibus principes non de certa aliq[illegible] controversia cognoscunt, sed de jure aliquo novo statuunt, benè de Republ. sentientes quasi novam aliquam legem promulgant. Hæc omnia pro legibus suscipiuntur & observantur. Si (ut Leo ait) N. 92. animus fuerit Principi τὸ κριθὲν ποιεῖν νομοθέτημα.

Quomodo subdividuntur Constitutiones generales?

Aut enim sunt Priores, aut Posteriores. Ad Priores referenda sunt duò responsa.

Primum. Non est novum, ut priores leges ad posteriores trahantur, l. l. 26. eod.

Alterum, Ideo, quia (ut Tertullianus ait) antiquiores leges ad posteriores trahi usitatũ est, & hoc sẽper legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoq; personas etres pertinerẽt, quæ quandoq; similes erũt. l. 27. eod.

In Posterioribus duo quoq; sunt observanda:

Primò: Vt in legibus novis constituendis evidens sit utilitas, quæ recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum fuit. l. 2. eod. Item illud Pauli: Minimè sunt mutanda, quæ semper interpretationem certam habuerunt, l. minimè 22. ff. de legibus.

Secundò constitutiones posteriores aut non esse prioribus contrarias, aut esse contrarias.

Quid de iis, quæ non sunt contrariæ?

Hæ aut prioribus derogant, veluti speciales sive singulares. juxta regulam. Generalia cedunt specialibus: & in toto jure civili receptũ, generi per speciem derogari. l. in toto, ff. de reg. jur. Aut easdem interpretantur. Quo refertur Pauli responsum. Sed & posteriores ad priores pertinent, nisi contraria sint. Idq; multis argumentis probatur, l. sed & posteriores, 28. ff. eod.

Quid de Contrariis?

Hæ abrogant, mutant & tollunt priores; d. l. & §. sed & naturalia, 11. Instit. de jur. nat. Gent. & Civil. & l de quibus, 32. in fin. ff. de legibus. De his ita pronunciavit Modestin. Constitutiones tempore posteriores, potiores sunt his, quæ has præcesserunt, l. ult. ff. eod.

Quæ sunt Personales?

Hæ ad exemplum non trahuntur. Nam quæ Princeps alicui ob merita indulsit, vel si quam pœnam irrogavit, vel si cui sine exemplo subvenit, personam non egreditur, l. 1. in fin. ff. eod. Et hæ dicuntur etiam speciales, quia pertinent ad personas, ad collegia & corpora certa, ad officia, civitates, curias, provincias, scholas, quæ etsi non sint relatæ in corpus juris, nihilominus suam vim & robur obtinent, ut patet in constitutione de Iustinianæo Codice confirmando: & hæc vulgo dicuntur privilegia, de quibus posteà pleniùs.

De privilegiis.

Quæ Continuatio?

Hactenus satis superq; de Constitutionibus, quibus materia & effectus communes sunt cum legibus. Et cùm Constitutionum non contemnenda portio sint privilegia: de iis breviter & quidem nostro more commentabimur, & primum quidem, an liceat indulgere privilegia.

Licétne ergò Principi privilegia concedere?

Omninò: quandoquidem salus populi suprema lex sit, & esse debeat: atq; cùm privilegia mirum in modum virtutes exerceant, et homines ad res præclarè & fortiter pro communi bono gerendas excitẽt, quis negaret Magistratui hanc facultatem gratificandi benemeritis, & merituris de Republ. aut illis etiam parci, quibus pietas & æquitas a-

tas aliquid indulgeri suaderet, ut in illo Friderici primi studiosis concesso privilegio, Dignum (ait) existimamus, ut cum omnes bona facientes, nostram laudem & protectionem omnimodò mereantur, quorum sententia totus illuminatur mundus, & ad obediendum Deo, & nobis ejus ministris, vita subjectorum informatur. Auth. habita C. ne filius pro patre.

I. OBIECT. Sed Cicero tradit l. 12. tab. cautum fuisse, ne leges privatis irrogarentur?

Privatas leges prohibitas fuisse irrogari privatis, aliò respicit, nempè, ne judicia exercerentur privatis Magistratuum decretis: sed secundum leges publicas. Non autem legum beneficia prohibita fuerunt, quibus Cives meliores, & Reipub. magis idonei efficerentur.

2. OBI. Videtur tamen pugnare cum civium libertate, ut alii præ aliis laxentur vinculis juris communis per privilegia. Unde Ulpian. ait, jura non in singulas personas, sed generaliter constitui. l. 8. ff. de legib. Et Papin. dicitur lex, commune præceptum, & communis Reipub. sponsio. l. 1. ff. eod.

Respondendum est, privilegia non ideò dari, ut cujusquam juri noceant: Nam principes non tribuunt quicquam in cujusquam injuriam. l. nec alius C. de emancip. l. 6. & l. 2. §. meritò. ff. ne quid in loc. pub. adeò etiamsi initio citra cujusquã injuriam concessa, progressu temporis aliis propter enormem læsionem cœperint esse intolerabilia, peti potest, ut revocentur. arg. c. suggestum X. de decimis. & c. quanto X. de Censura. Itaque cùm ex justis causis dentur privilegia, neque his cujusquam libertas prægravetur, nec majorem inæqualitatem inter cives afferant, quàm si alius alio laxiore veste utatur. Æquitas enim causæ, in illis tollit inæqualitatem juris. Quod melius elucescet ex omnibus conditionibus, quibus tincta oportet esse privilegia.

Quænam sunt illæ conditiones?

1. Ne in præjudicium, injuriam, & læsionem aliorum sint concessa. d. ll. & d. cc.

2. Ne ex diametro pugnent cum jure publico, & si variant privilegia à communi jure, tamen intra limites humani & divini juris con-

sistere debent, nec illos egredi l.ult. & ibid. Gloss. C. si contra jus vel util. publ. Neq; princeps potest alicui indulgere impuritatem delinquendi, imò delinquentem non tuetur fori privilegium, quin eò loci, ubi deliquerit, conveniri & puniri possit. Anth. qua in provincia. C. de Criminibus. Nec prætextu privilegii, crescere debet flagitiorum impunitas, l. 2. C. de privil. schol. lib. 12.

3. Vt prosint imperantibus, nec sufficit alios non lædere l. rescripta C. de precib. Imp. offerend.

4. Vt non permittant, quod manifesta lege permitti prohibetur, l. nec damnosa. C. eod.

5. Vt eatenus juvent, quatenus ille voluit, qui indulsit, l. quod verò, cum seq. ff de legib & l. 1. §. fin. ff. de Constitut.

Unde dictum privilegium?

A privo. Nam Veteres priva dixerunt, quæ nos singula, quo verbo Lucilius 1. Satyr. usus est.

Abdomina Thynnia venientibus priva
dabo, cephaliúmque carmen.

Non sunt, (ait Gellius lib. 10. cap. 20) generalia jussa neq; de universis civibus, sed de singulis concepta. Quò pertinet & illud responsum Iuliani: In his, quæ contra rationem juris constituta sunt, non possumus sequi regulam. Item illud Pauli. Quod verò contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentias, l. 14. ff. de legib.

Quid est privilegium?

Est specialis quædam indulgentia juris aliquid agendi; contra quam id regulariter permissum est alioqui jure communi. Vel, Est beneficium aut jus quoddam singulare à jure communi recedens, favore personarum aut rerum, quibus illud indultum est, quemadmodum ex subjectis regulis sive legibus constabit.

1. Beneficium à jure indultum nemini est auferendum. c. indultum de reg jur. trib.

2. Decet concessum à principe beneficium esse mansurum. c. decet eod.

3. Beneficium (ait Paulus) quod à principis indulgentia proficiscitur, quàm plenissimè interpretari debemus. l. beneficium. 3. ff. de constitut. princip.

4.

4. *Ius singulare (ait Paulus) quod contra tenorem rationis propter aliquam utilitatem, authoritate constituentium introductum est. l. jus singulare, 16. ff. de legibus.*

Quotuplex est privilegium?

Hoc patebit ex duabus legibus, quarum prima est:

1. Privilegia quædam causæ sunt: quædam personæ; & ideò quædam ad hæredem transmittuntur, quæ causæ sunt: quæ personæ sunt, ad hæredem non transeunt. l 157. ff. de reg. juris.

2. In omnibus causis id observatur, ut ubi personæ conditio beneficio locum facit, ubi deficiente: beneficium quoque deficiat. Ubi verò genus actionis, ibi ad quemvis persecutio ejus aevenerit, non deficiat auxilii ratio, l. 69. eod. Quod Interpretes paulò clariùs exprimunt.

Quomodò igitur Interpretes dividunt privilegia?

Alia dicunt esse Personalia: alia Corporalia, alia Realia.

Personalia sunt, quæ principaliter personarum gratiâ conceduntur, & cum persona extinguuntur, d. l. privilegia. & c. privilegia, de reg. jur. in 6. Et sunt aut Communiter personalia, aut Singulariter. Communiter personalia sunt, cùm non nominatim, sed communi designatione qualitatis in personis conceditur; quale est privilegium minorum, & eorum qui Reipubl. causâ absunt. ff. ex quib. caus. major. Item privilegium Studiosorum, Auth. habita. C. ne filius pro patre. l. quæ pater, ff. famil. Hercisc. Item SCtum Velleianum, Macedonianum. Singulariter personalia sunt, quibus nominatim personæ exprimuntur, quibus illud concessum est, cujusmodi ferè legibus non sunt inserta, sed privatis scripturis continentur.

Corporalia privilegia sunt, quæ alicui collegio personarum concessa sunt, ut sunt privilegia Universitatum, Civitatum, & aliorum Corporum. Sed hæc recipiunt quasdam differentias: ut sunt hæ: Quædam eorum ita conferuntur, ut sint singulariter & communiter corporalia simul: quædam verò sunt communiter tantùm corporalia. Singulariter & communiter simul corporalia sunt privilegia, quibus omnes & singuli, qui sunt de Collegio, cui data sunt, pro se uti possunt; quale extat in c. contigit. X. de sentent. Excommun. & in d. Auth. habita. Communiter tantùm corporalia sunt, quibus solum gaudet Collegium, non singulæ ex illo personæ, veluti is, qui manumissus est ab aliquo municipio, non est libertus singulorum ejus municipij civium, l.

sed si hae. de in jus vocando, nonnunquam dicuntur localia quasi locis collegiorum, non singulis personis competant.

Realia sunt, quæ principaliter rerum conservandarum gratiâ data sunt, ut privilegium rerum Ecclesiasticarum. In Auth. de non permutand. aut alienand. reb. Ecclesiast.

Dic secundam privilegiorum divisionem?

Quædam sunt Generalia sive Indeterminata: quædam Specialia, sive Limitata.

Generalia sunt, quæ tam generalibus verbis concepta sunt, ut in pluribus casibus locum habeant. Exempla vide in c. cum & plantare. x. de privileg.

Specialia sunt, quæ tam signatò circumscribuntur, ut ad alios casus, quàm qui illis expressi sunt, facilè extendi non possint: quale est privilegium provinciarum de accessu proconsulis l. 4. § antequam. ff. de officio proconsulum.

Quæ est tertia divisio?

Privilegia aut sunt odiosa, quæ sunt restringenda: aut favorabilia, quæ sunt extendenda.

De mandatis Principum, tit. 15. habet 2. ll.

Quæ Continuatio?

Superiore titulo, egimus de legibus, dignitate & ordine prioribus, & de earundem speciebus veluti constitutionibus, id est, omni jure, quod à Principe constituitur, & Edictis, quæ sunt quoque jus generale, quod Principes sine præsentibus circumstantiis vel personarum vel rerum, proprio motu in futurum, ad subditorum utilitatem promulgat: pergit jam ad mandata principum, quæ etiam sunt, quasi quædam species juris. Hinc & preces principum mandata appellant, juxta illud: cùm rogat potentior, cogit.

Unde dicta sunt mandata?

A manu danda, quod in mandatis dandis accipiendisq;, manus sibi invicem dari, moris erat, quem etiamnum mutuis promissionibus vulgò videmus observari. Unde illud, En dextra fidesq;: Mandare itaq;

re itaq; generaliter significat alicui personæ aliquid gerendum committere. Observabitis & hoc, quod Holeander annotat: Mandato ablativo designetur publicum mandatum: sed mandatu privatum.

Quid sunt mandata?

Sunt principum præcepta sive commonitoria. Novel. 31. c. 2. sive jussa, quæ certis personis dantur, veluti præsidibus, præfectis, procuratoribus. Dion ἐντολὰς vocat. Græci etiam παραγγέλματα & ὑποθήκας N. 2. 6. & ἀποκρίσεις Nov. 25. De quibus hîc agimus. Pertinet ad statum cujusq; loci benè tuendum. in Authent. de mand. Principum: ut omnia in provinciis justè recteq; gerantur, & certis legibus sit adstricta Magistratui potestas: & provinciales, tanquam lex, obligent.

Quotuplicia sunt mandata?

Duplicia: Publica & Privata.

Privata sunt conventiones, quæ consensu constant, l. 1. ff. mandati, quas liberum est suscipere, vel abnuere. Ab arbitrio enim & voluntate pendent. Quia par in parem non habet imperium, l. 4. ff. de recept. De his hîc non agitur.

Publica sunt ordinationes principum provinciales & Locales, vim habentes, sæpè duntaxat ad certum tempus, vel durante aliquo Magistratu: & horum mandatorum quædam dicuntur Instructiones, quædam Commissiones.

Instructiones sunt, quæ aliquid de gubernatione provinciarum, vel administratione civitatum præsidibus & Magistratibus cujusq; loci præcipiunt & indicant.

Commissiones sunt, quando Princeps mandat de aliquo privato negotio cognoscendo & exequendo.

Quid intersit inter Constitutiones & Mandata?

Constitutiones perpetuæ sunt & generales, obligantes non solùm unam provinciam, sed omnes in universum subditos Imperii Rom. juxt. l generales 5. de ll. & Constit.

Mandata verò obstringunt ad certum tempus, vel hoc tantùm vel illo Magistratu jurisdictionem obtinente: nec omnes tenent, sed duntaxat provinciales.

Dic aliquot exempla mandatorum?

Veluti

Veluti, ut Magistratus possit mulctam dicere: damnare in metallum, gladio punire, neq; tantùm jurisdictioni, sed etiam vitæ & moribus dantur mandata: veluti ne fœminam provincialem in matrimonium ducat, l. si contra. C. de nupt. Ne dona vel munera accipiat, l. solet §. ult ff. de offic. procons. Vt leviores, et vilium personarum lites ex non scripto definiant, minuendorum sumptuum causa, & omninò gratuitò. Novell. 28. Ne quos admittant quocunq; ex foro prodeuntes, inspectores, vel discussores formarum, portuum, itinerum, pontium, murorum, publico loco inædificatorum, quæ plerunq; gravant provinciales, quod congruit cum l. ult. ff. de discuss. Nec quæsitores hæreticorum, qui hoc prætextu onerant & expilant miseram, innocentē, & piam plebem. Edict. 2. Ne dent in longius tempus λόγυς ἀσυλίας, 30. dierum.

Quæ forma mandatorum?

Vt scripturâ constent: quod ex rescripto Impp. Grat. Valent. & Theodos. patet, Quod sic habet: Si quis adserat se cum mandatis nostris secretis venisse: omnes sciant nemini quiaquam, nisi quod scriptis probaverit, esse credendum, nec ullius dignitate terreri, sive ille tribuni, sive notarii, sive comitis præferat dignitatem, sed sacras nostras literas esse quærendas, l. 1. h. t. Nec nuncio Principis creditur sine literis, l. prohibitū, C. de jure fisc. lib. 10. Excipiūtur hinc tres casus.

1. Quando mandata certum aliquem dant judicem, vel quæ judici collegam adjungunt, vel quæ acta edi, vel celeriter litem finiri jubent: quæ judices ipsi accipiunt ex ore principis, vel ex ore quæstoris & referendariorum sacri palatii, etiā nulla scriptura interveniente, No. 113.

Quomodo innotescunt provincialibus mandata?

Præsides hæc in suis provinciis vice edicti proponunt. juxta l. 6. §. 1. ff. de custod. reorum, Vt ad quam gubernationis rationem ipsius potestas adstricta sit, & qualis futura sit administratio, & quid fieri volet illo tempore princeps, publicè omnibus constet, & sic benè utiliterq; omnia in provincia gerantur, nec libera, nec certis legibus obnoxia sit Magistratuum potestas, N. 17. de mandatis Principum.

De Senatusconsultis, tit. 16.

Quæ Continuatio?

Postquam

Postquam Imp. quæ ad leges pertinebant, exposuerat, & simul earum species veluti constitutiones, & edicta principum tradiderat, mandataq; Principum, Constitutionibus & edictis similia perstrinxerat, addit jam aliam juris speciem, nempe SCta l. non ambigitur ff. de legib. & §. constat Instit. de jur. Orat. Gent. & Civil.

Quæ fuit origo SCtorum?

Cùm difficile esset plebem convenire, & multò difficilius populum in tanta hominum turba: necessitas ipsa curam Reipubl. ad Senatũ deduxit, & ita cœpit Senatus se interponere, ut quicquid constituisset observabatur, idq; jus appellabatur, l. 2. §. deinde, quia ff. de Orig. jur.

Vnde dictum SCtum?

A Senatu, & à consulendo. Consulere porrò, teste Theophilo, est providere & curam gerere. Quoniam ergo Senatus constituendo jure lites subinde incidentes ad curam suam revocabant, meritò vocatum est id SCtum.

Quid ergo est SCtum?

Quod Senatus justo loco, numero & tempore, uno aliquo ex majoribus Magistratibus rogante, jubet, sancit & constituit. Et ferè has quinq; habet partes, Proœmium, Decisionem, Decretum Senatus, Rationem decreti, Sanctionem.

Quotuplicia sunt SCta?

Duplicia sunt in jus nostrum relata: aut nominata sunt, ut Macedonianum, Velleianum, Trebellianum: aut innominata absq; nomine consulum, vel authoris, quo præsidente vel suadente SCtum factum est.

Licebátne cuilibet authori esse SCti, & Senatum cogere?

Nequaquam. Nam aut sola lege veluti singulis Calend. non Idibus, Senatus habebatur. Aut à Magistratu majore indicebatur, veluti Dictatore, & hujus loco Principe. Item Consulibus, Prætoribus. Trib. postea plebis, Interrege, Præfecto urbis. His & nulli præterea jus erat cogendi Senatum. Hæc potestas lege Regia posteà in principẽ fuit translata, ad cujus libellum SCta fiebãt. l. item. 20. §. Prætor. vers. de his quæ Imp. libello complexus esset, quid fieri placeat. ff. de petit. hæred.

Ademítne

Ademítne ergo lex Regia, Imperiũ in Principes transferens Senatui Iuris condẽdi potestatẽ?

Minimè & multa argumento sunt: Nam Neronis temporibus SC. Trebellianum factum est. l. 1. in princ. ff. ad SC. Trebell. Item D. Marci temporibus Orphicianum. Instit. de SC. Orphic. Item D. Severi temporibus SC. de non distrahendis prædiis minorum sine decreto Prætoris, & evidenti necessitate l. 1. ff. de reb. eor. qui sub tutel. vel cura sunt. Item Vespasiani SC. Macedonianum, ne mutua pecunia incertis nominibus filiisfamilias crederetur l. 1. ff. ad SC. Macedo. Hæc exempli gratia retulisse sufficiat. Nam ferè quæcunq; SCta in quinquaginta librîs digestorum leguntur, Impp. temporibus facta fuere. Quod magna probatio est, AA. adventu Senatus potestatem non extinxisse. Vide de his Rivallum.

De quibus fieri possunt SCta?

De omnibus rebus publicis privatisq́; , criminalibus, & civilibus, cùm Resp. omnis in potestate Senatus sit præter creationem Magistratus, legumlationem, & arbitrium pacis & belli, de quibus tribus, quæ in initio fuerant in potestate populi, post penes AA, nihil poterat statui SCto, sed lege tantum in Comitiis populi lata.

De veteri jure enucleando, & de authoritate Iurisprudentũ, qui in digestis referuntur, tit. 17. numerant Neot. hîc tres Const. cuius initia. 1ª Deo. 2ª Tanta. 3ª Bedit.

Quæ Continuatio?

Persecutus est Imp. superioribus tit. quasdam partes juris Scripti, ut Legis, Constitutiones, & SCta: sequuntur jam Responsa & interpretationes IConsultorum veterum, qui eam authoritatem obtinuerunt, & etiamnum obtinent, ut ab illis judicibus non recedere liceret, neq; liceat, §. responsa, Instit. de jur. Nat. Gent. & Civil.

Quæ

Quæ fuit horum origo?

Legibus (inquit Modestinus) latis, cœpit, ut naturaliter evenire solet, ut interpretatio desideraret prudentiũ authoritatem, necessariam esse disputationem fori. Hac disputatio, hoc jus, quod sine scripto venit, compositum à prudentibus, propria aliqua parte non appellatur, ut cætera partes juris civilis suis designantur nominibus, sed communi nomine appellatur jus civile, §. his legibus, 5. l. 2. ff. de orig. jur. Nam Iurisconsulti ad Tiberium Coruncanum usque in latenti jus civile retinere cogitabant, solumq; consultatoribus vacare potiùs, quàm discere volentibus se præstabant, d. l. 2. §. juris civilis 35. Hinc popul. Rom. Sempronium Sophum i. sapientem appellabant: Hinc Caio Scipioni Nasicæ, qui Optimus à Senatu salutatus est, etiam publiè ædemus dabatur in Sacra via, quò faciliùs consuli posset §. 37: Hinc Quintus Mutius consulenti Servio Sulpitio de re amici &, parum responsum percipienti ideoq; iterum atq; iterum interroganti dixisse fertur: Turpe est Patricio & nobili viro, & causas oranti, in quo versaretur, jus ignorare. d. l. 2. §. Servius 43.

Quid sunt responsa prudentum?

Sunt sententiæ & opiniones eorum, quibus permissum erat de jure respondere. d. §. responsa.

A quibus hæc potestas permittebatur?

Primùm à Tiberio (sicut à Pomponio) Massurio Sabino concessum fuit, ut populo responderet. Et obiter sciamus ante tempora Augusti publicè respondendi jus non à principibus dabatur, sed qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondebant, neque responsa utique signata erant, sed plerunque judicibus, ipsi scribebant, aut testabantur, qui illos consulebant. Primus D. Augustus, ut major juris authoritas haberetur, constituit, ut ex authoritate ejus responderent, & ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit. Ideò optimus Princeps Adrianus, quum ab eo Viri Prætorii peterent, ut sibi liceret respondere, rescripsit eis, hoc non peti, sed præstari solere, & ideò si quis fiduciam sui haberet, delectari se; populo ad respondendum se præpararent. d. l. 2. §. 47. vers. Massurius Sabinus.

Estne igitur inter ICtos, alius alio majore authoritate?

Omnes

*Omnes æquâ dignitate pollent, & nemini ulla dignitas aut prærogativa servatur aut vendicatur: Etsi non omnes in omnia, sed certi per certa vel meliores vel deteriores inveniuntur, constit,*J*.3.b,1.Cùm enim (ut ait Iustinianus) & has leges constitutionum vicem obtinere censuimus, veluti à nobis promulgatas. Quid ampliùs & minus in quibusdam esse intelligatur, cùm una dignitas, una potestas omnibus est inducta.Const.2.§, legislatores.*

Quid sentis de aliis ICtis, qui hanc potestatem non acceperunt?

*Illorum nulla est authoritas, neq; illorum scriptis judices alligantur, sicut nec hodie Dd.authoritas opponenda est disquisitioni veritatis, Gloss.in l.licet ff. de offic.præsid. Cùm tamen à superiorum scriptis recedere non possint, qui sunt (sicut diximus) pro parte juris civilis, & his Iustinian. vendicat authoritatem sibi parem l.ult.*C*.de ll. & hanc antiquam prudentiam ICtorum appellat jus vetus.*

Sed quomodo Imp. dicit se opus desperatum per medium quasi profundum ambulantem cœlesti favore implesse. §. & cum sacratiss. in in proœm.Inst. Item se hoc effecisse Deo fretum, quod alius neque sperare,neque optare ausus fuerit?

Constat & Pompejum magnum, & Iulium Cæsarem, & Servium Sulpitium id meditatos quidem, sed nunquam manus admolitos fuisse. Ciceronem quoq; seriò de hoc opere cogitasse ex 1. lib.de Orat.discimus, ubi ait: Si enim aut mihi facere licuerit, quod jam diu cogito, aut alius quispiam me impedito occuparit, aut mortuo effecerit, ut primum omne jus in genera digerat, quæ perpauca sunt: deinde eorum generum quasi quædam membra dispertiat, tum propriam cujusq; vim definitione declaret, perfectam artem juris civilis habebitis, magis magnam & uberem, quàm difficilem & obscuram. Atq; intereà tamen, dum hæc quæ dispersa sunt, coguntur, vel passim licet carpentem & colligentem undiq; repleri ista juris civilis scientia. Hæc ille. Quod Iustinian. etiam timuit, dum ait; Cùm itaq; nihil tam studiosum in omnibus rebus inveniatur, quàm legum authoritas, quæ & divinas & humanas res benè disponit, & omnem iniquitatem

iniquitatem expellit: reperimus autem omnem legum tramitem, qui ab urbe Roma condita & Romuleis temporibus descendit, ita esse confusum, ut in infinitum extendatur, et nullius humanæ naturæ capacitate concludatur. Const. 1. §. 1.

Ostende hoc & clariùs doce.

Nam leges senio prægravatas 1000, nempè, 40 annis confusas et dissolutas, et in 2000 librorũ conscriptas, et plusquam tric. cent. mil. versuum à veteribus effusas legere & perscrutari, & ex his quod optimum esset eligere, & in modernum contrahere compendium, id est, in 50 libros, quod utilissimum erat, colligere, & omnes ambiguitates præcidere, An hic labor? An non hoc opus erat? Quibus 50 libris nomen imposuit D. sive ∓, quòd omnes disputationes & decisiones in se habeant legitimas, nam quod undique fuit collectum, hoc in sinus suos receperunt (in 150 penè millia versuum totum opus cõsummando:) quasi proprium & sacratissimum justitiæ templum consecravimus, Const. 2. §. 5. ut ll. contineat 8. millia 155. secun. Gazalip.

Quibus authoribus hanc rem multò difficillimam, invocato etiam Dei auxilio, qui res penitùs desperatas donare & confirmare suæ virtutis magnitudine potest, aggressus est?

Primùm hoc opus Triboniano commisit, respiciens ejusdem optimum & syncerum ministerium, perspectis ipsius ingenii documentis, & jussit, ut quos ille probaverit, ex facundissimis antecessoribus, & ex disertissimis togatis, ad societatem laboris eligeret. Const. 1. §. 1.

Quos ipse elegit, adhibuítque collegas?

Constantinum virum illustrem, qui semper se Iustiniano ex bona opinione & gloria commendabat; & Theophilum illustrem virum, & profitentem jus in urbe Constantinopolitana, & Dorotheum leges discipulis in urbe Berytensium prælegentem: Sed & Anatolium, & ipsum apud Berytenses Iuris Interpretem, cujus pater Leontius, & avus Eudoxius optimam memoriam in legibus reliquerunt, & plures alios. v. Const. 2. §. quæ omnia. & §. 1. Const. 3.

Quid Imp. & Tribon. & ejus collegis mandavit?

1. Vt initium sumant à sacratissimis retrò principum constitutionibus, eas emendent, & viæ dilucidæ tradant, inq; unum Codicem

congregent, sublata omni supervacanea similitudine, & iniquissima discordia. Const. 2. §. 1.

2. Deinde, antiquorum prudentum (quibus authoritatem conscribendarum legum & interpretandarum principes prabuerunt) libros ad jus Rom. pretinentes, legerent & elimarent, atque ex his colligerent, quod unum pro omnibus sufficeret. Const. 1. §. jubemus.

3. Tum, hoc ipsum jus per 1400 annos ab urbe condita confusum in 50 lib. ff. sive π digererent. Const. 1. §. 1.

4. Sed & mediocrem Isagogen, & totius legittima scientia elemẽta in eorum gratiam, qui recenter leges attingunt, nec majorem ferre doctrinã possunt. Const. 2. §. sed & cum perspexim. & Const. 3. §. 11.

5. Post, non ex multitudine authorum, quod melius aut aquius est judicarent, cùm possit unius forsan & deterioris sententia, & multos & majores in aliqua parte superare. Const 1 §. 5. & 6.

6. Porrò, hujusmodi nihil respuant, quod necessarium perspexerint, sed ponant, & vim legis obtineat ut omnes, qui in hunc Codicem relati fuerint, viri prudentissimi, habeant authoritatem, tanquam si eorum studia ex principalibus constitutionibus profecta, & à nostro (ut ait) ore profusa. Omnia enim meritò nostra facimus, quia ex nobis omnis impertitur authoritas: Nam qui subtiliter factum emendat, laudabilior est eo, qui primus invenit. Const. 1. §. & ideò. & Const. 3 §. 20.

7. Etiam reverentia haberetur ea antiquitati, ut neque mutarentur nomina veterum ICtorum, sed uniuscujusque appellatio legibus inscriberetur, mutando quidem et tollendo non recta, eligendo optima: Et nomina quidem (inquit) veteribus servamus, legum artem, veritate nostram fecimus. Const. 3 §. tanta, ut constet ex quibus veterum libris hac consummatio perfecta sit, & quibus libris, & quot millibus hoc justitia templum adificatum. Const. 2. §. ne autem.

8. Prateres, ut omne in veteribus superfluum, omne imperfectum removeat, non rectè scriptum reforment, & hoc verum sit & optimũ, & quasi ab initio scriptum, quod ab illis electum & positum fuerit, adeò etsi apud veteres scripta in contrarium in compositione inveniantur, non ex comparatione veteris voluminis quasi vitiosam scripturam arguere audeant, cum antiqua lege (qua Regia nuncupabatur) omne jus omnisque potestas pop. Rom. in Imp. translata fuerit. Const. 1. §. sed & hoc.

9.

9. *Adhæc, ut ex veterum libris non repetantur illæ leges, quæ in desuetudinem abierunt, cùm hæc tantummodò obtinere volumus.*

10. *His proximum est, ut duobus istis Codicibus omnia gubernentur; uno Const. altero Iuris Enucleati: vel si quid aliud à nobis fuerit promulgatum. Inst. vicem obtinens, ut rudis animus studiosi simplicibus enutritus, faciliùs ad altioris prudentiæ scientiam provehatur. Const. 1. §. Ideóq́;.*

11. *Super hæc, ut nemo Iurisperitorum in posterum his libris commentarios applicet, & verbositate suâ compendium confundat, quemadmodum antiquioribus temporibus factum est, cùm per contrarias interpretantium sententias totum jus penè conturbatum est, sed sufficiat per indices tantummodò & titulorum subtilitates (quæ paratitla nuncupantur) admonitoria facere. Const. 1. §. pen. Licet etiam in Græcam linguam transformare eodem ordine, eâdemque consequentiâ, quod Græci κτ̀ πόδα vocant. Const. 2. § hoc autem.*

12. *Huc pertinet, quòd omne id, quod hîc compositum est, solum & unicum observandum sit; Nec in judicio, nec in alio certamine, ubi leges necessariæ sunt, ex aliis libris vel aliquid recitare vel ostendere conetur, nisi temerator velit, falsitatis crimini subjectus unà cum judice, qui ei audientiam accommodaverit, gravissimis pœnis laborare. Const. 2. §. has itaque.*

13. *Ad extremum, ne per scripturam aliqua fiat dubitatio, jubet Imp. non per captiones signorum, & compendiosa ænigmata (quæ multas antinomias induxerunt) eundem textum conscribi. Const. 2. §. pen.*

Quæ utilitas igitur veteris hujus juris enucleati?

1. *Quòd priore tempore, vix post quadriennium prioribus contingebat, ut tunc constitutiones Imperatorias legerent, hoc jam à primordio suorum studiorum consequantur. §. 3. in prœm. Inst.*

2. *Quòd antiquâ illâ confusione & infinitâ mole sublatâ, jus obtinuerit mirabilem finem, & ad legittimam veritatem pervenerit. Const. 3. § 12.*

3. *Quòd vilissima pecunia pateat librorum juris comparatio, tam tenuioribus, quàm ditioribus, minimo pretio magna prudentia comparanda.*

4. *Quòd mirabile ex his libris emerserit, ut nempè multitudo antiqua, præsente brevitate paucior inveniatur. Homines enim, qui antea litigabant, licet multæ leges essent; tamen propter inopiam li-*

brorum, quos comparare impossibile erat, vel propter ipsam inscitiam, voluntate judicum magis, quàm legittimâ authoritate dirimerentur: adeò ut nunc antiqua multitudo egena reperiatur, opulentissima autem brevitas efficiatur. Const. 2. §. mirabile.

5. Iam, pro singulis rebus, singula leges constituta videntur. Const. dedit in princ.

Nihílne ergò in his libris prætermissum, nihil geminatum, vel obscuritate involutum remansit?

Fieri id quidem potuit.

1. Propter ingenii mortalis exiguitatem.

2. Propter ipsius rei vitium: quod multis inutilibus permixtum, nullam sui ad eruendum prabuit copiam.

3. Tum, quòd multò utilius sit pauca idonea effugere, quàm inutilibus homines pragravari. Const. 2. §. 16.

4. Ad hac; Quia res divina perfectissima sunt: Humani verò juris conditio in infinitum decurrat, & nibil sit in ea, quod perpetuò stare possit. Nam multas formas edere natura deproperat novas. d. Const. §. 18.

5. Postremò, in nullo penitùs peccare, & omnium habere memoriam, divinitatis potiùs quàm mortalitatis est. d. Const. §. 13.

Sed quid si aliquid novum controvertatur (quia natura multa norat) quid consilii?

Imperium enim propter hoc Deus imposuit hominibus, ut emergentia, & legis egentia lege definiat, & incerta certis concludat legibus & regulis. Const. 3. §. 18. Vnde illis, qui in Magistratu sunt, remedium imponent, ad eorum qua sancita sunt, consequentiam et imitationem.

De juris & facti ignorantia, tit. 18. leges habet 13.

Quæ Continatio?

Hactenus de jure & legibus, earundémque partibus: Iam verò generalem et omnibus communẽ titulum, nempè de juris et facti ignora-

ra-

rantia. *Superiùs enim dixerat ab omnibus cognosci debere leges, ut earum præscripto inhibita declinarent, vel permissa sectarentur. l. leges sacratissimæ. ᵹ de Const. & legibus. Dicit item, nemini permitti vel jus ignorare, vel dissimulare. l. 12. h. t. Quia leges (ut ait Ramus) publicæ sunt. l. 1. in verbis, Communis sponsio. ff. de legibus. Et hanc habent proprietatem, naturam & indolem ex eo, quòd olim nulla lex vigorem consecuta esset, quæ non pro rostris trinundino proclamata esset, cui si nemo interim contradixisset, tum quasi totius populi consensu recepta, erat firma & perpetua.*

Quid ignorare significat?

Dicimur in eo falli, decipi, id nos fugere, quod cognitum esse oportebat, & ad quod discendum, intelligendum, explorandum tenemur. Unde illa; Scire & scire debere paria sunt. Item, qui ignorat, ignorabitur; & in his præsumitur scientia, donec probetur ignorantia.

Quotuplex est ignorantia?

Alia Iuris: alia facti.

Illustra utramque speciem exemplis, ut, quid quæque sit, intelligatur?

Veluti, si quis nesciat decessisse eum, cujus bonorum possessio defertur, in facto errat, nec ei tempus cedit: Sed si sciat quidem defunctum esse cognatum, nesciat autem proximitatis nomine bonorum possessionem sibi deferri: aut si sciat se scriptum hæredem, nesciat autem quòd scriptis hæredibus Prætor bonorum possessionem promittit, cedit ei tempus: quia in jure errat. l. 1. ff. eod.

Cùm quis ignorantiam prætendit, quid potissimùm animadvertendum?

Primùm, quid ignoraris: quid ignorans feceris: quid extiterit ex facto, delictum an contractus; quid postules actionem an defensionem: cujus juris errore lapsus, naturalis an Civilis: utrum privilegio gaudeat nec ne, velut si fueris minor, mulièr, agricola, miles: Item utrum contendas de lucro captando: an de damno vitando.

Quid sibi vult prima quæstio?

Id nimirum, ut intelligamus, utrum quis juris an facti ignorantiam alleget. Quoniam ignorantia non juris, sed facti excusat. c. ignorantia de reg. jur. in 6. & Paulus ait: Regula est, juris quidem igno-

rantiam cuique nocere, facti ignorantiam non nocere l. 9. ff. eod.

Cur non eodem loco habetur juris ignorantia, quo facti?

Neratius resp. Quia jus finitum esse possit & debeat; facti interpretatio plerunque etiam prudentissimos fallat. l. 2. ff. eod. Neutrius tamen neque facti, neque juris ignorantia affectata excusat. Affectatam appellant ignorantiam ejus, quod quisque cum de jure tum de facto scire tenetur, de qua eleganter Aristotel. οὐ γὰρ ἡ ἐν τῇ προαιρέσει ἄγνοια αἰτία τοῦ ἀκουσίου, ἀλλὰ τῆς μοχθηρίας, οὐδ' ἡ καθόλου. *Ignorantia, quam quis volens accersit non excusat. sed est perversitas: sicut & universalis ignorantia, id est. cùm prorsus nihil scimus eorum, quæ agenda sunt. Quò pertinet & illud ejusdem: Differunt (inquit) & quod peccat ignarus, & quod peccatur propter ignorantiam.*

Quid igitur, ignorantia juris naturalis excusatúrne?

Nequaquam; & indistinctè nocet, neque ullam meretur excusationem, & ne quidem in mulieribus, l. si adulterium. 38. §. fratres. In verbis: Nam & mulieres in jure errantes incesti crimine non teneri, cùm in adulterio nullam possint habere excusationem. ff. ad l. Iuliam de adulter. Neque in rusticis, ut in l. 2. in verbis, Nec ea in re rusticitati præbeatur venia, cum naturali ratione hujusmodi personis honor debeatur. De in jus vocando. Neque in militibus, ut in princip. l. 1. in verbis: Etiam in militibus ratio pietatis in parentes constare debet. Quare si filius in parentes commisit, pro modo delicti puniendus est, tot. passl. l. & 1. ff. de obseq. Vnde Aristoteles excusabile esse ait, si quis erret in legibus, id est, in jure positivo: sed non excusabile, si quis erret in jure primo, id est, naturali.

Quid de juris positivi ignorantia?

De hac ita observetur Papiniani responsum, quod ita habet: Iuris ignorantiam non prodesse acquirere volentibus, suum verò petentibus non nocere. l. 7 ff eod. adeò ut juris error, ne quidem fœminis, in compendiis prosit, l. 8. eod. Vnde si quis ignorans indebitam pecuniam solvat, cessat ejus repetitio. l. 1. h. t.

Est igitur per omnia eadem ratio fœminarum, minorum, rusticorum & militum?

Minori-

Minoribus 25 annis, teste Paulo, jus ignorare permissum est, quod & in fœminis in quibusdam casibus propter sexus infirmitatem dicitur, & ideò, sicubi non est delictum, sed juris ignorantia, non læduntur. l. pen. ff. eod. & l. 2. ff. h. t. Si filiusfamiliàs miles, à commilitone hæres institutus, nesciat etiam sine patre sibi licere adire hæreditatem per Constitutiones Principales, etiam jus ignorare potest, & ideò ei dies aditionis non cedit. l. pen. ff. eod. Unde etiam illud dicitur, Simplicitas armata militia excusat. l. 1. C. eod.

Sed quomodò illud, juris ignorantiam non prodesse, intelligendum est?

Labeo ita existimandum putat; Si ICti copiam haberet, vel suâ prudentiâ instructus sit, ut cui facilè sit scire, ei detrimento sit juris ignorantia, quod rarò accipiendum est, nec stultis solere succurri, sed errantibus. l. pen. ff. eod. Scientiam non hanc (ut ait Paulus) accipi, quæ prudentibus sit: sed eam, quam quis aut per se habeat, aut consulendo prudentiores assequi possit, l. 10. ff. de bon. possess.

Quid ergò efficit juris ignorantia?

Præsumptionem parit adversus eum, qui eam allegat: Quia quisque quod scire debet, non nescire præsumitur. Bartol. & Angel. in l. sed et si. § scire. ff. de petit. hæred.

Quid est ignorantia facti?

Est quando, quod in casu vel natura contingenter positum est, accidisse ignoratur. Ut si nesciam eum esse mortuum, cujus hæreditas mihi lege obvenit. l. 1, & 3. h. t.

Quotuplex est facti ignorantia?

Aut est proprii facti ignorantia, aut alieni. Quod Pompon. satis innuit, dum ait, Plurimum interest, utrum quis de alterius facto et causa non scierit, an de suo ignorat. l. 3. h. t.

Quomodò accipienda est facti ignorantia?

Sabinus existimat, referente Cassio, ita accipiendam esse ignorantiam, non deperditi, & nimium securi hominis. d. l. 3. Ulpianus verò ait, Nec supina ignorantia ferenda est factum ignorantis, ut nec scrupulosa inquisitio exigenda sit. Scientia enim hoc modo existimanda est, ut neque negligentia crassa aut nimia securitas satis expedita sit, neque delatoria curiositas exigatur. l. 6. eod. Paulus respondit, facti igno-

rantiam ita demùm cuique non nocere, si non & summa negligentia objiciatur. quid enim si omnes in civitate sciant, ille solus ignoratę? & rectè Labeo definit, scientiam neque curiosissimi, neque negligentissimi accipiendam, verùm ejus, qui eam rem diligenter inquirendo notam habere potuitę. l. pen. § sed facti. ff. eod.

Quis effectus erroris facti?

Facti proprii non excusat, neque præsumitur. l. quanquam. ff. ad SC. Velleian. Alieni ferè facti probabilis est, & excusationem meretur, et probatur eo ipso, quòd contrarium non ostenditur. l. cùm quis. h. t. Vnde hæc axiomata; Error facti ne maribus quidem in damnis vel compendiis obest. l. 8 ff. eod. Item, Per ignorantiam facti indebiti repetitio competit. d. l. 10.

De precibus Imperatori offerendis, tit. 19. leges 8. cum 1. Auth.

Quæ Continuatio?

Hactenus de Const. Principum, earúmque speciebus, veluti de jure universali dictum fuit, sequitur jam speciale & singulare jus, nempè de precibus.

Quid sunt preces?

Supplicationes, sive libelli supplices, qui principi super aliqua re impetranda exhibentur. vel aliter: Preces sunt desideria supplicantium, & ad hæc responsa sunt rescripta principum. Quicquid constituitur (teste Cuiacio) de precibus, idem obtinet in rescriptis.

Quotuplices sunt preces?

Aut vera sunt, aut falsa; & quemadmodum oratio veritatis nuda, simplex, & una est, sic unum etiam tantùm genus est verarum precum.

Quotuplices igitur sunt falsæ?

Hæ, secundum Interpretes, & sunt & dicuntur multiplices, aut non vera, aut fraudulenta, aut mendaces. l. 1. 2. ℐ. si contra jus. Atque hæ subdividuntur in subreptitias, quibus subesse dicitur peccatum omissionis: Nam veritas tacetur; & obreptitias, quibus inest (ut loquuntur

tur) peccatum commissionis. l. 2. in fin. ~~s~~. de ll. & plerumque falsum exprimunt. v. c. ex parte, ~~x~~. de for. compet.

Cur preces afferuntur?

Propter publicam aut privatam necessitatem, cui non aliter, quàm à principe subveniri potest: neque aliter debent principi, publicis occupationibus districto, negotium facessere, quàm cùm ipsi se expedire & instruere nequeant, & tum demùm, cùm per inferiorem jus obtineri nequeat. l. ult. h. t. scilicet in his, quæ ad justitiam pertinent. Nam in iis, quæ ex benevolentia pendent (quæ dicuntur esse gratiæ) statim rectà adire licet principem. l. ut responsum. C. de Transact.

De quibus interponuntur preces?

De rebus dubii juris, & tum etiam exprimenda est causa facti, quod princeps non supplet d. l. ut responsũ. Quæ etiam petenti prosunt, neque alteri injuriosè noceant. Vnde Theodos. & Valent. Rescripta (ajunt) contra jus elicita, ab omnibus judicibus refutari præcipimus, nisi fortè sit aliquid, quod non lædat alium; & prosit petenti, vel crimen indulgeat. l. rescripta. h. t. Nec debent esse damnosa fisco, aut juri contraria. l. 3. h. t. nec juri tertii adversari. Vnde Creditor non potest precari, vel à principe postulare, ne debitor exceptione utatur peremptoria. l. 2. eod. Nec rebus judicatis. l. ult. 1. ut lite pendente. Neque iterum adversus sententiam præfecti prætorio, ergò semel licet. Breviter. Duo hîc axiomata sunt observanda.

1. Quæ jure non concedi possunt, ea nec rectè petuntur, tot. tit. de petit. bonor. sublatis.

2. Frustrà ea petuntur, quæ jure communi nobis competunt. l. Impp. ubi Bart. ff. de privil. creditor.

Licétne omni loco & tempore offerre preces?

Quidni: Quia hæc res voluntariæ & spontaneæ Jurisdictionis, meræq; (ut loquuntur) facultatis, ut ne quidem partis etiam citatione indigeant.

Quid efficiunt preces?

Interdum sunt vice appellationis. Auth. quæ supplicatio. h. t. Aliquandò vim obtinent libelli conventionalis. l. 2 de Annal. except. Aliquandò citationis. l. libertus 15. ubi Dd. ff. de in jus vocand. Interdum litis contestationis. tit. seq. confessionis. l. 2. ~~j~~. de errore advocat. Suspendit interdũ etiam processum. l. 1. et ibi Dd. ~~j~~. ut lite pendente.

Quando libellus principi. &c. tit. 20. 2^bus^ const. ll.

Quæ Continuatio?

Superiori titulo de precibus, hoc de aliquo illarum effectu.

Quis est ille?

Hic est, ut libellus principi oblatus pro litis contestatione habeatur, si modò ad eum rescripserit princeps: inanis est libellus sine rescripto. Quia rescripto conceditur jus contestationis. l. illam. ⁊. de donat.

Habetúrne ubique pro vocatione in Ius?

In edicto de in jus vocando non habetur, nec pro accusatione in SC. Turpiliano: In causa tamen præscriptionum habetur pro litis contestatione, ut actiones tempore perituræ perpetuentur, & hæredi & in hæredem dentur. l. ordinata. ff. de liberal. caus. Nec hoc obtinet in libello minori, principe oblato. Nam non valet libellus præfecto prætorio datus. l. 1. ⁊. de Officio præfect. prætor. orient. nedum aliis magistratibus & judicibus.

Ad quas actiones pertinent, quæ diximus de libello principi oblato?

Tantùm ad annales prætorias, non ad eas, quæ longiori tempore perimuntur. l. 2. h. t. & l. 3. ⁊. de præscript. 30. vel 40. annor.

Sed videntur etiam ad civilem pertinere actionem, secundum l. 2. ⁊. de annal. exception?

Illa lex, authore Cuiacio, non loquitur de libello precum principi oblato, sed de libello tantùm querelæ & protestationis.

Vt lite pendente &c. tit. 21. 3. ll.

Quæ Continuatio?

Hactenus de precibus & supplicationibus, jam rectè de contrariis, & maximè hoc tit. de iis, quæ à triplici temporis Circumstantia profecta, inutiles faciunt preces, & docet Imp. hoc tit. quo tempore non liceat supplicare.

Quæ

Quæ sunt illa tria, quæ impediunt preces?

Litis pendentia, interposita appellatio, & definitiva sententia.

Quandò dicitur lis pendere?

Iure Civili à contestatione. l. ampliùs 15. ff. rem ratam haberi. Iure verò Canonico post oblatum libellum, & parti per citationem insinuatum. c. 2. x̄. ut lite pendente. c. gratum. 20. x. de officio delegat. Ratio est, quia toto hoc tempore nihil est innovandum, tot. tit. x̄ ut lite pendente. Hinc illud Placentini, in tempore medio, non est locus remedio, v. etiam n. 80 & 113.

Quid secundò obstat?

Sententia per appellationem suspensa: quia ut in priore lis prima instantia; ita hic secunda instantia lis pendet, re in tempus litis, in prima instantia contestata, reducta. l. ita demùm. ʒ. de procuratoribus.

Quid si petatur aliquid, quod jus litis non innovet?

Si tale quid petatur, ut editio actorum. l. 2. h. t. Aut si judex officium suum parti petenti deneget, vel suspectus sit; Hæc enim lite pendente concessa sunt.

Quomodò sententia definitiva adversatur precibus?

Intelligitur hic ea sententia, quæ transit in rem iudicatam. Vnde Constantinus: Qui licitam provocationem omiserit, sileat perpetuò, nec à nobis impudens debet petere per supplicationem auxilium, quod si fecerit carebit desiderio, & notabitur ignominiæ pœna. l. ult. h. t. Quia sententiæ semel acquievit. Facit. l. 1. ff. de pact.

Si contra Jus, &c. tit. 22. 6. ll.

Quæ Continuatio?

Superiore titulo ostendit supplicationes, si non offerantur justo tempore, nullius esse momenti, atque adeò pœnas accersere; hoc titulo tradit easdem nihil valere, vel impetratas, si res aut materiam contineant vitiosam.

Quomodò continent vitiosam materiam?

Tribus modis, quemadmodum hic ostenditur, nempè, si contra jus,

contra publicam utilitatem, & contra ipsam veritatem interposita fuerint supplicationes.

Quomodò ratione juris inutilis est supplicatio?

Veluti si supplicetur contra jus divinum, naturæ, bonos mores, & constitutiones. Dist. 10. & juxta l. filius qui fuit. 15. ff. de Condit. Institut. & d. l. ult. h. t. Item contra jus civile. d. l. ult. & l. rescriptum. ꝯ. de precib. Imp. offend. Nam si pacta privatorum Iuri adversantia respuuntur. l. 8. ꝯ. de pactis. & l. 7. in fin. ff. eod. Multò magis supplicationes. l. 3. & l. penult. ꝯ. de precib.

Quomodò ratione publicæ utilitatis?

Veluti si contra publicam fisci utilitatem supplicetur. l. 3. ꝯ. de precib. vel ipsius Reipubl. l. ult. h. t. & l. ult. ꝯ de petit. bonor. sublat. vel etiam contra tertii privatum jus. d. l. ult. & l. 2 §. meritò. ff. ne quidem loco publico: Publica enim utilitas privatæ semper anteponenda est. l. 5. ꝯ. de offic. Rector. & l. ita in fin. 51. ff. ad l. Aquil.

Quomodò ratione veritatis?

Veluti si per mendacium obtineantur. l. 2. l. pen. & ult. h. t. vel per obreptionem, id est, exprimendo falsum, l. si quis obrepserit. 20. ff. de falsis. & l. 3. §. puberi. ff. de Carbon. edicto, vel si per subreptionem, id est, supprimendo verum; Vnde Constantinus: Mendax precator carere debet impetratis, & si nimia mentientis inveniatur improbitas, etiam severitati subjaceat judicantis. l. 5. h. t. Quod ipsum quoque D. Augustinum non latuit, dum ait, Iuris esse forensis, ut qui in precibus mentitus fuerit, non illi prosit, quod impetravit.

Quis igitur dicitur mentiri?

Non tantùm qui falsum adserit, sed etiam qui verum reticet. juxta l. 2. h. t.

Nónne fiet injuria principi, si preces etiam ab illo subsignatæ, mendacii arguantur?

Nequaquam: Princeps enim nec falsum, nec injustum velle præsumitur. secundum l. digna vox. C. de ll. Omnéque rescriptum Iure Civili, expressam hanc debet continere clausulam, Si preces veritate nitantur, *l. ult. ꝯ. prox. tit.*

Quid si judex vetuerit falsitatem precum argui?

Eum 10 librarum auri jubet puniri Constan. l. 3. h. t.

De

De diversis rescriptis. tit. 23. leges 7. cum Authen.

Quæ Continuatio?

Imp. egit superiorib. quatuor tit. de precibus supplicantiũ: Iam agit, de ipsarum supplicationũ fine, rescripto nimirũ, quo princeps supplicib. libellis & precibus rescribit & respondet, unde etiam nomen invenit.

Quid est rescriptum?

Est epistola, quâ princeps ad libellos, vel preces, vel consultationes tam præsentium quàm absentium respondet, vel propriè est id, quod secundum jus commune supplicanti de jure suo respondetur, pertinétque ad justitiæ executionem. Dd. in l. beneficium ff. de constit.

Quotuplicia sunt rescripta?

Quædam dicuntur generalia, et omnes obstringunt, suntq; in corpus juris redacta, ut valeant etiam sine consule et die: Alia sunt personalia, quæ tantùm obligant eos, ad quos sunt destinata, nec valent sine consule et die. Hæc derogant generalibus. c. x. eod. Sed in his est quædam peculiaris observatio.

Quænam est illa?

Quod quædam eorum ita dentur, ut aliquem solvant lege sive canone aliquo, quæ appellantur privilegia seu dispositiones, quædam secundum jus commune, veluti quando princeps causa ad se per appellationem devoluta, vel alias ad se pertinente, aliquid decernit, vel consulentibus de jure obscuro respondet: quædam sunt, quibus princeps aliquid largitur præter jus commune, veluti cùm alicui prospicit de dignitate vel magistratu aliquo.

Quæ requiruntur ad rescripta?

1. *Vt à Principe aliquid petatur, & rescribatur ad illud ab illo.*
2. *Vt in scripturam redigatur. l. pen. h. t.*
3. *Vt nomẽ principis præponatur. in Auth. ut præponat. nomẽ princ.*
4. *Vt subjiciatur subscriptio aut principis, l. 3. & pen. h. t. aut quæstoris. Dd. in l. ult. h. t.*
5. *Vt appendatur, in majoris momenti causis, sigillum d. l. ult. et ibid. Dd.*

6. Vt

6. *Vt insertam habeant clausulam, quippe, si preces veritate nitatur, vel simile. d. l. ult. vel saltem jure canonico intellectam. c. 2 ... os.*

7. *Habeant annotatum, tempus .i. annum & diem, quo data sunt. l. 4. h. t.*

8. *Iudicibus ipsa authentica insinuentur, non exempla. l. 3. quæ sūt sine die & consule.*

Qui sunt effectus rescriptorum?

Tantum tribuitur hisce rescriptis, ut sacrilegii instar habeatur, de illorum potestate dubitare. l. 5. h. t. Quod in iis habet locum, quæ propriè princeps plenissima sua potestate indulgere potest, neq; tertiò cuiquam noceant, ut sunt administrationes, jurisdictiones, dignitates. d. l. 5. & l. unica. ff. ad l. Iuliam de ambitu.

Videtur in omnibus non esse æquè libera principis dispositio.

Sic est: Nam quæ privatorum sunt & alterius jus lædunt, aut lædere possunt, iis se privatus opponere, & jus suum tueri potest. l. ult. h. t.

Quid sunt pragmaticæ sanctiones?

Sunt jussiones, quibus tractatu & consilio adhibito, princeps diligentiùs & diffusiùs respondet ad preces, relationem, vel suggestionem. Quibus Augusti autem preces non semper inseruntur, quod non respiciant privatas causas, sed publicas, ut civitatum, scriniorum vel officiorum, &c.

De statuis et imaginib. t. 24. ll. 4.

Quæ Continuatio?

Supplicatur non modò principi præsenti per libellum, sed etiam absente in subitis casibus ad statuas & imagines confugitur opis petendæ, et violentiæ depellendæ causa: Nam ob venerationem principis, statuæ illius pro azylo habentur, quarum violationem sæpè à principibus fuisse punitam historiæ docent.

Quid differunt statuæ & imagines?

Statuæ à stando, Imago ab imitando dictæ sunt: Imago superficiem tantùm ejus rei refert, cujus est imago. Vnde pictores imagines faciunt colorum diversitate, & lineamentis similitudinem reddunt. Statua enim est, quæ non modò superficiem, sed solidum corpus, atq; perfectum

fectum refert. Unde statuarii, effigies rerum lignis exarant, vel metallis exprimunt, utraq; corporis simulachra, sed id plerumq; sculptile, incidunm, fusum, etc. Illud verò pictum. Simulachrum à simulando vel similitudine, quòd sit absentis vel mortui monumentum: de quo in hæc verba Lactantius. Quicquid enim simulatur, id falsum sit necesse est, nec potest unquam veri nomen accipere, quia veritatem fuco et imitatione mentitur. Si autem omnis imitatio non res potissimum seria, sed quasi lusus et locus est, non religio in simulachris, sed minus religionis est: Præferendum ergo verum falsis ominibus, et nullum dubium quin religio nulla sit, ubi ulla simulachra sunt, & qui propugnant imagines, adducunt illud ex Nice. concil. 7. quod hoc disticho continetur:

Nam Deus est, quod imago docet, sed non Deus ipsa:
Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.

Súntne ergo simulachra similia vel Deo, vel (ut loquuntur) Divis?

Quomodo similia judicari possent, quæ nihil aliud sunt (teste Augustino) quàm visibilia spectacula, quibus ab ipsa veritate aberramus, et amando umbras in tenebras conjicimur. Item Stat. lib. 2.

Nulla autem effigies, nulli commissa metallo,
Forma Dei, mentes habitare & pectora gaudet.

ut non temerè à Lactantio exclametur illud Persianum. O Curvæ in terris animæ, et cœlestium manes. Hinc Augustinus lib. 4. de civit. Dei c. 9. et 31. rectè Varronem dixisse probat. Eos qui primi simulachra induxerunt, et metum dempsisse, et errorem addidisse. Sed quomodo quæso Deus incorporeus, corporea materia, invisibilis visibili simulachro, immensus exiguo ligni, lapidis aut metalli frusto exprimi posset? Deus animus & spiritus est, purâ igitur purgatâque mente colendus.

Quæ causa impulsiva statuarum?

Dignitas et reverentia principis. l. 2. h. t. benemerita ejus, cui collocantur et eriguntur. aliæ pedestres aliæ equestres, armatæ, inermes, paludatæ, togatæ. Et (ut dixi) virtuti tribuantur. Ita etiam Pomponius Servio Sulpitio, cùm in legatione perisset, statuam à populo pro rostris esse positam affirmat. l. 2. ff. de orig. jur. Etsi memoriam absentis repræsentent. Tamen Tiberius (autore Suetonio) principum

statuas

statuas inter ornamenta domorum, non inter simulachra Deorum poni voluit.

De his qui ad statuas confugiunt, tit. 25. l. unic.

Quæ Continuatio?

Hic titulus etiam est de statuis principum, quæ perinde atq; Ecclesia, suam confugis præbet securitatem. Quemadmodum apud La*beonem et Cœlium quæritur, an qui ad azylum confugeret, sive statuam Imp. fugitivus sit, et eò se conferat, quò veniat, qui, non esse fugitivum talem respondent: quoniam publicè facere licet. l. quod sit fugitivus. 17. §. apud Labeonem 12. ff. de Ædilitio Edicto. l. 4. C. de adul.*

Licétne cuivis indistinctè ad statuas confugere?

Non: nam pro diversitate causarum quidem perhibentur, quibusdam conceditur.

Qui vetantur?

Quando ex injusta et improbabili fit causa, ad alterius infamiam. In eum (inquit Vlpian.) cujus instinctu hoc fit, Prætor in corrupti servi auctorem, quod ex edicto patet, severè animadvertet: l. 1. ff. de serv. corrupt. Vel ad invidiam alicujus: de quo Scævola SC. (inquit) ita cavetur, ne quis imaginem Imp. in alterius invidiam portaret, et qui contrà fecerit, in publica vincula mittetur. l. SC. 38. ff. de injur. Vel quando ad injuriam alicujus, unde Callistratus, Ad statuas principũ confugere in alterius, injuriam, prohibitum est. Cùm enim leges omnibus hominibus æqualiter securitatem tribuant, meritò visum est in injuriam potiùs alterius, quàm sui defensionis gratia, ad imagines confugere nisi si quis ex vinculis, vel custodia à potentioribus detentus, ad hujusmodi præsidium confugerit, his enim venia tribuenda est. l. capitalium 2. §. 78. ff. de pœnis. Ad quæ respexit Tacitus, qui sic inquit. insidebat deterrimo cuiq; licentia, impunè probra et invidiam in bonos excitandi, abrepta imagine Cæsaris: libertique etiam ac servi patrono vel domino intentarent, cum voces tum manus ultrò injiciebantur. Ergo Carus Sestius Senator disseruit prin-

cipes

cipes quidem instar Deorum esse, sed neq; ab iis nisi justas supplicum preces audiri, neq; quenquam in capitolium aliáve urbis templa confugere posse, ut eo subsidio ad flagitia abutatur.

Quando permittitur?

Vt metus urgeat violentiæ, turpitudinis, injuriæ, & periculi. l.unica. h. t. De quibus ita rescripsit Antonius ad Ælium Marnium, Dominorum quidem potestatem in servos illibatam esse oportet, nec cuiquam hominum jus suum detrahi; sed et dominorum interest, ne auxilium contra sævitiam vel famem, vel intolerabilem injuriam denegetur iis, qui ad statuas confugientes, justè deprecantur. §.2. Inst. de his, qui sui vel alien. jur. sunt.

De officio Præfecti Prætoriorum Orientis & Illyrici, tit. 26.

Quæ Continuatio?

Cùm ex partibus juris civilis residerent adhuc Magistratuum edicta, dispositiones, quæ non minorem obtinent juris civilis authoritatem quàm leges, SCta, Responsa prudentum, Rescripta principum, Constitutiones, Edicta, & Mandata, ideò & hujus partis explicandæ causâ de magistratibus dicere instituit. Vel aliter.

Hactenus de prima hujus libri parte, scilicet de Legibus, quæ sunt mutus quidam magistratus: sequitur altera hujus tractatus pars de Magistratibus, qui ab Aristotele ἔμψυχος νόμος, à Cicerone loquēs lex appellantur. Paulus 2. Corinth. 19. Quid enim profuerit multas habere leges, nisi sint, qui negotia humana secundum eas moderentur, & controversias ex illis dirimant. Quare Pompon. noster loquens de Magistratu, Parum esse, ait, jura in civitate constitui, nisi sint, qui eadem exequerentur & disceptarent, l. 2. ff. de orig. jur. & Cicero, ut leges Magistratibus, ita Magistratum præesse populo.

Licétne gerere publicos honores homini Christiano, cùm Christus Luc. 22. dixerit, Reges gentium dominantur eis: vos autem non sic. Item Matth. 23. vos autem nolite vocari Rab-

bi; Vnus enim Magister vester: omnes autem vos fratres estis: Proinde mandato Christi videtur interdictum, ne magnos vel ullos honores suscipiant?

Simplicissimè respondendum, quòd Christus iis locis non damnat Magistratum, aut titulos honoris, sed fastum & arrogantiam illorum, qui titulos aut nomina (ut Chrysostomus ait) ambiunt, & officia sua negligunt. Nam Politica potestas, quæ bonos adversus malos tuetur legibus & armis, non modò conceditur, sed etiam amplissimis à Deo Encomiis ornatur, ad Rom. 13. Qui resistit potestati, ordinationi Dei resistit. & 1. Pet. 2. Subjecti igitur estote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum, sive Regi, ut qui supereminet, sive præsidibus, ut qui per eum mittantur, tùm ad vindictam maleficorum, tùm ad laudem rectè agentium. His accedit, si volunt Magistratum sublatum, oportet eadem opera mandata Dei: Non occides: Non furtum facies: Non mœchaberis: Non falsum dices testimonium, &c. *esse abolita: posita enim præcepti transgressione, necessariò sequitur pœnæ executio: aut pœnâ sublatâ, tollitur interdictum. Præterea statim ab initio manifesto Dei verbo, gladii usus & potestas à Deo permissa fuit. Gen. 9. Quicunque fuderit humanum sanguinem, fundetur rursum per hominem sanguis ejus. Deinde testimoniis tàm Prophetarum, ut Psalm. 2. Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram, servite Domino in timore; &c. Item Esa. 49. Et erunt reges nutritii tui, & reginæ nutritiæ tuæ: quàm Euangelistarum & Apostolorum ut Matth. 22. Reddite Cæsari, &c. Ioan. 8. ab historia adultera. Rom. 13. Magistratum esse à Deo probatur. Deinde ab exemplis veluti Centurionis, Mat. 8. Iosephi Arimathiensis. Mat. 27. Publicanorum & militum à Ioanne baptizatorum. Luc. 3. Nicodemi, Ioan. 3. & 19. Eunuchi. Act. 8. Pauli proconsulis, Act. 13. Abrahæ, Mosis, Davidis, Heb. 11.*

Quæ est origo Præfectorum Prætoriorum?

Veteres omnem Magistratum, cui pareret exercitus, Prætorem appellaverunt, & tabernaculum ejus Prætorium. Vnde & principis qui ut plurimùm degebat in exercitu, domus prætoria dicta est, & qui illis præesset, Præfectus prætorius dicebatur, quem vulgò hodie Magistrum curiæ appellant. Hic magister vice magistri equitum instituti

stitutus videtur. Nam cùm apud veteres Dictatoribus ad tempus, nimirum 6, mensium, summa potestas esset, & quibus etiam capitis animadversio dabatur. & his Dictatoribus jungebantur Magistri equitum sic, quomodo regibus Tribuni Celerum, l. 2. §. populo. 18. & 19. ff. de Orig. jur. qui participales cura (militiæ gratia) secundam post Dictatores potestatem gererent. l. unica in princ. ff. h. t. Omni deinde Imperio in Impp. translato ad exemplum magistrorum equitũ, & tribunorum celerum, Præfecti prætorio ab Impp. electi sunt, dataque est eis plenior potestas ad disciplinæ publicæ emendationem, d. l. unica. Quò pertinet egregium & memorabile Trajani dictum, qui cùm Præfectum prætorio cingulo donaret, ejus dignitatis insigni, ita ad eum dixisse fertur. Accipito hunc ensem, & si Reipubl. justa imperavero, pro me: sin minus contrà me utere. Ita Plin. in Panegyr. Trajani. Dion tamen historicus in Trajano scribit, Trajanum hoc verbo usum, cùm cuidam Tribunatum militum, non cingulum traderet, at nudum ei ensem porrexisse, atque ita dixisse, Talem ensem accipe, quem pro me ita demum strinxeris, si justè imperavero: quodsi perperam quidpiam fieri cognoris, in meam perniciem utaris velim. Hæc ille.

Videris innuere mutationes fuisse aliquot Romani Imperii?

Quidni: Nam initio Romanæ Monarchiæ Romulus etsi Tribunum Celerum secundum à se adjunxerat sibi, tamen suam potestatem ita 100. Patribus communicarat, ut regni negotia & consilio & operâ eorum administraret, adeò ut etiam, si quando creandus esset magistratus, aut bella decernenda, populus consuleretur. Exactis deinde regibus, propter injuriam Tarquiniorum, variè certatum fuit inter nobilitatem & plebem de imperio, ut jam Patricii sibi solis honores vendicarent, deinde illis plebs rursus eosdem extorsit. Et sic de Aristocratia & Democratia tantisper certaverunt, donec Iulius Cæsar præter omnium spem, oppressa nobilitate, imperium invaserit, et se non Regem sed Imperatorem dici voluerit; cùm interim Censuram, Tribunitiam potestatem, Dictaturam, Pontificatum sibi arrogaret, & solutus legibus esse vellet. Posteà cum occiso Cæsare, & superatis Antonio & Lepido ad Augustum, tanquam Cæsaris hæredem, favore excercitus esset devolutum imperium, quod ille ita moderatus est, ut suo populo sua jura, Senatui munia item sua permitteret:

Provincias ita divideret, ut aliæ Proconsulares, aliæ Prætoriæ, aliæ Præsidiales dicerentur. In urbe verò constituit Præfectum urbi, Prætorem, Præfectum vigilum, & semper habebat senem Præfectum, per quem negotia aulæ expediebat, qui ob id præfectus prætorius dictus est. Qui, ubi declinare cœpit imperium, nomen mutavit, & magister (autore Pomponio Læto) stabuli dictus est. Hunc apud principes vocari Marechallum affirmat Henricus Bimberius.

Quid est Præfectus prætorio?

Est prætorianorum militum seu aulæ præfectus, cui princeps rerum judiciorumq; summam commisit. l. quilibet. 40. C. de decurionibus, qui & vice sacra iudicat. l. 1. C. de officiis vicarii. Et multarum provinciarum maximam potestatem habuit. l. ne quis. 38. C. de decurionibus. Cuivis τόποι Eparchica dicuntur. l. 2. h. t. & præter hunc & vicarium ejus, nullus magistratum plenissimum habet merum Imperium. Vnde dicitur obtinere honorum apicem. & Ammianus Marcell. ait: Cùm & patres dicerentur imperii, & patres provinciarum, authore Cassiodor. ἀρχὴ δευτέρα μετὰ σκῆπτρον Sosymo dicitur. Vnde huic præfecto prætorio primus datur titulus, & prima ante universos sedes. l. 6. h. t.

Quot sunt Præfecti prætorio?

Initio unus erat exemplo Tribunorum Celerum, qui cum regibus Remp. administrarent, vel exemplo Magistri equitum, qui cum Dictatore: Posteà cùm in pluribus locis legiones Romanæ contra hostes diversos alendæ essent, tres, in tribus orbis terrarum partibus, sunt constituti.

Vnus in Asia præfectus prætorio Orientis, sub cujus curâ erant diœceses quinque, Oriens, AEgyptus, Asiana, Pontica, Thracia, & cujusque diœcesios provinciæ, quibus præsides dabantur.

Secundus in Europa præfectus prætorio Illyrici, sub cujus dispositione diœceses duæ, Macedonia scilicet & Dacia.

Tertius in Aphrica, præfectus legionibus, & militiæ Aphricæ. Hæ tres præfecturæ exprimuntur in l. j. §. 1. in verb. Ut sicut oriens & Illyricum; ita & Aphrica Prætoriana maxima potestate specialiter à nostra Clementia decoretur. *l. j. §. 1. C. de offic. præfect. prætor. Fuit & quodam tempore Iustin. præfectus prætorio Italiæ. N. 69. & 70.*

In quibus versantur illorum officia?

Vt

Vt disciplinam militarem & civilem tueantur, & summam rerum imperii nomine principis, cujus prætorio præsident, & in quo jus dicunt, gubernent. l. unica ff. eod. & l. 2. h. t. habeant sibi obnoxios præsides provinciarum. l. 4. j. de officio Rector. Provinc. delicta eorum reliquisq; in provinciis officiis cognoscant. dd. ll. Eosdem creent, eligât, castigent, removeant. l. 2. & 4. h. t. Denique ab illorum sententiâ & judicio non appelletur. d. l. unica. Supplicandi tamen intra biennium litigatoribus facultas datur. l. unica. j. de sentent. prætorio præfecti. Modò sciat victus, se denuò nullam habiturum licentiam supplicandi. l. 4. s. de precib. Imper. off. violentis casibus & aliis, quibus præsides singulis provinciis pares esse non possunt, remedium afferunt l. 2. j. de offic. Rect. provinc. Non tamen libellus prætorio præfecto datus, pro litis contestatione haberi potest, l. 1. h. t.

Cur non licet appellare?

Quia Princeps tales ad hujus officii amplitudinem adhibebat, quorum singularis industria, fides, gravitas, justitia, continentia, &c. explorata essent, & quos putaret non aliter pro sapientia ac luce dignitatis sua, quàm ipse foret judicaturus, judicaturos. d. l. unica. ff. eod.

Sed cur potiùs supplicare, & vel ipsis præfectis contra suam sententiam minores in integrum restituere licebat?

Quia appellatio injuriam infert quodãmodo judici, cum iniquitatis sententia querelam contineat: in integrum restitutio verò judicem non offendit, cùm erroris proprii duntaxat habeat occasionem vel causam.

De officio Præfecti prætorio Africæ, tit. 27. const. unic.

Quæ Continuatio?

Quia pro hujus provinciæ necessitate & usu multa sunt singularia, neque aliorum Præfectorum Prætorii communia: ideò de hujus officio separatim disputat.

Quid incumbit hujus provinciæ Præfecto?

Ut Aphrica, auspiciis Bellisarii à Vandalis post 105. annos recuperata, Carthagine sedem figens, præsit: septémque Aphricæ provinciæ tam Consulares, quàm Cæsareas, velut Zeugitanam, Tripolim, Numidiam, Mauritaniam, quæ propriè Aphrica dicitur, & Sardiniam insulam, & Byzantium super præsides, quos totidem constituit Imp. quot sunt provinciæ, gubernet & tueatur. Religionem, disciplinam, civitates, munita loca, agros, denique omnia à Vandalis vastata instauret, & ad priorem cultum reducat, passim h. t. Hoc agat Præfectus, ut omnes judices secundum voluntatem & timorem Dei, & Imp. ordinationem & electionem, sic suas administrationes gubernent, ut nullus aut eorum cupiditati sit deditus, aut violentias aliquas inferat, & justitiam & veritatem erga omnes servet, sportularum quantitatem in legibus dispositam nullo modo excedat, aut ullo tempore. Contemnentibus hæc impendeant, non solùm dignitatis & substantiæ periculum, sed etiam ultimum supplicium. l. 1. §. 5. 6. 7. 8. h. t. Curet duces & tribunos militum, ipsos milites in armis exercere, neque concedere ut divagentur, ut si quando necessitas exegerit, possint hostibus resistere, neque milites remittere, ne, dum sibi lucrum studeant conficere, incustoditæ relinquantur provinciæ, & si ausint duces aliquod lucrum de illorum emolumentis usurpare, sua privati dignitate, in quadruplum id publico rependant. Quia Imp. cuique quantum satis sit, abundè præstet, ut non necesse sit duces, aut illorum officia, de stipendiis militum lucrum captare, quorum est vacare provinciis tutandis, & vendicandis. Omnes enim secundum suos labores debebant sperare remunerationem à principis liberalitate, qui hoc agit, ut unusquisque pro meritis ad majores dignitates evehatur, l. 2. §. 9. & seq.

De officio Præfecti urbi, t. 28. co. 5.

Quæ Continuatio?

Sicut foris præfectus militiæ prætoriæ: sic domi Præfectus urbi summum & primum locum à principe tenet, cæterosq́ue urbanos Magistratus facilè dignitate antecellit. l. 4. h. t. & d. l. 2. par est præfectura prætoriana l. 1. J. de præfect. prætor. sive urb. Unde & germanæ potestates dicuntur. l. advocatos in fin. C. de advocat. divers. judic. Licet

in

in Senatus consessu præfectus urbi cæteris omnibus præferatur, quasi prætorio cedente urbi, ut speciosiùs quoque & ampliùs sit nomen urbis l.3.h.t. Et Capitolinus ait, præfectum urbi communicasse sermonem. Adeò ut hic præfectus, absente Imp. velut alter Cæsar imperaret, deq; rebus omnibus, quæ ad Cæsarem (teste Pomponio Læto) pertinerent, judicaret.

Quæ origo Præfecti urbi?

Antiquissimus habetur hic Magistratus: Nam & à Romulo Romani Imperii conditore, & Romulus urbis præfecturam meruit. Deinde Tullius Hostilius Numartium urbi præfectum creavit, & Tarquinius Superbus Spurium Lucretium Lucretii patrem. Cùm itaq; principibus Reipubl. Regibus, aut iis exactis, consulibus, prætoribus, aliisq; magistratibus abesse interdum à Republ. necesse erat, ne quis repentè tumultus fieret, neve urbs sine imperio esset, aut hostium incursionibus pateret, unus relinquebatur, penes quem summa erat rerum potestas, qui præfectus urbi dicebatur. l.2.§.hæc omnia. 33.ff.de orig. jur. Hanc præfecturam gessit Sabinus frater Vespasiani: Pertinax quoq; ex hac præfectura ad imperium est provectus. Sed Probus Severi Imp. gener, hanc recusavit, dicens, minus sibi videri esse præfectum urbi, quàm generum principis. Hunc Magistratum primum Augustum instituisse, Severus & Victor Aurelius authores sunt.

Quid incumbit Præfecto urbi?

Est talis Magistratus, cui urbis, terminorumq; ejus ad centesimum usq; miliare, princeps curam commisit, ut scilicet urbem custodiret, crimina omnia audiret, quod utrumq; Seneca & Iuvenalis non obscurè indicant, dum ille hujus officio tutelam urbis contineri affirmat, Epist.12.hic satyr. 13. hoc disticho:

Hæc quota pars scelerum quæ custos Gallicus urbis,
Usque à Lucifero, donec lux occidat, audit.

hujus officia sigillatim ex l. 1. ff.eod.tradit Baro.

Quænam sunt illa?

1. De omni crimine tam in urbe, quàm intra 100. lapidem præfectus urbis quærito.

2. Servos, qui ad statuas confugerunt, quive pecuniâ suâ empti fuerint, ut manumittantur, de dominis querentes: patronos de libertis: dominos de servorum adulteriis, cum uxoribus commissis, audito.

3. Relegandi, deportandiq; in insulam jus ei potestasq; esto.

4

4. Ex interdicto quid vi aut clam, & unde vi cognoscito.

5. In tutores curatoresq; qui evidentem fraudem commiserunt, animadvertito.

6. Cura carnis, ut justo pretio veneat, & populorum quies ad eum pertineto.

7. Argentarii, & qui adversus hos litigant, eundem adeundo in causis pecuniariis.

8. Mancipia, ne prostituantur, neve nummularii prohibita faciant, curato.

9. Illicitum collegium coeuntes, apud eum accusanto.

10. Libertos in metallum damnandi, qui patronos detulerint, aut cum inimicis contra eos conspiraverint, potestatem habeto.

11. Urbe, solitis regionibus, negotiatione, professione, advocatione, foro, Italiâ interdicendi jus esto, & provinciâ.

12. Extra urbis terminos potestatem ne habeto, sed judicare jubeto. tot. tit. ff.

De officio magistri militum, tit. 29. const. 5.

Quæ Continuatio?

Quæ potestas est præfecto prætorio in privatos & in Præsides provinciarum, eadem est magistro militum, sive equitum sive peditum, sive utriusq; in milites, duces, vel comites militares singularum provinciarum, & inter privatum actorem, & reum militarem, l. 2.h.t. l. penul. J. de judiciis. & l.penult J. de jurisdiction. Quia actor debet sequi forum rei.

Quid igitur interest inter præfectum prætorio, & magistrum militum?

Magister militum inferiore est gradu, certum hujus definitum officium, ut quodammodo subsit præfecto prætorio. l.4. h.t. & in singulis particularibus provinciis quasi succenturiati præfecti militari rei, & disciplinæ præficiebantur l.fin. h. t. cum ad præfectum prætorio unius alicujus orbis terrarum partis inspectio & gubernatio pertineat. l. raptorum. 41. vers. sin autem. ẽ. de Episc. & Cleric.

Quod

Quod est illorum officium, & quando rexerunt?

Primus Constantinus (teste Zosimo) magistros militum fecit, disciplina militari à præfecto prætorio in eos translata, quæ olim ad præfectos prætorio pertinebat, perinde atq; annorum erogatio l. 1. & 4. h. t. Curent præterea ne milites de locis, in quibus militant, sine speciali causæ cognitione, & Imp. authoritate transferantur, nisi fortè urgens & necessaria causa emerserit, ut sine ulla procrastinatione protinus oporteat prospicere publicæ utilitati. d. l. 4.

De officio Quæstoris. tit. 30. con. 3.

Quæ Continuatio?

Dixit de magistris militum, sed magisteriæ potestatis partem sibi vendicat Quæstura. Nam quæ beneficia olim permittebantur arbitrio magistri militum, veluti Tribunatus, Præfecturæ, Præpositura, Castrorum aut numerorum, ea modò sunt sub cura & solicitudine Quæstoris, atq; etiam reliqua dignitatis officia, conditiones, curæ minores, laterculi Civiles, & militares adjuncta subscriptione principis.

Unde dicti Quæstores?

A genere quærendi initio dictos Quæstores & Iunius, & Trebatius, Fenestella & Vlpian. scribunt. l. unica. ff eod. Deinde (ait Pompon.) cùm ærarium populi auctius esse cœpisset, ut essent, qui illi præessent, constituti sunt Quæstores, qui pecuniæ præessent: Dicti ab eo, quòd inquirendæ & conservandæ pecuniæ caussa creati essent. l. 2. §. deinde. ff. de orig. jur.

Quæ est horum origo?

Origo horum (teste Vlpian.) antiquissima est, et penè ante omnes Magistratus, et regibus ipsis primis Quæstores fuisse certum est, l. unica. in princ. ff. eod. Mittebantur cum Impp. ad administrandam rem pecuniariam, et ad prædam, manubias in rationes publicas referendas, atque legionibus commeatum peræquè suppeditandum. Quæstura autem primus gradus ad majores dignitates, puta, Ædilitatem, Præturam, Consulatum ingressus. Est enim primordium gerendorum

honorum, et (ut Vlpianus ait) sententiæ in Senatu dicendæ. d. l. unica. §. penult.

Quot fuerunt olim genera Quæstorum?

Alii erant Vrbani, alii Provinciales, alii Parricidii, alii Candidati Cæsaris.

Qui erant Urbani?

Qui in urbe ærarium curarent, pecuniarumq; acceptarum rationes conficerent.

Qui sunt provinciales?

Qui provincias sortiebantur: Quod accidit Italia stipendiaria facta, et ab accedentium provinciarum vectigalibus, mittebanturq; cum Prætoribus, Præsidibusq; in provincias. Atq; (ut Cujacius inquit) sorte aliquando Prætoribus et Præsidibus additi, ab eis in filiorum locum assumebantur, adeò ut quæstoribus illos accusare non liceret.

Qui erant Quæstores parricidii?

Qui capitalibus rebus, ademptâ Coss. lege Valeriâ de capitibus civium Romanorum potestate iudicandi, et inquirendis maleficiis præerant. Hi autem quæstionibus Quæstores Parricidii (nomine parricidii apud veteres omne homicidium continebatur) dicebantur, quorum lex 12. tab. d. l. 12. §. 22. meminit, qui posteà Triumviri nuncupati sunt.

Qui sunt Candidati Cæsaris?

Hi ex Quæstorum numero in urbe erant, et à veste candida; sive à munere suo candido dicti sunt, è quibus se fuisse cum fratre Velleius Paterculus scribit, et ab eo honore ad Præturam conscendisse. Per hos principes recitabant in Senatu suas orationes, codicillos, epistolas et libellos. Hos, quia his rebus vacabant, nusquam amandabant. d. l. unica. §. 2. et ult.

De quo Quæstore hîc agitur?

De eodem ipso, cujus dignitas tanta fuit posteà, ut in sacro palatio libellos supplices reciperet, iis sicut & novis legibus mandatis vice principum subscriberet, consilia daret principi, responsa redderet, leges & mandata dictaret. l. unica. de offic. præfect. prætor. fisc. Minori laterculo (quia & majus esset) praeesset. s. de offic. magistr. mil. Omnem denique juris & justitiæ rationem in aula haberet. l. 1. 2. 3. h. t.

Cur

Cur huic dignitati Quæstoris nomen inditum?

Quia primum ex plebe, sicut præfecti prætorio delecti, sic homines literati & Iurisperiti fuere, qui orationes Cæsaris recitarent in Senatu, indeq; Candidati Cæsaris dicti. l. ff. eod. Sed cùm non esset eis ingressus in Senatum, utpote plebeis, licet pecuniam publicam curarent, donati sunt hoc honore & titulo Quæstorum, ut hoc honore freti ingrederentur Senatum, & hinc ex officio os & imago principis, vox, custos et armarium legum, justitiæ: thesaurus publicæ famæ dicti sunt.

Quid est minus Laterculum?

Est liber sive abacus, & notitia dignitatum, administrationumq; minorum, ducto nomine à quadrata figura, quasi pluteis.

Quid est majus Laterculum?

Est notitia majorum dignitatum & apud Principem subsidebat, quod fuit sub cura & dispositione viri spectabilis Primicerii notariorum & quæstoris. Vt quidam igitur princeps largitur honores majoris laterculi. Per Primicerium conferuntur Tribun. & Notariorum honores majoris laterculi.

Continebat laterculum totam officiorum & dignitatum, admiuistrationúmque & ciuilium & militarium rationem.

De officio magistri officiorum. tit. 31. const. 5.

Quæ Continuatio?

Et hic quoque videtur ex militari magisterio partem adeptus, non inferior quæstore. Nam & uterq; illustris, & ex quæstore plerumq; magister officii fit.

Unde magister dicitur?

Magister à monendo vel monstrando dicitur. Hinc Paulus Iurisconsultus cui præcipua rerum cura incumbit, & qui magis quàm cæteri, diligentiam & solicitudinem rebus, quibus præsunt debent, hi magistri rerum appellantur, quinetiam ipsi magistratus per derivationem à magistris cognominantur: Vnde & cujuslibet disciplinæ præce-

praeceptores, magistros appellari à monendo vel monstrando constat. l. si praecipua. 57. ff. de verb significat.

Quale est igitur officium magistri officiorum?

Vt curet Palatina officia, & functiones aulicas; ordinet Tribun. militum, Centuriones, Veteranos: eosdemq; in classes distinguat, & praparet instrumenta bellica: Vnde à Pomponio Lato, Praefectus castrorum dicitur. Ad hunc igitur pertinet conservatio ordinis matricula, quasi judicem aulicorum officiorum. Secundò ministrorum principis, veluti cubiculariorum, decanorum, militantium in sacris scriniis, agentium in rebus scholarum, silentiariorum (quos quidam Secretarios vocant) quorum omnium moribus praeest. Curat etiam, ut nemo ad centenariam, vel ducenariam, sive Biarchiam suffragio, sed labore perveniat. l. 1 h. t. Nemo agentium in rebus ordinem militia pravertat: Is gradu pracedat, quem stipendia meliora, vel labor prolixior fecerit anteire. l. 2 h. t. Verberandi et degradandi Senatores et ducenarios licentiam habeat. l. 3. in provinciis sibi commissis et limitibus observat, quis militum numerus, et qua castrorum et clausularum disciplina, idq; quotannis ad principem refert. l. 4. non recipiat Scholares ad militiam, non provehat, non subroget. l. ult. h. tit.

Quos dicis agentes in rebus?

Qui res principis per provincias curent: Sunt autem aucto jam Imperio constituti, ac per turmas ac provincias varias dispersi. Vnde alii Centenarii, alii Ducenarii appellantur.

Qui sunt Biarchi?

Qui commeatum ad vitam sustentationémque militum procurant: et vita victuiq; prasunt: qui in rebus militant. l. 3. ÿ. de agent. in reb.

De officio Comitis sacrarum largitionum, tit. 32. const. unic.

Quæ Continuatio?

Sequuntur jam alia persona sive dignitates illustres.

Unde

Unde dictus Comes?

A comitando, vel (ut quidam volunt) à comitate, quòd Comes debeat esse comis, juxta illud:

Facundus & jucundus comes in itinere pro vehiculo est.

significátque eum, qui simul et unà aliquod iter ingreditur. sed hic significat eum, qui frequentandi cujusque causâ, vel officii gratiâ, seu majorem, ad id destinatus in publico vel privato, sequitur. l. 15. §. comitem de injur. Et hac vox Comitis omnibus magistratibus data fuit, qui principis comitatum observarunt, et operam in officio darent, quiq; in comitatum palatii, prastò essent principi, et aliquo inservirent officio. Estq; nomen dignitatis et eminentia, quod adhuc hodie durat.

Quid intelligis sacras largitiones?

Thesaurum et ararium principis publicum, quod ex eo, quisque liberalitatem, munera ac dona principis expectat, et ad exercendum beneficium destinatum esse debet: quo etiam donata principi pertinent; et unde stipendia militibus et officio solvebantur.

Quale igitur officium incumbit Comiti sacrarum largitionum?

Ipsi gubernandi committuntur thesauri Imperatoria majestatis, quos largitiones dicimus et remunerationes plausibili vocabulo, et dignitatem ipsam Comitis munerariam, quod muneribus potissimum serviat exercendis, etiamsi in alias plerumque res insumantur, et talis est omninò comes largitionum, qualis olim prafectus ararii vel dispēsator, et posteà procurator fisci. ff. de offic. proc. fisc. Praest Palatinis, quibus pracipua cura est, ut super negligentia judicum conquerantur, ne illorum desidiâ sit impunita. Iudicésque de eorum nominibus referre convenit, quos commodis propriis magis, quàm utilitatibus publicis studere viderint. l. unica. h. t. Hujus nulla erat inter privatos jurisdictio, sed tantùm pecunia, qua munificentia et beneficentia principis suppeteret, cura demandata erat. Con. 4. c. 14.

In Principe non infima ducitur laus, si liberalitatem exerceat: idq; vero judicio & honestâ benevolentiâ: non conferat opes & copias in mimos, histriones, Scenicos, quod Antonino vitio fuit datum, sed in ingenio præstantes juvenes, in viros de Pop. benemeritos, ut alios ad res præclarè pro salute communi gerendas

das

das excitet. Interim cautiones quædam sunt considerandæ & servandæ:

1. Ne major sit benignitas quàm facultas.

2. Ut prosit alicui, nemini noceat. Nihil enim liberale, quod non sit justum. Atque beneficio beneficentiæ,sibi totius populi favorem & gloriam conciliant.

Prædicatur aliquando Tiberius II. dixisse: Nunquam defuturam regio fisco pecuniam, quamdiu pauperes eleemosynas acciperent.

Cyrus affirmat se majore voluptate affici, cùm alios juvet, quàm si seipsum ditet, ὅτως ἐγω (ait) ὑμῖν δυψῶ χαρίζεσθαι.

Titus Vespasianus recordatus aliquando in cœna, quòd eo die nullum cuiquam beneficium præstitisset, memorabilem illam vocem edidit: Amici diem perdidi.

Plutarchus scribit Cimonem χρήματα κτᾶσθαι ὡς χρῷτο, χρῆσθαι δὲ, ὡς τιμῷτο: id est, acquirere opes, ut iis utatur, uti autem, ut honore adficiatur.

Abdiæ, Alexandri Magni insignis quoque celebratur.

Extrema sunt cavenda Profusio & avaritia, juxta illud:

> Re fruere, exitio tanquam si proximus esses:
> Utere, vita velut sit diturna tibi.
> Ille sapit verè, qui callens hæc duo novit:
> Nec nimium largas: nec nimis esse tenax.

De officio Comitis rerum privatarum, tit. 33. const. 2.

Quæ Continuatio?

Superiore titulo de Comite sacrarum largitionum: jam de Comite rerum privatarum, sive rei dominicæ: quæ dignitas superiori par est.

Quid differunt hi Comites?

Ille gubernat thesauros et opes fiscales: Hi propriam principis substantiam sive patrimonium.

Quale

Quale est hujus officium?

Gubernat privatam Principis substantiam, quæ non ad largitiones, expensas, salaria militum et officiorum, sed ad proprios et privatos usus pertinent, et ab illis separata sunt, olim eò referebantur fiscalia commoda, bona vacantia et caduca: Et hodie etiamnum confiscationes. l. 1. et tot. tit. de jure fisci.

Quotuplicia ergò sunt Principis bona?

Aut sunt Fiscalia, aut Patrimonialia. Nam ita habet l. 1. ff. ne quid in loco publ. Res fiscales quasi proprias et privatas esse Principis.

Differúntne ergò strictim & propriè bona accepta, bona propria, & fiscalia Principis?

Propria bona sunt, quæ Princeps possidet, dicuntúrque esse in patrimonio et dominio ipsius Principis: Fiscalia quasi in patrimonio, propriè tamen in patrimonio principis non sunt: hæc in hæredem principis non transeunt, illa in hæredem et bonorum possessorem transmittuntur, etiamsi in imperium non successerit. l. 56 de legat. 2. Vnde qui propria substantiæ præest, Comes est privatarum rerum, qui Fiscalibus, comes largitionum.

Estne aliquod discrimen inter privatorum bona & Principis?

Quid ni? quæ privati possident, sunt quidem in imperio principis, sed propria sunt in ipsius dominio et patrimonio.

Quid ergò respondes ad illud vulgi sermonibus tritum: OMNIA ESSE IMPERATORIS?

Simpliciter et verè respondendum: Reges habere jus sumendi aliquid ex privatorum bonis, scilicet administrationis causâ ad communem necessitatem, non quòd prætextu imperii domini sint privatarum facultatum, ita jure licuit Naboth retinere vineam nec cogi potuit, ut etiam justo pretio Achabo venderet. Quia jus gentium, principi non est violandum, nec distinctio dominiorum turbanda. Nam et jus naturæ et lex divina muniunt proprietatem et rerum dominia, cùm inquit, furtum non facies: *Et rectè laudatur Ambrosius, quòd non cesserit templum postulanti Imp. et traditur hæreticis. Imp. enim non habet jus turbandi legitimam vocationem.*

Nota

Nota est etiam lepida illa historia de Henrico Lutzenburgensi Imp. cui cùm Italico quodam itinere, de quadam arce interroganti cujus illa esset, responderetur à ICtorum altero (equitabat enim inter duos) Imperatoris esse, altero reclamante, placuit Imperatori, ut res Bononiæ dijudicaretur, & victori præmii loco equus cederet; ubi cùm in gratiam Cæsaris pronunciatum esset, facetum hoc ex sententia natum est dictum: Alter quidem habeat equum; sed tamen alter respondet æquum. juxta versiculum:

Alter equum teneat, licet alter dixerit æquum.

De officio Comitis sacri patrimonii, tit. 34. const. 2.

Quæ Continuatio?

Hegendorphinus putat eundem esse cum superiori, cùm dicat hunc ex illo facilè posse intelligi. Idem videtur sentire VVesembecius, dum affirmat in Norico exemplari rectè legi sub uno titulo, cùm unum fuerit officium: At Cujacius melius, cùm tradat duplex esse patrimonium, Privatum, de quo in superiore titulo, et Sacrum, de quo hoc, et probat separatum legi unum ab altero in edicto Iustin. 4. et 8. et affirmat, duos esse planè diversos Comites.

Ostende hoc, & tota res patebit?

Comes rerum privatarum gubernat totam principis substantiam per rationales scilicet præpositos, procuratores, atque etiam comites quosdam speciales.

Procurator verò sacri patrimonii est veluti procurator penoris, qui Regias (ut Cassiodorus ait) solicitâ ordinatione disponit, judex aulici apparatus et epularum, cui (ut idem) commissæ sunt apothecæ et enthecæ aulicæ. Et putem cellario principis dicatorum prædiorum in Cappadocia proventus quoque ad eum rediisse. Tres igitur erant principis οὐσίαι: Largitiones, privata, patrimoniales.

De officio Proconsulis & Legati, tit. 35. const. unic.

Quæ Continuatio?

Hactenus de illustribus, sequuntur spectabiles, ex quibus primi sunt Proconsules, qui in provincias sortitò certas mittuntur, separatas ab Imp. veluti Asiam, Achaiam, Africam, cum Imperio consulari, ut tam bella quàm civilia regant. quare & legatis uno, si Praetorius vir sit: tribus si Consularis, datis à Senatu, vel probatis à Principe, more maiorum utantur. Committere non possum, quin hunc titulum paulò diligentiùs excutiam, cùm in eo multa egregia praecepta, communia cum aliis Magistratibus, proponuntur.

Quæ origo Proconsulum?

Posthumio Albo, & Spurio Furio Coss. bello infeliciter contra Æquos gesto, Proconsul creatus est Titus Quintius, & is primus in eo Magistratu fuit. Propagatis deinde Imperii finibus, statutum est, ut qui Consul uno fuisset anno, sequente Proconsul remaneret, & Provincias cum Imperio sortirentur.

Cur dicitur potiùs Proconsul, quàm Consul?

Proconsul inde dicitur, quòd Consulari potestate mittatur, ut pro Consule provinciam administret. Nam caetera consularia insignia, praeterquàm quòd sex eum tantùm praecedant lictores, (sive ut Vlpian.) quod non ampliùs quàm sex utatur fascibus. l. antepen. ff. h. t. Penes enim Consules (exactis regibus) summum Imperium, atq; ius uti esset, legibus rogatum est, neq; quicquam de Regia potestate ademptum est, quàm quod annuum fuerit Imperium: & quod lege Valerii Publicolae, ne per omnia regium illorum esset Imperium; cautum est, ut ab iis provocatio esset, neve fas esset in caput civis Romani, intra urbis fines, iniussu populi animadvertere. Livius lib. 1. decad. 1.

Quæ potestas, quod officium Proconsulis?

Maius Imperium habet in sua provincia, omnibus post Principem. l. 8. eod. & plenissimam iurisdictionem omnium partes, quae Romae vel quasi Magistratus, vel extra ordinem ius dicunt, ad eum pertinet. l. 7. in fin. eod. Potestatem non exercet, nisi in ea provincia sola, quae & decreta est. l. 1. eod. Simulatq; urbem egressus fuerit, habet iurisdictionem voluntariam: & apud eum manumitti possunt, tam liberi quàm servi, & adoptiones fieri. l. 2. eod. Observare debet, ne in hospitiis praebendis oneret provinciam. Statores suos non potest habere, sed vice eorum milites ministerio funguntur. d. l. § 1. Si quid uxor ipsius in Provincia deliquerit, ab ipso & ratio & vindicta exigetur.

K

d. l. §. 2. Præmittere debet, ante ingressum, suum edictum de suo adventu, continens commendationem aliquam sui, si qua ei familiaritas cum provincialibus, vel conjunctio. & maximè excusantis se, ne publicè vel privatim occurrant ei. Esse enim congruens, ut unusquisq; eum in sua excipiat patria. d. l. §. 2. Rectè & ordine faciet, si decessori suo, quâ die ingressurus sit fines provinciæ, significet. Plerumq; hæc incerta & inopinata turbant provinciales, & actus impediunt. d. l. §. 4. Observet ut per eam partem provinciam ingrediatur, per quam moris est. Magnifaciunt provinciales servari sibi consuetudinem illam, & illas prærogativas. d. l. §. 5. Ingressus provinciam mandare jurisdictionem legato suo debet. Est enim perquam absurdum, alii eam mandare, antequam ipse jurisdictionem nanciscatur, quam non habet. d. l. § ult. Aliquando tamen potest, si necessariam moram in itinere patiatur, l. 5. In Xeniis neq; morosè in totum abstinere, neq; avarè modum excedere, sed quemadmodum vetus habet proverbium: ὔτι πάντα, ὔτι πάντοτε, οὔτι παρὰ πάντων. Nam valde inhumanum est à nemine accipere, sed passim, vilissimum: & omnia, avarissimum. Neq; donum vel munus ipse, vel qui in alio officio erit, accipiat, ematve quid, nisi victus quotidiani causa. d. l. 6. in fin. Ædes sacras circumire inspiciendi gratiâ, an sarta tecta sint, vel refectione indigeant, & curare ut cœpta consummentur, prout vires istius Respub. ferunt. l. 7. Ubi decretum necessarium non est, per libellum expedire potest, l. 9. §. 1. Circa advocatos patientem eum esse oportet, sed cum ingenio, ne contemptibilis videatur: nec adeò dissimulare, si quos causarum concinnatores vel redemptores deprehendat, d. l. § 2. De plano potest expedire hæc, ut obsequium parentibus patronisq; exhibeatur, comminari, & terrere filium à patre oblatum, qui non ut oportet conversari dicatur; poterit similiter & libertum non obsequentem emendare vel verbis, vel fustium castigatione. d. l. §. 2. Observet præterea Proconsul, ut sit ordo postulationum, scilicet ut omnium desideria audiantur; ne forte dum honori postulantium datur, vel improbitati ceditur, mediocres desideria sua non proferant. d. l. §. 4. Advocatos quoq; debet petentibus indulgere, plerumque fœminis, vel pupillis, vel aliàs debilibus, vel his, qui suæ mentis non sunt, si quis eis petat, vel si nemo sit qui petat, ultrò eis dare debet. Sed si qui per potentiam adversarii non invenire se dicat advocatum, æquè oportet ei advocatum dare. Opprimi aliquem per potentiam adversarii sui, non oportet. d. l. §. 5. Omnia aget ad adventum usque sui successoris. l. 10.

Lega-

Legatum suum ante se de provincia non dimittet. d. l. §. ult. Romæ portam ingressus, imperium deponet. l. ult. eod.

Quæ incumbunt & mandantur legatis?

Custodiarum cognitio, scilicet ut præauditas custodias ad Consulem remittant. Proconsul enim non potest, nec alius magistratus gladii potestatem sibi datam, vel alterius coercitionis ad alium transferre. Nec Legatus habet jus liberandi reos, cùm accusari apud eum non possint. l. 6. in princ. Si quid erit, quod majorem animadversionem exigat, rejicere Legatus ad Proconsulem debet. Neque enim coërcendi, animadvertendi, vel atrociter verberandi jus habet. Potest etiam tutores dare. l. penult. h. t. Legatus, mandata sibi jurisdictione, judicis dandi jus habet. l. pen. h. t.

De officio Comitis Orientis. tit. 36. const. unic.

Interjicitur hic tit. de officio Comitis privati patrimonii, qui tit. deest in emendatioribus exemplaribus, & lex ejus unica pertinet ad præcedentem tit. & perperam refertur ad hunc singularem titulum, præsertim cùm non ampliùs agatur de Palatinis officiis, sed de aliis. Imp. hoc tit. attingit officium Comitis Orientis, qui est etiam è numero spectabilium, latissimámque jurisdictionem habet, hic simulatque electus esset, liberabatur à Curiali conditione. ℑ. de decur. lib. 10. atque distat hujus officium à Proconsulis, Præsidum, & aliarum provinciarum gubernatorum potestate.

Quomodò igitur discernuntur?

Palatini non præficiebantur provinciis, nec quicquam juris in provinciales habebant, sed ipsis imminebant Magistratibus, eorum observantes actiones, & contra eos agebant, & ad Principem Provincialium deferebant querelas. l. 2. ℑ. de offic. Vicar. maximè mittebantur tunc, cùm Principi Provincialium rectorum suspecta esset fides, l. nullum 10. ℑ. de offic. Rector. Vel ut limitibus præficerentur contra hostes tanquam duces. l. 2. ℑ. de offic. Præfect. Prætor. Africæ. Vel dabantur Comites limitaneis militibus. l. unic. ℑ. Ut omnes judices. maximè Orientis, ubi à Parthis & Persis perpetuæ incursiones timebantur. l. 3.

J. de offic. Rect. Cujacius autem ait, huic Comiti totum Orientem ad regendum commissum fuisse, qui constat 15. provinciis, Palæstinis tribus, Syriis duabus (Milevitanus tres facit) Ciliciis duabus, Phœniciis duabus, Cypro, Euphratensi, Osroena, Mesopotamia, Isauria, Arabia.

De officio Præfecti Augustalis. tit. 37. Const. 2.

Quæ Continuatio?

Dictum sic, quòd Ægyptus in provinciam ab Augusto redacta ei ab eodem regenda sit primùm commissa: & constituebatur hic præfectus non ex Senatoribus, sed ex Equitibus. Tacit. lib. 12. Dion. lib. 52.

Cur ita?

Ne sub potentiore præfecto, ut sunt leves & mobiles Ægyptii, facile ad res novas impellerentur, quos et eadem ratione cives, in alienam civitatem allegi noluerunt Romani Impp. Ioseph 2. contra Appion. Qui idem & præfectus Ægypti dicitur. l. 3 5. ff. ex quib. caus. minor.

Quale est hujus officium?

Hic omnia tributa exigit à moderatoribus provinciarum, si qui non intulerint, eos potest per militare auxilium quoque compellere ad solutionem. l. 1. h. t. Ordinariorum sub se judicum examinandi flagitia, & super his referendi, non amovendi vel puniendi habet potestatem. l. 2. Non priùs deponit Præfecturam, aut Imperium, quàm Alexandriam successor ejus sit ingressus, etiamsi in provinciam, et ita mandatis ejus continetur. l. unica. ff. eod.

De officio Vicarii. tit. 38. const. 2.

Quæ Continuatio?

Vicarius quoque est Spectabilis, & est media dignitas inter Illustres & Clarissimos.

Unde dictus Vicarius?

Qui enim alterius vicem gerit & sustinet, rectè vicarius dicitur. Unde etiam vicarium servus. l. 17. ff. de peculio. De quo Martialis,

E sse

Esse sat est servum, jam nolo vicarius esse.

Ita officium vicarii, vicem alterius, à quo mandatam jurisdictionem habet, est gerere, J. de offic. ejus, qui vic. alter.

Quid est igitur Vicarius?

Cui mandata est jurisdictio, quam exerceat alterius nomine, sive voluntaria illa sit, c. 1. & ult. X. de offic. vicar. sive contentiosa, c. sua nobis eod. Inter vicarios præcipua Consistativa primi ordinis in dignitate ducibus pari, est Vicarius Præfecti prætoriis, J. de Comitibus, qui huic advocato, vel alibi occupato, à Principe submitti solent in tractum vel diœcesin, aliquot in se Provincias continentem.

In quibus versatur ejus officium?

Ut sacræ cognitionis habeat potestatem, & principalis indicationis repræsentet reverentiam, & in causis civilibus Vicarius anteferatur Comiti. Comes verò Vicario in negotiis militaribus. Et si conjungantur in judicando, potior sit Vicarius Comite. Quia Vicaria dignitas ipso nomine ad se trahit portionem Præfecturæ. l. 1. h. t. Refert ad Principem, si quando usus fuerit. l. 2.

De officio Prætoris. tit. 39. 2. ll.

Quæ Œconomia?

Hactenus de spectabilibus: sed tamen Prætor quibusdam locis adjungitur etiam spectabilibus: plerumque tamen clarissimis. Quare cum Cujacio libentius fecerimus, ab hoc ordinem clarissimorum, id est, ordinis initium auspicantes.

Unde dictus Prætor?

Inde quod vel jurisdictioni præsit, vel quia præibat jus populo quasi præitor, ut Varro & Fenestella sentiunt.

Quæ origo Prætorum?

Cùm Consules (ut ait Pompon.) avocarentur finitimis bellis, neque esset, qui in civitate jus reddere posset: factum est, ut Prætor quoque crearetur, qui Urbanus appellatus est, quòd in urbe jus redderet. l. 2. §. 27. ff. de orig. jur. Et post aliquot deinde annos (non sufficiente eo Prætore, quòd multa turba peregrinorum in urbem veniret) creatus est & alter Prætor, qui Peregrinus appellatus est, ab eo, quòd plerumque inter peregrinos jus dicebat, §. 28. Captis deinde pluribus pro-

vinciis, veluti, Sardinia, Sicilia, Hispania, Item Narbonensi provincia totidem Pretores (quot provinciæ in ditionem venerant) creati sunt, ut tandem etiam 18. in urbe jus dicerent. §. capta. 32. Fuerunt itaque & Vrbani Prætores & Provinciales: fuit item Fideicommissorius, Fiscalis, Tutelaris, rerum Capitalium. At Valent. & Marcian. Impp. rescripserunt, tres tantummodò in urbe Prætores (scilicet Constantinopolitana) per singulos annos, judicio Senatus ordinandos esse: qui causas competentes, & debitos actus. l. v. l. 1. h. t. disceptent, & tractent, & tantùm illi creentur, qui in urbe proprium larem vel domum fovent. l. 2. h. t.

Quale fuit Prætorum officium?

Penes illos potestas fuit omnis publici privatiq́ʒ juris, sic, ut causas aut cognoscerent omnes, aut iis cognoscendis judices darent. l. fin. ff. eod. formulas agendi, judiciorumq́ʒ postulantibus litigatoribus præscriberent. v. tit. J. de formul. & impetrat. & ibid notat. Quæ voluntaria jurisdictionis habentur. l. 1. & 2. ff. eod. & misti Imperii, perinde atqʒ Consules exequerentur. Item Adjuvandi, Supplendi, Emendandi juris civilis gratiâ proponerent Edicta. Inst. de bon possess. Quæ in honorem Prætorum jus Honorarium sunt vocata. l. jus autem. 7. §. 1. ff. de instit. & jur. Atque omnis potestas horum, tribus verbis (authore Festo) designabatur, videlicet : Do, Dico, Addico. *Primum dandi Iudicis significat potestatem l. 1. ff. de jurisdiction. Secundum juris dicendi & sententiæ ferendæ. Tertium judicii faciendi & sententiæ exequendæ. Habuerunt voluntariam jurisdictionem. l. 1. & 2. ff. eod. Quanquam & contentiosam obtinuisse, saltem in civilibus ICtorum ætate palàm est: l. 1. §. 1. de suspect. tutor. Rei verò atrocium criminum, ad Præfectum urbi puniendi remittebantur. d. l. 1. §. fin. & l. 2. eod.*

Quomodo adjuvabant jus civile?

Cùm institutis hæredibus secundum tabulas dabant bonorum possessionem, qui priùs jure civili, habebant hæreditatis petitionem.

Quomodo supplebant jus civile?

Vt quando omnes domini fecissent dolo, quo minus servum, qui furtum fecerat, in potestate haberent. Prætor judicium in eum, quem actor elegerit, dare pollicetur. Supplet etiam dum post Suos, & Legitimos, Cognatos (de quibus in jure civili nulla fit mentio) ad successionem admittit.

Quomodo

Quomodo correxerunt jus civile?

Exemplum emendationis extat in furto manifesto. Leges 12. tabul. furem qui in manifesto furto deprehensus esset, occidi permiserunt. Si furtum aut noctu faceret, aut interdiu, si cùm deprehenderetur, telo se defenderet. Prætor autem si quis de manifesto furto, jure & ordine experiri velit, actionem in quadruplum dedit. Breviter, plura decreta è sola Prætoris jurisdictione, in libris Digestorum habemus, quàm è reliquis omnibus civilis disciplinæ partibus.

Erántne omnia Prætorum edicta ejusdem generis?

Non. Nam interdum jurisdictionis perpetuæ Prætoris edicta proponebant, ut de Pactis servandis, de Iurejurando. Quorum bonorum J. de Tabulis exhibendis, & similia. Aliquando prout res incidebant, ut de aliquo in jus vocando, neq; semper eadem ratione & modo proponebantur. Nam initiò pro suo arbitratu edicta proponebant, sed cùm id Improbis oportunum nimis esset, ad habendam quæstui Iurisdictionem, lex est à Tito Cornelio Trib. plebis lata, ut ex Edictis perpetuis Prætores ius dicerent, & secundum Edicta, initio Magistratus proposita perpetuò, hoc durante Magistratu, judicarent: Sed ne sic quidem satis occursum fuit malitiæ ipsorum.

Quale igitur tandem remedium allatum?

Servius Sulpitius (teste Cicerone) duos libros ad Edictum composuit, in quos edicta Prætorum recta, iustáque congessit, & interpretatus est. Ejus vestigiis insistens Aulus Offilius, eadem ratione Edictum diligenter composuit, ut qui vellent Prætores illâ suâ industriâ in iure dicendo uterentur, l. 2. § Servius. cum seqq. ff. de Origin. Iur. Sed quia horum erat tanta authoritas, vel quod libri non essent perfecti, ideo Salvius Iulianus Edictum Perpetuum composuit, & emendauit, ex quo Hadrianus approbante Senatu, posteà ius dici voluit, non admissa amplius novorum Edictorum promulgatione.

De officio Rectoris. tit. 40. Const. 14. cum Authent.

Quæ ratio ordinis?

Proconsul, Comes Orientis, Præfectus Augustalis, de quibus suprà est actum, sunt etiam Rectores provinciarum, sed Spectabiles: Hi de quibus hoc titulo agitur, Clarissimi, veluti Præsides, Rectores, ut unius tantùm provinciæ, illi ferè plurimum, & hic quoque sub cura illorum. Unde patet aliquando accipi illud nomen Rectoris generaliter, aliquando magis propriè.

Quæ sunt, quæ hoc potissimum titulo traduntur?

Illa ad 14. iuxta numerum legum possunt redigi.

1. *Quòd Rector Provinciæ de falso cognoscens, possit etiam incidentem proprietatis causam dirimere. l. 1. h. t.*

2. *Si quis potentiorum extiterit petulantior, quàm ut eum compescere queat, eum vel ad Principem, vel ad Præfectum referre debeat, ut publicæ provideatur disciplinæ, & junioribus consulatur læsis. l. 2.*

3. *Quòd liceat justissimis & vigilantissimis judicibus acclamare, & econtrario injustos & maleficos accusare, ut eos censuræ vigor absumat. l. 3.*

4. *Quòd debent Præfectorum Officiales, contra publicam utilitatem delinquentes coërcere, l. 4.*

5. *Curent, ut superioribus Iudicibus ab inferioribus debita tribuatur reuerentia, sed ubi publica captatur utilitas, etsi minor Iudex veritatem investigaverit, nulla majori irrogatur injuria. l. 5.*

6. *Statuat Iudicibus in 5. urbibus, qui potiores esse asseruntur, vicissim hyemandum. l. 6.*

7. *Cuget eum, qui ordinariam gesserit dignitatem. puta Præsidis, Proconsulis; atq; aliquid ex venturæ legationis titulis profligaverit, cum dispendio pudoris atq; fortunæ, ex propriis restituere. l. 7.*

8. *Executoris officium neq; præfectianis, neq; palatinis, neq; militi committatur. l. 8.*

9. *Non audeant sine Principis jussu, Augustissimã urbem adire. l. 9.*

10. *Ipsus exigat à provincialibus, non palatini. l. 10.*

11. *Provideat, ne per potentiorum procuratores, quid perperam, aut injustè committatur, l. 11.*

12. *Apparitores (si ita commeruerint) nudatos, verberibus subjiciat. l. 12.*

13. *Caveat, ne Cohortalibus obligatus obsequiis, regimen provinciæ negligat. l. 13.*

14. *Rector provinciæ habitet ipsa palatia sive prætoria si quæ sint, non domos privatorum. l. 14.*

Ut nul-

Vt nulli patria sua administratio, sine speciali permissu Principis permittatur. lib. 41. const. 1.

Quæ continuatio?

Quidam hanc legem unicam h.t. superiori addunt: Sed D. Gothofreaus aliter sentit motus et authoritate librorum veterum, qui novam Rubricam minio scriptam, post hunc titulum habent, & Græcorum Interpretum consensu, qui ad l. ult.] de Crimin. sacrileg. hunc titulum numerant 41. lib. 1. In eadem sententiâ est & Antonius Augustinus.

Quid continet hic titulus?

Idem quod lex ultima, quæ ita habet: Ne quis sine sacrilegii crimine, suscipiat vel gerat officium intra eam provinciam, in qua provincialis & Civis habetur, unde Antoninus apud Xiphilinum, μηδένα ἐν τῷ ἔθνει, ὅθεν τὸ ἀρχαῖον ἐστὶν, ἄρχειν, nisi Imp. ultrò ei indulserit. Rationem hujus reddit Paulus lib. 5. sentent. Ne aut gratiosus, aut calumniosus apud suos esse videatur. Adde, quòd affectio in patriam suspicionem aliquam gignat, patriæ magis, quam Principis studiosum fore, de quo sic Cassiodor. Gloriosum esse, in patria sua præsidatu fungi præclarè, ubi necesse est, ut aut gratiam parentela provocet, aut odium longa contentiones exasperent.

Sed antè dixisti, neminem posse ibi agere prætorem, ubi non habeat domicilium l. 2. 5. de offic. Prætor?

Dixi: Quia Prætura erat tum Iurisdictio parva, & onus potiùs, quàm honos, adeò ut plerique eam detrectarent: eademque ratio municipalium, vel generaliter in urbe, ubi est sedes imperii, & magistratuum ingens copia, & observatores actus cujusque multi, civibus & incolis magistratum capessere licet: In provinciis verò magistratu fungi non licet: quoniam longe maius est Præsidis imperium, quàm cuiusque magistratus in urbe, l. 7. §. ult. ff. de Offic. Procons.

Omissus est hic titulus de Quadrimenstruis, qui quoq; non est dictatus, nec in omnib. Codicibus habetur: & est numero 42 Vnic. Con. Græc. quæ deest.

Hunc titulum disertè ita scriptum in veteribus libris, & à nemine adhuc recentiorum animadversum restituit Doctiss. D Gothofredus, ut qui et hoc loco oportunè sit insertus. Quadrimēstrui dicuntur, quod quarto quoque mense conficiuntur. Tribus pensionibus enim anni cujusq; indictiones solvebantur l.ult.§.de anno. Breves Gessßia sunt breviscula & breues chartæ, quæ à chartularijs conficiebantur, & ad officia Palatini, aut Præfecti Prætorio transmittebantur tabulæ etiam exiguæ secundum Scardium, in quibus nomina debitorum & privata negotia admonebantur.

De officio Præfecti vigilum tit. 3. L. unic.

Quæ Continuatio?

Præfectus vigilum spectabilis appellatur. l. 3. ff. eod. Sed hic inter Clarissimos numeratur: Cum & Clarissimi generaliter & illustres, & spectabiles dicantur. Et cùm alii magistratus diurni sint, & ordinarii: Hic de eo, qui & vespertinis temporibus noctu extraordinarius est Vnde custos urbis, noctuq; Iudex obscurus, arbiter silentiosus, incendiariorum & furum indagator cognominatur.

Quæ origo hujus Magistratus?

Apud vetustiores (ait Paulus) incendiis arcendis Triumviri præerant, qui ab eo quòd excubias agebant, nocturni dicti sunt. Interveniebant nonnunquam Ædiles. & Tribuni plebis. Erat autem familia publica circa portam & muros disposita, unde si opus esset, evocabatur: Fuerunt & privatæ familiæ, quæ incendia vel mercede, vel gratis extinguerent. Deinde Augustus maluit per se huic rei consuli l. 1. ff. eod. Qui salutem Reipub. tueri, nulli magis credidit convenire, nec alium sufficere quàm Cæsarem. Pluribus uno die ortis incendiis, 7. Cohor-

Præfectus

tes oportunis locis disposuit: ut binas urbis regiones unaquaq; Cohors tueretur; Prapositus eis Tribunis, & super omnes spectabili viro, qui Prafectus vigilum appellatur. l 2. & 3. ff. eod.

Cujusmodi erat hujus officium?

Per totam noctem vigilare, & Calceatum, armatumq; oberrare, cum hamis & dolabris, instrumentisq; ad restinguenda incendia idoneis, atq; omnes inquilinos admonere, ut curã adhiberent, ne per negligentiam si (cut fieri solet) incendii casus oriatur. Prateteà ut aquam singuli in suo habeant Canaculo, d. l. 3. §. 3. & 4. Et si furtum aliquod vel effractio committeretur, hujus erat notio: Nam non solùm de incendiariis, sed etiam raptoribus, furibus, receptatoribus, Capsariis, & effractoribus cognoscit, potestq; in eos pro merito animadvertere, usq; ad fustem & flagella, d. l. 3. §. 1 & l. 4. Servum etiam in facinore deprehensum, propter vilitatem persona, ultimo afficere supplicio, huic concessum fuit. l. ult. ff. de condict. eius dat.

Sed si delictum fuerit atrocius, quàm ut tam levi pœna vindicari debeat, quid tunc?

Si dolo malo incendium factum improbaretur, aut atrox famosáque fuerit persona, ad ordinarium Magistratum, nempe, Prafectum urbis est referendum, l. unica. h. t. & d. l. 3. §. 1.

De officio Prafecti annona. tit. 44.

Graca constitutio, qua olim defuit.

Quæ Continuatio?

Est & hic clarissimus, & quemadmodum ille extra ordinẽ utilitatis causa constituitur. l. 2. §. & hac omnia. 33. ff. de Orig. Iur. sic & hic. eod.

Quale hujus erat munus?

Canonem frumentarium per officia sua exigere. l. 2. ∫. de Apparitorib. prafecti Annona, per centuriones & milites, l. ult. ff. de pignorat. act. Sub ejus cura sunt Negotiatores, qui annonam urbis adjuvant & in privilegiis Naviculariis junguntur. l. semper §. Negotiatores, ff. de Iur. immu. Nam & de pecunia, ex negotiatione annona debita, cognoscit l. ult. ff. quod cum eo. Item mensores frumentarii, l. mensores ff. de Excusat. & (ut Cassiodorus ait) per officinas pistorum prafectus annona discurrit, pensumq; & munditiem panis exigit, & solicitus

cura

auro pensat panem, quo Quirites aluntur, adeò ut ad accusandum etiam mulieres admittat, siqui annonam flagellasse dicantur, l. ult. ff. ad l. Iuliam d Annona, & l in mulierem ff. de Accusat.

Adeat ἐπιγραφεὺς, qui cum hoc Magistratu in σιτοδοσίαις, id est, frumenti contributionibus, suum cuique modum, ut in publicum horreum inferretur, præscribebat. Quum annonam quo dispensabant σιτομέτραι dicebantur: qui servabant σιτοφύλακες annonæ seu frumenti custodes: locus ubi servabatur γαζοφυλάκιον. Qui undique in urbem convehendum curarant, σιτῶναι, frumentatores, aut annonæ præfecti, ἐκ τοῦ τὸν σῖτον ὠνεῖσθαι, ab emendo frumento dici consueverant. Magistratus hi passim nobis Reip. contemptu neglecti, admodum sunt necessarii. Quantum intersit de frumento provideri, id recondi & bene servari & distribui, optimè constitutæ Respubl. loquuntur. Ita popularibus & civibus minoris venditur, avaritiaque mercatorum Remp. labefactantium, & fame enecantium coërcetur & prohibetur. Et auri sacri fame sæpè frumentum (turpe dictu & factu) putrefactum, quod centies centena hominum millia alere potuisset, aut defoditur, aut in medium flumen conjicitur. Hæc Christiani (nefandum profectò) negligunt. At Turca tantò diligentiùs victor & triumphator observat, qui creat Ssar emin urbis præfectos, qui ut copia sit oryzæ & frumenti perpetuò curat, neve ullum sit teremillatarum monopolium: sic & in exercitu habebant Harpac emin, qui equis de pabulo prospiciebant. Quanto studio Romani rem (sine qua Respubl. incolumis esse nequit) frumentariam coluere, ut alveos à singulis regionibus AEgypti in Nilum ducendos ære publico curaverunt, quibus ingens frumenti vis primùm Alexandriam, ac demùm Romam convcheretur. Postel. in lib. de Magistrat. Athen. Ipsi denique milites annonam 17. dierum ferebant: rei frumentariæ difficultas in omni expeditione vitanda est, studioseque annona præparanda, & agendum ne deficiat. Veteres in munitissima loca soliti sunt annonam comportare. Verisimile est loca quoque subterranea illius rei fuisse. Vitru. cryptas vocat fossas testudinatas, & concavas scrobes, ubi triticum conditur. Var. lib. 1. de re rust. Quidam habent granaria, inquit, sub terris, uti speluncas, quas vocant Syros: alii utuntur ad id puteis. Hæc Godscal. ad Veget.

De officio Iudicum Civilium, tit. 45. const. 2.

Quæ Continuatio?

Post speciales singulorum Magistratuum titulos, sequuntur generales. & quia magistratuum sive judicum una divisio est, ut alii sint Civiles, alii Militares, primum ergò de Civilibus.

Quid est proprium Civilium Iudicum?

Primum, ut honorati principales nimirum Civitatum, qui pfcrunctis sunt omnibus muneribus Civilibus. & cæteri omnes, qui honorariam adepti sunt dignitatem, sive Civilem, sive militarem, vel qui Consulatum, vel aliam dignitatem administraverint, quibus jus est considendi in secretariis judicum, l. ult. ff. de off. divers. Iudic. cum judice non sedeant interim, dum eorum litigatur, contestatur, disceptatur l. 1. h. t. Deinde ut inter privatos, vel militem actorem & privatim reum sit Iurisdictio: Benignè audiant allegationes eorum, qui se adserunt esse immunes à publicis functionibus. Nam allegationes immunitatis, suspendunt exactionem tributorum. l. 2. eod.

De officio militarium Iudicum, tit. 46. const. 4.

Quæ Continuatio?

Superiori titulo de officio civilium Iudicum, jam de officio militarium Iudicum, ut Comitum, & magistrorum militum.

Quale est horum officium?

Vt inter milites eorum jurisdictio vigeat, aut inter privatum actorem, & militarem reum, neque debebunt se tanquam executores vel defensores negotiis privatorum immiscere. l. 1. h. t. Neque paganus cogi potest, ut in foro militari litiget l. 2. h. t. Nec patiantur ut completa militia, quisquam schola agentium societur. l. 3. Duces militum commorentur in ipsis maximè limitibus, milites ad proprios redigant

gant numeros, inhæreantq; diuturnis exercitationibus: castrorum refectionis, & lustrationis curam habeant. l. ult. eod.

Ne Comitibus rei militaris, tit. 47. const. unic.

Quid sibi vult hic titulus?

Interdicitur sub duplici pœna comitibus rei militaris, inferioribus id est, clarissimis, ne à provincialibus qui eos hospitio excipiunt, privata exigant balnea. Illustribus tantummodo comitibus & magistris militum, hoc ministerium prærogativa quadam indulgetur. l. unic. h. t.

De officio diversorum Judicum, tit. 48. const. 3. cum Authent.

Quæ Continuatio?

Et hic titulus communis est omnibus Iudicibus, Civilibus & Militaribus.

Quid continet hic titulus?

Primò vetat, ne ullus judex per officialem propter debitum matremfamil. domo in publicum protrahat, qui id ausit, capitali pœna plectatur. l. 1. h. t.

2. Præcipitur, ne pro ullo debito vel fiscali vel privato, mulier includatur. Auth. sed hodie h. t.

3. Vt singuli judices, celsioribus debitum honorem præstent, neq; eos in scriptionibus audeant nominare fratres. l. 2.

4. Principes & primates officiorum ternis libris auri mulctantur, si honoratis viris Secretarii judicum non patuerit ingressus, aut reverentia non fuerit in salutatione delata, aut sedendi cum judice denegata societas. l. ult.

Vt omnes Judices &c. tit. 49. con. unic. cum Authent.

Quæ

Quæ Continuatio?

Est & hoc commune omnium judicum provincialium, ex constitutione Zenonis, ne sub juratoria cautione, ante ora & in conspectu illorum, quos vexerunt, versentur, ut rationes gestorum ab iis, deposci possint l. 4 6. & passim ʒ. de offic. Procons.

Estne certus & præfinitus locus, ubi debeant manere?

Clarissimi in Metropoli Provinciæ, quam administraverunt: Spectabiles in majoribus celebrioribusq; administratæ diœcesios civitatibus, & in publico sui faciant copiam. Qui verò fugerit, ubicunque repertus fuerit, à Præfecto Prætorio deducatur, ibidemq; sex mensibus moretur, judices, lites quæ ventilantur, intra 30. dies terminent.

Cur debent manere?

Vt volenti cuilibet sit cum eis, vel civiliter vel criminaliter experiundi potestas, de furtis, l. Iulia Repetundarum: de aliis criminibus veluti peculatu, aut manubiis, id est, prædationibus, concussionibus, l. ult. ʒ. de modo mulctarum.

Tenentúrne tantùm Iudices?

Non tantùm: sed etiam Adsessores, Cancellarii, & Domestici judicum. l. 3. & 8. ʒ. de Assessor. Atque etiam Manipularii. l. 1. ʒ. ad l. Iuliam repetund. Ratio hujus juris est, ut coràm positi benè actæ rei laudibus fruantur, & si conscii alicujus dolebuntur criminis, discessus celeritate se non subtrahant.

De officio ejus, qui vicem alicujus obtinet, tit. 50. const. 2.

Quæ Continuatio?

Et hic titulus communis est.

Quis intelligitur hîc vicem alicujus, vel Præsidis, vel Iudicis referre?

Non vicarius, non legatus, non is, cui præstet suam jurisdictionem, sed is, qui (sicut scribitur l. 1. ff. de tutor. & curator.) gubernat provinciam temporis causâ Præside defuncto, vel quia ei provincia ad tempus regenda à Principe, vel Præfecto Prætorio commissa fuit: hoc munere non;

re nonnunquam fungebantur procuratores Cæsaris. l. 1. J. de pedaneis.

Quale est hujus officium?

In causa, quæ ad utilitatem Reipubl. spectat, cognoscere, & defensores, si jus Reipubl. captum esse perspexerint, restitutionis auxilium flagitent. l. 1. h. t. Tutores & Curatores dent, decretum etiam interponant ad alienandas minorum vel similium personarum facultates: emancipationes quoque ll. celebrent, & omnia, quæ ad jurisdictionem rectoris provinciæ pertinent, actitent. d. l. 1. de Tutor.

Sed Cujacius putat per Nov. 8. c. 4. derogatum esse huic titulo verito præside se absente τοποτηρητὰς seu vicarios in civitatibus constituere?

Non est sic: quoniam τοποτηρητὰς videntur fuisse quorundam locorum defensores, non integræ provinciæ. d. n. d. c. Ut res eo redeat, à præsidibus mandari potuisse integræ provinciæ administrationem, at non potuisse certis locis ac civitatibus defensores dari. d. l. 1. J. de tut.

De Adsessoribus, Domesticis, & Cancellariis Iudicum, tit. 51. constit. 14.

Et hic titulus refertur ad omnes Iudices: agit enim de Assessoribus quorumcunque Iudicum.

Unde dicti Adsessores?

Inde dicti, quòd judicibus in jure dicendo assideant; & Macario hom. 15. appellantur βοηθοὶ συγκάθεδροι καὶ πάρεδροι, in Basilicis, συνετοὶ, συμβουλοφόροι ἄνδρες. id est, (ut Prudentius interpretatur) consiliatores viri: Hinc & adsessorium. l. 5. §. hac lege de injur.

Quid sunt Adsessores?

Sunt Iurisperiti, qui consilio juvant judicum, & consiliis suis adjuvant judices, Unde & Consiliarii appellantur. Facit l. 1. in fin. ff. eod.

Cujusmodi est horum officium?

Cognoscere causas, postulationes litigantium audire, Epistolas Principum accipere. l. 1. De quo ita Dioclet. & Maximin. studiorum labor meri-

bor meretur. Vt hi, qui in publicis administrationibus constituti, sociari sibi consiliorum participes cupiunt, spe præmiorum atq; honorificentiâ suâ provocent eos, quorum prudentiam putant sibi fore necessariam. l. 1. h. t. Vnde etiam filiifam. velut Castrense peculium post obitum patris sibi vendicant, quod ex hac functione accesserit. l. 7. Consiliarii & Adsessores virorum illustrium ab omni indictionis onere, sive Civilium judicum sive militarium, prorsus sint immunes l. 11. Suo nomine nihil agunt, adeò ut ne libellus quidem subscribere possint. l. 2. Nec sine judicibus, consiliarii eorum nomina ponentes, jus dicant. l. 13. Nec ulli licet simul & advocato, & adsessori esse, ne dum ad utrumque festinat, neutrum bene peragat. Neque enim credendum unum duabus rebus necessariis sufficere. Cameræ tamen Imperialis Adsessores sunt judices, qui jurant se secundum Imperii const. juris communis laudabiles consuetudines judicaturos: Gail 1. obs. 36.

Assidebuntne & subscribent passim omnibus, quæ audiunt?

Certè (responde: Oldendorp.) tali ratione assentatores veriùs quàm adsessores dicentur, si qui fuerint. Curare igitur debent, ut omnia ad normam æqui & boni diligenter exigantur, & perducantur, eoq; celeriùs, quo fuerint utiliora. Et ne quid avarè & injustè agerent, Alexander Severus (teste Lampridio) illis salaria constituit: quamvis sæpè dixerit, eos ad Magistratus evehendos esse, qui per se possent Remp. regere, addens unumquemque id agere debere, quod nosset & intelligeret. Assessoris imperitia non excusat Magistratum, quin faciat litem suam.

Quid, si iniquum & pravum aliquod suggerant, Magistratui consilium?

Illud (secundum Hesiodum) ipsis assessoribus & consultoribus erit pessimum, adeò ut non modò assessores doli, sed imperitia quoque teneantur. l. 2. ff. quod quisque juris. Propterea in his requiritur jurisprudentia, non tam in Magistratu, cui assident, ut Cicero pro Plancio P R ait, Magistratuum virtute & innocentia contentum esse: quotusquisque disertus, quotusquisque jurisperitus est. Vnde etiam imperitia Assessorum magistratum, non ipsos excusat. Quando videlicet ipsi sibi Assessores elegerunt, non quando Princeps vel Respublica ipsis constituit. Bald. in Republ. l. J. de pœn. judic. qui malè, quæ

refert Cotta in suis Memorabilib. Magnam habent affinitatem Cancellarii.

Unde dictus Cancellarius?

Authore Luca de Penna in l. neminem. C. de decurionib. lib. 10. quod videlicet rescripta regio sigillo munienda corrigat & cancellet: vel, ut VVesemb. à cancellis fortè nomine deducto, quibus ab eorum Secretario(Secretarium dicitur quemadmodum auditorium, aula, in quam judices, reddituri jus, conveniunt,) aditum plenum liberumque arcebat. Nam ut libellis sive chartulis sit refertum, & frequentes habeat interventores, neque ab illorum colloquio prohibetur, & ab amittendarum chartarum periculo abest. Cujac. autem appellat Cancellarios, qui judicibus sunt à Secretis. l. 8. h. t. Sic (ut ille asserit) dicti quòd scribendis & expediendis Epistolis, Iussionibus, Relationibus, Edictis, Responsis, & Sententiis judicum operam darent, loco quidem proximo consistorio, vel Secretario Iudicum clausis reticulis sive Cancellis.

Qui sunt Domestici?

Domestici apud Romanos intelliguntur domestici milites, qui non in acie, sed domi, protegendi sacri lateris curam habebant, familiarius militabant. Vnde & domestici protectores dicebantur, quorum alii erant pedites, alii erant equites. l. ult. ʒ. de domest. & protector. VVesemb. interpretatur uxorem, liberos, familiares, apparitores, satellites, lictores, qui omnes arcentur à publicis actibus, & si se immiscuerint, puniuntur.

Habéntne hi aliquid commune?

Quidni? nam omnes coguntur 50 dies manere in provincia, & si quid convincantur abstulisse, in quadruplum restituere: Ita ut duplum ad spoliatum, duplum ad fiscum perveniat. l. 3. Præsentiam sui debent exhibere provincialibus, quo volentibus, sit eos accusandi facultas: si quoque necessitas exegerit ad detegenda judicum flagitia, Domestici & Cancellarii quæstionibus possunt subdi. l. 8. Qui in provinciis vel Domesticus vel Cancellarius fuerit, ad eandem functionem ambitione non redeat. Licet tamen judicibus illustri præditis potestate, eosdem sibi Conciliarios secundò, tertiò, vel sæpiùs adjungere. Quia qui semel rectè cognitus est, non debet ob hoc solùm, quod probatus est, improbari. l. 12.

De annonis & capitatione administrantium Assessorum, tit. 52. constit. unic.

Quæ Continuatio?

His omnibus, de quibus antè actum est titulis superioribus, de publico præbentur salaria, id est, annonæ & capita. Etsi judicibus, muneribus abstinendum est, tamen vitæ subsidia debentur, neque bovi (ut in sacris literis dicitur) trituranti est os obligandum, nemo etiam suis militat stipendiis. c. 16. X. de præscript. Neque ulli debet suum officium esse damnosum, l. sed etsi. 7. ff. quemadm. testam. neque sumptuosum. l. 1. ff. de contrar. tutel. act.

Vnde dictæ annonæ?

Annona ab anno: Annona significat annuam alimoniam, l. 3. ff. de Annon. propriè rei frumentariæ, sed promiscuè pro quovis alimentorum genere, quo vitam toleramus, et tam ad cultum, quàm ad victum usurpatur. Fac. l. verbo 43. de V. S.

Quid annonæ?

Intelligitur certa definitáque cibariorum annuorum ratio, quemadmodum Lamprid. ait, Alexandrum Medicis dedisse binas annonas & ternas; Inde annonæ Civiles appellatæ, l. jubemus 3. de sacrosanct. Eccles. & alibi panes civiles appellantur. l. ult. §. prætereà. J. de jur. dot. Dicebantur etiam pensitationes, quas prædiorum provincialium domini, conductoré sque tuendi exercitus causâ, quotannis præbebant. J. de Annon. Et distinguunt à tributis, ut annonæ in speciebus constiterint, id est, pane, frumento, carne, vino, fœno & paleis. &c Tributa verò in corporibus, ut equis, vestimentis, pecuniâ, jumentis.

Quid est Capitatio?

Capitatio species est tributi, cujus meminère multæ leges. l. ult. §. pen. de mun. & ho. &c. Hoc verbum dupliciter accipi animadvertitur. Interdum enim capitis tributum significat. l. unic. J de capit. civil. lib. 11. collatum pro singulis personarum capitibus, de cujus remissione seu relevatione Flavienses in suo Panegyrico gratias agunt, hisce verbis: Septem millia capitum remisisti, quartam ampliùs partem nostrorum

censuum. Certè & tum liberi parentes, quos chariores habent, & mariti conjuges non gravatè tuentur, & parentes adultorum non pœnitet filiorum, quorum onera sibi remissa lætantur. Alias capitatio, annonarum pro mensura agrorum functionem, indictámque possessionibus pro jugerum & capitum quibus coluntur & arantur numero collationem designat. leg. 9. C. de act. emp. Appellationis ratio hæc videtur, quot numerata capita vocarentur, quorum jugo uno quantum arari terra (uno puta die) poterat, id sub jugationis appellatione in descriptionem veniebat, tributariisq; functioni subjiciebatur, junctim Græcè dicitur ζυγοκέφαλον. Novell. 17. Eam certè collationem pro numero jugorum, vel capitum, quæ quisque possidebat, factam dilucidè ostendit. l. ult.], de immut. nem. conce. lib. 10.

Quid sunt Capita?

Sunt pabula equorum, mulierum, jumentorum, camelorum, quibus vehimur nos, aut sarcinæ, impedimentáque nostra portantur. Unde Hesychius appellat κεφάλαιον παράβλημα ἀλλόγων, ut avena, fœnum, palea, quæ Magistratuum jumentis Imp. præscripto præbebantur: quia in singula capita, certa quantitas dabatur.

Quæ ratio, quísve modus exigendarum annonarum?

Non aliàs possunt Magistratus exigere vel accipere, quàm quæ particularibus derogationibus, id est, Principum diplomatis (quæ erant literæ Magistratuum, quibus alicui potestas exeundi daretur: qui falso diplomate vias commeat, pro admissi qualitate gravissimè punitur) libellis & mandatis, quibus delegare officia solent, continetur. l. unica. h. t. Quemadmodum etiam hodie taxantur & ordinantur, ut qui ampliùs exigeret, videatur teneri in duplum. l. uni.]. ne rei mil. aut etiam triplum. §. tripli Inst. de Act. Aut etiam quadruplum. l. non licet. 46. de contrahend. empt. Maximè per concussionem, l. jubemus,]. de Concuss.

De Contractibus Judicum.

tit. 53. const. unic.

Quæ Continuatio?

Et hic

Et hic tit. communis omnium judicum, quod scilicet non licet l. ut Mart. respondet, administranti aliquid emere, vel per se vel per aliam personam, alioqui non tantùm rem amittit, sed in quadruplum convenitur. d. l. non licet. Iustinianus tamen hoc distinguit inter Magistratus Provinciales & Vrbanos: Quòd Vrbani nec res mobiles, nec immobiles comparare possunt, nec domos extruere sine speciali permissu Principis. Donationibus omninò abstinendum est, nec etiam convalescere possunt, nisi post administrationem depositam, nisi donator eas specialiter ratas habuerit in scriptis, vel lapsus quinquennii interpositus fuerit. h. l. Provincialibus non solùm donationes, sed etiam emptiones quarumcunque rerum, mobilium vel immobilium (exceptis ad victum & amictum pertinentibus) etiam ædificationes, adeò ut ne scripto quidem comprobata valeant, interdicuntur: & meritò. major enim in provinciis grassandi copia. Varro lib. 4. de lat. ling. Multam pecuniam esse ait, quæ à Magistratu indicta ut exigi possit, ob delictum, & quòd singulæ dicerentur, appellatas Multas: quod rustici olim unam dicerent Multa. Et his donationes collatas, ne quidem post administrationem depositam, vel scriptum, vel quinquennium confirmant § 2 h. l.

Diligenter à majoribus & legibus & *συμβόλοις* aliisque notis est cautum, & præceptum, ut judices affectibus vacent, & à sordibus sint alieni, quod & eleganti Emblemate expressit Alciatus, depingens Senatum boni Principis, hisce versiculis.

Effigies manibus truncæ ante altaria Diuûm
  Hîc resident, quorum lumine capta prior.
Signa potestatis summæ, Sanctique Senatus
  Thebanis fuerant ista reperta viris.
Cur resident? quia mente graves decet esse quietâ
  Iuridicos, animo nec variare levi.
Cur sine sunt manibus? capiant nec Xenia, nec se
  Pollicitis flecti, muneribusque sinant.
Cæcus at est Princeps, quod solis auribus absque
  Affectu, constans jussa Senatus agit,

Id agalma Plutarchus attigit, & Stobæus ex eodem his verb. *ἐν Θήβαις εἰκόνες ἦσαν ἀνακείμεναι δικαστῶν ἄχειρες, ἡ δὲ τοῦ ἀρχιδικαστοῦ μύουσα τοῖς ὄμμασιν, ὡς ἄδωρον ἅμα τὴν δικαιοσύνην καὶ ἀνέντευκτον οὖσαν.* Id est, Thebis imagines conspiciuntur Iudicum manibus carentes: at summi Iudicis imago connivet oculis: eò quod

justitia nec muneribus capi, nec hominum vultu flecti debeat. Ponit enim personam amici, cùm judicis sumit. Si Lex quid emi vetat, multò magis dona accipit. Plin. lib. 8. Epist. scribit, Iulium Bassum accusatum repetundarum, quòd in Bithynia quædam munera à provincialibus accepisset. Sic Spartian. tradit Pescennium Nigrum salaria judicibus è publico dari voluisse, ne cui essent oneri: adjecisséque, judicem nec dare debere, nec accipere. Et Pierius lib 33. tradit. Non est quod suspicionibus, aut conjecturis aliquid uspiam tribuat ipse judex, nec litigantium verbis hæreat, sed probationibus manifestis veritatem investiget. Unde illud Poëtæ: Μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς. Item Solonis illud, ἄρχων ἄκουε καὶ δικαίως κ' ἀδίκως.

De modo mulctarum, quæ à Judicibus infliguntur. tit. 54. const. 6.

Pertinet quoque hic tit. ad omnes judices, qui publicè judicium exercent: Hi enim mulcta dictionem, & pignoris captionem habent, quâ suam Iurisdictionem tueantur, & coërceant inobedientes, contumacésque ad officium adigant. l. 2. § ult. ff. de re judic. & l. aliud. § ult. de verb. signif.

Unde dicta est mulcta?

Inde dicta (teste Varrone) quòd multa simul imperabantur. idq; contra antiquorum consuetudinem, qui singulas res tantùm, aut saltem unius generis mulcta nomine exigebant. Vocabulum hoc (Festo Authore) Oscum est, non Latinum, ut quidam mulctam putent dictam per Antiphrasin, quasi minimè multa. Budæus à mulcendo derivat, ut pecudes mulgendo privantur lacte, sic homines pecuniâ. Erat enim in usu principiò unam ovem pro multa pendere. V. Aul. Gell. noct. Attic. cap. 11. 4.

Quid interest inter mulctam & pœnam?

Pœna nomen generale est, & omnium delictorum coërcitio; Mulcta specialis peccati, cujus animadversio hodie pecuniaria est. Pœna non tantùm pecuniaria, verùm etiam capitis & existimationis, Mulcta ex arbitrio venit ejus, qui mulctam dicit, & ibi dicitur, ubi specialiter imposita non est pœna, unde etiam Arbitraria vocatur. Pœna non irrogatur, nisi quæ quaq; lege, vel alio jure quo specialiter huic delicto imposita

posita

posita est, unde hac certa dicitur. Magistratus enim solos & prasides provinciarum posse mulctam dicere, mandatis permissum est: pœnam autem quisque irrogare potest, cui hujus criminis sive delicti executio competit. l. 131. ff. de verb. signif. In l. 12. tab. hac extant. Iusta imperia sunto iisq; cives modestè, ac sine remissione parento. Magistratus nec obedientem & nocuum civem mulctâ, vinculis, verberibúsque coërcento.

Quid est igitur Mulcta?

Est pecuniaria coërcitio, qua arbitrio Iudicis, cui adjudicatio data est, infligitur. d. l. aliud. Dixi arbitrio Iudicis: *quia Iudex postquam mulctam irrogavit, ex causa eam moderari & remittere potest. l. ult. §. ult. h. t.*

Possúntne omnes mulctare?

Non: Nam Procurator Cæsaris non potest. l. 2. h. t. neque Curator Reipub. qui Logista dicitur. l. 3. neque defensor Reipub. l. 5. J. de defensor. civitat. Non Duumviri l. unica. si quis jus dicenti &c. Non Iudices delegati. l. 2. in fin. ff. de Iudic. Breviter, nemo mulctat, nisi sit judex ejus, quem mulctat, competens, quod ad bona aut personam. c. Romana. §. contrahentes. de for. competent. In 6. Et rectè ille mulctatur, qui impedit & violat jurisdictionem alicujus; Quia delinquendo, quis forum sortitur. c. ult. x. de for. competent. & l. omninò. 19. ff. de Iudic.

Quomodò mulcta infligitur?

Mulcta non imponitur nisi parti citata & audita, ne aut pracipiti persuasione condemnet, quos culpa non gravat, aut erubescendâ varietate judicii pro arbitrio immutet, quos jusserit, nisi paupertas condemnati hoc persuaserit. l. ult. in fin. h. t. Vnde qui non habet in are, luit (ut dicitur) in corpore. l. ult. ff. de in jus vocand. & l. 1. §. fin. ff. de pœnis. Mulcta tamen quantulacunque, nullum damnum fama irrogat. l. 1. h. t.

Cui cedunt Mulctæ?

Impp. rescripto fisco applicantur, nisi eas Iudex vel publicis operibus, vel aliis necessariis causis specialiter destinaverit. l. 5. h. t.

Licétne Magistratui, quantas velit, mulctas irrogare?

Nequaquam: Illustres viri ultrà 50 libr. auri, etiamsi gravissimum

sit peccatum, irrogare non possunt. l. 4. h. t. Præsides qui ordinario jure provincias moderantur, nequeunt ultra duarum unciarum summam condemnare. l. 6. in princ. Proconsul verò, Comes Orientis. Præfectus Augustalis, senarum unciarum: Spectabiles trium tantùm. d. l. 6.

Quid, si excesserint hanc quantitatem?

Tenebuntur ad dupli restitutionem condemnato, & fisco, ad eam quantitatem, quam acceperunt. d. l. 6. §. 4.

Possúntne facinorosi, in gravissimis criminibus deprehensi, mulctâ defungi?

Nequaquam: Vnde Impp. rescripserunt, Ad mulctæ moderationem non pertinere, qui in peculiaribus aut manubijs, id est, depradationibus, aut concussionibus, furtis, alijsque flagitijs, quæ coërceri severiùs convenit, fuerint deprehensi. d. l. 6. §. 5.

De Defensoribus Civitatum, tit. 55. const. 10.

Quæ Continuatio?

Hactenus dictum fuit de Magistratibus superioribus, & (ut sic dicam) universalibus, quibus est jus mulctandi: Nunc ordine quodam subjicientur de Municipalibus & Oppidanis, quibus idem jus legibus non competit. l. fin. etiamsi moribus aliter observetur. Gloss. in l. 1. ff. si quis jus dicenti.

Quis est defensor civitatis?

Ab officio nomen habet, & talis in Municipijs est potestas, qualis in urbe Romana erat Trib. plebis, nempè defensor vulgi & tenuiorum, quique parentis vicem plebi exhibet. l. 1. 2. 3. & seq. h. t. Maximè rusticorum. l. 4. h. t. Et etiam decurionum. l. 5. Item adversus susceptorum violentiam. l. pen. h. t. Insolentiam. d. l. 5. Fraudem expilationum. d. l. pen. Vnde & Custos disciplinæ, & quæsitor scelerum cognominatur l. 6. h. t. Siquidem (Authore Iustiniano) paternâ voce eos vocamus defensores, quatenus eripiant à malis injustitiam patientes. N. 15. in princ.

Quales

Quales eliguntur defensores?

Qui sunt bonæ opinionis, d. N. Et, sicut Anastasius Imp. rescripsit, eos tantummodò creandos, qui sacrosanctis Orthodoxæ religionis imbutos se mysterijs ostendunt. l. jubemus. 19. §. de Episcop. Audient. & l. 8. h. t. Item, Constituendi sunt nobiliores, & pro quantitate cujusque Civitatis, ut verè graviterque dicatur, quantò quis præest melioribus, tantò major ipse & honestior habetur: Imò nulli hoc ministerium licet declinare, d. N. in princ. Neque per vicarium administrare. d. N. c. 2.

Quid Electus præstat?

Iurat se omnia secundum leges & jus acturum; & si quid non rectè agere videatur, defertur ad Præfectum Prætorio; ut inde ei fiat curæ privatio, unde etiam datur, d. c. 2.

De quibus cognoscunt defensores?

Olim usque ad 50. solidorum summam conficiebant acta, cæteras controversias ordinario insinuabant Rectori. Hodie verò ad aureos 300. d. N. c. 3. in fin. Rusticos in pecuniarijs causis litigantes audiunt. l. 5. Latronum serventem insaniam, & crimina non sinunt impunita coalescere: Removent patrocinia, quæ favorem reis, & auxilium sceleratis impartiendo, fovent scelera. l. 6. Oblatos reos, & in maleficijs deprehensos, expresso crimine cum his, à quibus accusantur, mox ad judicium mittuntur. l. 7. Apud illos testamentorum, & donationum insinuationes, & quidquid aliud est monumentorum proprium, peragitur. d. N. c. 3. in princ. Exceptis ijs, quæ indigent jurisdictione, & quæ ab ipsa judicum pendent authoritate. ibid. in fin. Ab his, ad ipsos appellatur Iudices. d. N. c. 3. in princ.

Quamdiu durat hoc officium?

Olim quinquennium. l. 4. hodie tantùm biennium. d. N. nec potest suam solicitudinem publicam abdicare, nisi permittente Principe. l. ult.

De Magistratibus Municipalibus. tit. 56. const. 2.

Quæ Continuatio?

Atque hi sunt Magistratus unius oppidi, sive Municipij. Municipia enim dicuntur civitates suo iure et legibus utentes. Muneribus tamen & honoribus P. R. fungentes. Et quemadmodum ex cohortalium numero defensores eligebantur. l. 2. prox. tit. Ita hi ex ordine Decurionum.

Unde dictus Magistratus?

Magistratus (ait Paulus) illi dicuntur, quibus præcipua rerum cura incumbit, & qui magis quàm cæteri diligentiam & solicitudinem rebus, quibus præsunt, debent, idq; à Magistris per derivationes. l. quibus. ff. de verb. signif.

Unde dicuntur Municipes?

Municipes (authore eodem) illi intelligendi sunt, qui eodem municipio nati sunt. l. 22. ff. eod. Municipes quidem propriè appellantur muneris participes, recepti in civitatem, ut munera nobiscum facerent. Sed nos abusivè municipes dicemus sua cujusque civitatis cives. Et municipes facit aut nativitas, aut manumissio, aut adoptio. l. 1. ff. ad municipal.

Qui creant hos municipales Magistratus?

Collegium Decurionum. l. si quis. 9. l. 14. §. ult. ff. de muner. Decreto curialium. l. defensores. 8. C. de defensor. l. jubemus. 17. C. de Episcop. audient. & confirmatione præsidis. l. eos. 12. ff. de decur. Qui detrectantes (nam invitis etiam hæc munera injunguntur. l. ult. §. 3. ff. de muner.) iis remediis cogit ad officium subeundum. l. ult. in fin. & l. incola. 34. ff. ad municipal. quibus prætores adigi solent. l. si quos magistratus. 9. ff. de munerib.

Qui possunt creari Magistratus Municipales?

Tam filiusfam. quàm paterfam. dummodo idoneus. l. ut gradatim. 11. § 1. vers. si idonei. & l. 16. § 2. ad municip. Negotiator, incola. l. incola. 29. & 34. ff. ad municip. Tamen, qui ita tenues sunt, ut de suo victum sustinere non possint, his magistratum mandare non satis est honestum. l. rescriptum. 6. ff. de rescript. & munerib. Extranei tum demùm admittuntur, cùm desunt indigenæ, qui alioqui præferuntur. l. libertos. 17. §. 4. & 9. ff. ad municip. Adeò ut inopia legitimorum etiam spurii admitti possint. l. spurii. 6. de decur. Etenim sem-

per quatenus fieri potest, potioribus sunt deferendi honores. l. honores. 7. ff. eod. Majores 55. annis non coguntur. l. 2. §. fin. ff. eod. Neq; minores etiam volentes admittuntur. l. non tantùm. 11. ff. eod. & l. ad Remp. 8. ff. de munerib. Non debitores Reipubl. l. 6. §. 1. ff. de tit. Non rei criminum. l. reus 7. eod. Non relegati. l. 7 de Decur. Non sceleris convicti. l. judices. 12. J. de dignitat. Non infamiâ notati. l. 2 J. eod. Non operarii, sordidiq; negotiatores. l. ne quis. 6. eod. Non mulier. l. 2. ff. de reg. jur. Non surdus, nec mutus. d. l. 7. §. 1. Neq; cæcus, licet magistratum retinere possit. l. 1. § 4. ff. de postulando.

Cujusmodi est horum officium, quæ potestas?

Officium horum magistratuum est individuum, & commune periculum. l. quid ergò. 13. ff. ad municipal. Vnum magistratum administrant. l. magistratus. 25. eod. Et unius hominis vicem sustinent. d. l. Et unum corpus sunt. 1. t. de Decur. Præbent frumentum civibus, non tamen viliùs, quàm annona exigit. l. non debent, 1. ff. ad municipal. Exigunt annonas. l. 1 h. t. Exigunt etiam pecunias Reipublicæ legatas, alioqui ipsi, eorumq; hæredes interventores tenentur. l ult. §. 2. ff. ad municipal. Est etiam aliquando apud hos legis āo. l. ult. de manumiss. vindict. Mulctæ dictio. l. 5. præcedent. tit. Pœnali tamen judicio non possunt tueri suam jurisdictionem. l. 1. ff. si quis jus dicenti. Habent & pignoris capionem. l. quemadmodum. 29. §. 7. ff. ad l. Aquil. Habent & modicam castigationem in servos. l. 12. ff. de jurisdict.

De Juridico Alexandriæ. tit. 57. const. unic.

Quæ Continuatio?

Erat & huic jus conficiendorum actorum, De quo ita Leo & Anthemius rescripserunt; Iubemus Alexandrinæ civitatis juridicum, singulis quibuscunq; volentibus donationis conscripta instrumenta reserare: iisdemq; robur adjiciat gestorum series apud eum confecta, tanquam si apud clarissimum moderatorem provinciæ, vel magistratus, vel defensores plebis habita fuisse diceretur. l. unica. h. t.

Utique

Utique in provinciarum administratione moris erat à præside, vel ejus legato judices dari?

Verum est: At hi de causis tantùm singulis cognoscebant, verùm potior peculiariter Alexandriæ potentissimæ urbis Ægyptiæ munitionibus & portubus munitissimæ, judex peculiaris est præfectus, penes quem ll. est actio, & ordinarius magistratus. l. 1. ff. eod.

Quale hujus officium?

Ut speculatorem ageret præfecti Ægypti, & licet minor eo ipso esset, tamen amoveri ab illo non poterat. l. 2. §. de officio præfect. August. Quin etiam quæ imperii essent, ut dare tutores, exequi posset. l. 2. ff. de offici. juridici.

Finis libri primi.

13. Augusti. Anno Domini 1588.

Soli Deo Gloria.

LIBER SECUNDUS CODICIS,

De ordine & dispositione libri secundi.

Quomodo hic liber cum superiore conjungitur?

IMperator initio primi libri tradidit divina, quibus & religio continetur: Deinde sacra humana, quibus omnes partes sacratissimarum legum exponuntur: Addidit & Magistratus earundem executores. Nunc ordine recto post Leges & Magistratus, judiciorum præparatoria declarat, quibus cives instructi, cautiùs prudentiusq́; aleam judiciorum subeant & tum judices citiùs & faciliùs judicia expediant. Continet hic liber 58. titulos.

TITULUS PRIMUS

De edendo, Cō.8. cum unic. Auth.

Quæ Continuatio?

1. *Cùm adversarium obstrictum tibi dicas, necesse est jus tuum, quo debitum in judicio persequi velis, speciemq́; litis futuræ demonstres, ut intelligant, utrum cedere illi, an contendere expediat: & si litigandum existimet, jam instructus veniat, actione nempe perspecta, quâ adversus illum experiaris, atq; hinc titulus de Edendo.*

Quid est edere?

Quod Terentius elegantibus expressit versiculis:

Quid? si ego illam tibi nolo vendere
Coges me? AEs. minimè. S. namque id metui.
AEs. neque venundam censeo,

Quæ

Quæ libera est. Nam ego illam liberali adsero causa ma
Nunc vide, utrum vis argentum accipere, an causam m
ditari tuam
Delibera hoc, dum ego redeo leno.

Vtq; editio alia sit libelli, alia instrumentorum, alia rationum, ali actorum.

Quæ libelli editio?

Fuerunt quinq; rationes actionum edendarum diversæ:

1. Si quis diceret quâ actione agere vellet.

2. Si ejus quem allegabat, actionis describendæ actor faceret copiam reo.

3. Si actor suam intentionem in libello complexus, & eam sic offerret adversario.

4. Si ex libello eam adversario dictaret.

5. Si adversarium suum actor ad album (in quo edicta erant) produceret, demonstraretq; quâ uti vellet.

Quomodo editiones fiunt instrumentorum?

Sine die & consule, ne ansa detur fabricandi falsi posterioris instrumenti, quod priori fidem deroget. fac. l. pacta 12. ʃ. de pact. & edi possunt exempla sine subscriptione elentis l. antep. h. t. Diem autem & Cos. intelligit Prætor, quo instrumentum conscriptum, non in quem solutio confertur. Quia dies solutionis summa pars scriptionis est. l. 1. vers. editiones. w. cod. Pro ratione enim termini hujus intendi, vel minui pretia rerum solent. l. 5. sterilis. §. si tibi de act. emp. Nec cùm dies desit, tota scriptio edita videbitur. l. 1. vers. diem. Et hæc ita se habent, quando ad instruendum judicem vel reum super judicio editio fit.

Quid si autem lite contestatâ ad finem probationis editio conferatur, quid juris?

Tunc rationum, actorũq; exhibitio, tempus & diem habere debet. gloss. & Bald. in l. 1. verb. die Alex. & Dd. in l. 2. sine quo scriptura nihil probat. l. 3. ʃ. de divers. resp. & authentica scriptura requiritur. Auth. si quis in aliquo. 5. l. 2. de fid. inst. cùm exemplis non creditur. d. l. 2. Ias. Barth. Curt. in l. Admonendi, de jure jur.

At quando editio facienda?

Eorum, quæ ad fundandam intentionem libello inseruntur, statim

l. 1.

l.1.§. quæ ad probationem, post litem contestatam, vel alio quocunque Barth. d.l.1. §. edenda in.7. Et semel tantum Prætor, nec iterum, ac ne ipsi argentario quidem, nisi ex causa. d.l.6.§.ult. cum l.seq. & ibi facienda, ubi quis argentariam exercuit, sumptibus tamen petentis.

Quomodo rationes eduntur?

Has edunt argentarii, eorumq; heredes ex edicto. l.4.& seq. iis eorumq; heredibus ad quos eæ res pertinent. d.ll. quo nempe, vel cujus procuratore, filiofam. servo, mandante sunt tractata. d.l.6.l.9. in fin. Æquitas hoc dictat. Cùm argentarii singulorum rationes, qui cum illis contrahunt conficiant, data & accepta, ut fit in præsenti pecuniæ merciumq; traditione, credita obligatáque consignent, & in codices rationum suarum gesta redigant: æquum est, ut quod alicujus causa confectum est, id veluti ipsius instrumentum ipsi quoque edatur, d.l. 4. præsertim quando eorum officium publicum est. l. 10. eod. & principalis opera, ut actus sui rationes conficiant, d.l.10. quarum probatio scriptura, codicibusq; eorum continetur, ad quorum fidem sæpe confugimus. l.9. §. pen. In eadem causa sunt numularii, rationales publici, campsores, notarii, & eorum successores. [Rationem esse Labeo ait, ultrò citróque dandi, accipiendi, credendi, obligandi, solvendi sui causa obligationem. l.6.§. rationem 6. eod. 1. scripturam, librum, registra, datorum, acceptorum, negotiationum omnium]

Quid juris in actis publicis?

Horum usus communis est, non tantum iis, quorum causa conscripta, sed omnibus quorum interest, ex officio judicis edenda sunt. l. 2. ubi Ias. n. 1. 2. 3. & Dd. maximè quæ in judicio producuntur. l.1.§. 1. 2. eod.

Quid de privatis rationibus, actis, & instrumentis?

Nemo, ac ne mercator quidem (nisi ipsus iis utatur) edere cuiquam cogitur, l. antepenult. ad exhib. Aug. & Alex. in l. argentarius. præterquam ratione dominii. l.4.6.9. vel societatis. d.l.9. vel in causis Fisci. l.2. §. de jur. fisc. & aliis favorabilibus. Ias. & Dd. in l.1. Iniquum enim esset privatos homines ad denudandas rationes facultatum suarum, invitos compelli. l. antepen. ad exhib.

Dic summatim quæ hoc titulo traduntur?

In jus vocare est experiundi juris causa vocare. Hodie citare dicunt, unde

unde citatio, quæ est actus judicialis, quo is, quem judicio sisti opus est, mandato judicis in judicium vocatur, juris experiundi causa: est & esse debet sua natura peremptoria, legitima, non obscura, non nimis arcta. partes habet tres: 1. Commissionem judicis. 2. Executionē seu intimationem citationis. 3. Relationem executionis, quæ ad acta referri per nuncium, & relata à Notario seu Secretario registrari debet. Species sunt Alia Civilis, alia Prætoria, alia legis, alia hominis, alia Universalis, alia Generalis, alia particularis, & ad singulos actus: alia Legitima seu Ordinaria, Anomala seu Extraordinaria, quæ fit in casu necessitatis contra morem & regulas usitatas, ut sunt attestationes: Realis seu Personalis, & Verbalis: illa quando persona vel res apprehenduntur & arrestantur. & Regulariter in Criminalibus, Irregulariter in Civilibus. Verbalis, quæ verbis, literis, per apparitorem vel denunciationem: Alia Conuentionalis, alia monitoria, alia Peremptoria, ad quam tandem præmissis duabus pervenitur. Aliquandò citiùs pro judicis arbitratu, olim causâ cadebant vocati nisi parerent. Actoris ob contumaciam, circumducto edicto, reus ab instantia absolvitur, nec cogitur posteà respondere nisi refusis impensis ex priore citatione & frustratione factis. Originem & causam trahit à natura, cùm defensionis sit species. Iudicis competentis oportet præceptum præcedere aut Universale, aut Generale, aut Particulare, summariâ habitâ super petitione cognitione, utrum justa, an injusta sit. Vnde apparet, apparitori non licere suo arbitratu citare, quòd exequendi tantùm, non cognoscendi potestatem habeat. Citari omnes debent, quorum interest. Quidam tamen citari nequeunt vel propter prohibitionem legis; vel non aliter quàm specialiter veniâ à Prætore impetratâ. In omnibus causis fiunt citationes, quæ causæ cognitionem desiderant. Et debet institui secundum statuta cujusque loci; si hæc non fuerint peculiaria, servanda est forma juris communis, & dirigatur ad personam si haberi possit, aut uxorem & familiam, nempè ad domum, vel si ipsorum non possit haberi copia, affixâ publicè scripturâ, eò loci, unde verisimiliter ejus notitiæ insinuari possit. Quæ scriptura sex continebit: 1. Nomen Iudicis. 2. Civitatis. 3. Citati. 4. Ad cujus instantiam citatur. 5. Causam ob quam. 6. Locum & tempus seu testimonium, in quo comparere debebit. Si Iudex Delegatus citaverit, debet solenne mandatum suæ commissionis inserere. Sed generaliter citationes fiunt ad totam causam etiam per modum præcepti & conditionis: uti, si vis opponere venias. In citanda universitate non

sufficit

LIBER SECUNDUS CODICIS,

De ordine & dispositione libri secundi.

Dispositio libri secundi continentis tit. 59.

PRivata singulorum causa nunc succedit, quæ vel controversiæ finiendæ modum continet, vel actuũ humanorum rationem. In controversiæ finitione & præparatio, et ipsa judicii ratio cõsideratur. Præparatio ut actio edatur 1. de edend. & adversarius in jus vocetur. 2. de in jus vocan. tentata via an amicè componi possit, vel non possit. Possit vel gratis, ut in pactis. 3 de pact. vel aliquo dato vel accepto, ut in transactionibus. 4. de transacti. salvo eo quod errore calculi est commissum. 5. de errore cal. Si non potest conciliatio fieri perpendendum est vel postulationis, vel restitutionis auxilium. Postulationis ut per alium petamus quod nobis abest. 6. de postul. tum ut consilio nos adjuvet, tum ut negotia curet. Consilio nos adjuvant advocati. 7. de Advoc. divers. judic. vel à nobis conducti, vel dati à judice, tum ad privatorum. 8. de Advoc. divers. judic. tum ad fisci causas agendas. 9. de Advoc. fisc. quorum tamen vitia clientibus non imputantur, sive error eorum, sive culpa arguitur. Error absentibus litigatoribus non nocet. sed præsentibus & non contradicentibus utiq; nocet. 10. de erro. Advoc. Culpa, vel omissione necessariorum, quæ judex supplere debet. 11. ut quæ Advoc. vel crimine quodam contracto, ex quo redundet infamia, quæ repellit advocatum, exceptis certarum personarum causis. 12. ex quibus caus. Negotia nostra curat quis vel ex mandato, vel sine mandato. Ex mandato agit procurator. 13. de procur. & is aut est æqualis adversario,

aut est potentior. Æqualis rectè causam nostram agit: potentior non item. 14. Ne lic. potent. sive alius quicunque, sive fiscus fuerit. Alius quicunque, ut nec ejus titulos rebus nostris imponere liceat. 15. de his qui potent. Titulos, inquam, seu signa, vel potentiorum, vel etiam nostra propria. Potentiorum puta Principis, & qui secundum eum sunt. 16. ut nem. privat. Nostra propria signa imponere non debemus, rebus ab alio possessis, absque judicis auctoritate. 17. ut nem. lic. sin. iud. auct. Fiscus etiam procurationem rei alienæ, in perniciem privatorum suscipere non debet. 18. Ne Fisc. vel Resp. Sine mandato qui negotia nostra curat, dicitur Negotiorum gestor. 19. de negot. gest. Vidimus de auxilio postulationis. Restitutionis porrò auxilium læsis indulgetur: sed hic consideramus & modum læsionis & quantitatem personarum. Modus læsionis est, quod fiat vel metu interveniente. 20. De his quæ vi met. caus. vel dolo. 21. De dol. Qualitas personarum quatenus vel minoribus, vel maioribus restitutio detur. Minoribus. 22. De in integ. rest. consideratio, tum quomodo prosit, tum quomodo detur. Prodest ijs solis: nec enim patri filijsfam. 23. De filiosfam. aut fidejussoribus Minorum. 24. de fidejuss. aut Tutori aut Curatori pupilli. 25. Si tut. vel cur. aut fratri fratris consortis restitutio quidquam prodest. 26. Si in com. ead. Quomodo detur. nunc videndum, et quidem sicut et causa restitutionis et ratio auxilii constet. Causa restitutionis et quatenus ea necessaria est, vel non necessaria. Necessaria sive in judicio, sive extra judiciũ damnũ contigerit. In judicio si adversus minores judicatũ fuerit. 27. Si advers. rem jud. Extra judiciũ tum venditione, tum alia distractione. Venditione tum simplici. 28. Si advers. vend. tum pignorũ. 29. Si adv. pig. Alia distractione tum patrimonij diminutione, tum facti redargutione. Patrimonij diminutione vel liberalitate, vel remissione facta. Liberalitate, vel per donationẽ. 30. Si advers. donat. vel per libertatis dationem, 31. Si advers. lib. Remissione, vel per transactionem. 32. Si advers. trans. vel per solutionem indebiti. 33. Si advers. solut. Facti redargutione, tum scienter contracti, tum ignoranter. Scienter, veluti si dotem ultra vires patrimonii constituat. 34. Si advers. dot. Ignoranter tum delinquendo, tum negligendo. Delinquendo, per ætatis lubricum. 35. Si advers. delict. Negligendo, tum rem amittendo, tum omittendo. Amittendo, tum per usucapionem. 36. Si advers. usucap. vel per contractum cum fisco. 37. Si advers. fisc. itemq; si inutiliter sibi pecunia credita fuerit, ut adversus creditorem restitutio detur. 38. Si

advers.

adverſ. cred. Omittendo, vel quod damno acquiſivit hereditatem, ut abſtinendi cauſa detur reſtitutio. 39. Si min. ab hered. vel non acquiſivit, ut tempora omiſſa non noceant. 40. Si ut omiſſ. Non eſt autem neceſſaria reſtitutio, quando ipſo jure muniti ſunt minores. 41. in quib. cauſ. in integ. ut nihil adverſus eorum commoda factum valeat. Adhuc de cauſa reſtitutionis in perſona minorum. Sequitur ratio auxilii, quæ eſt, ut & ipſa qualitas reſtitutionis & petitio conſideretur. Qualitas, ne reſtitutio facilè admittatur, tum aliàs, tum quod ſeipſum minor impedivit. Aliàs, ſi nempe pudor parentum, vel patronorum prægravetur. 42. Qui & ad quos. Impedit ſeipſum Minor vel ſuo facto, vel voluntate. Facto, tum prætextu falſo, tum privilegij impetratione. Prætextu falſo, ſi ſe majorem dixerit, & ita alium deceperit. 43. Si minor ſe major. Privilegii impetratione, ſi vel reſtitutionem ſæpius poſtulaverit. 44. ſi ſæp. in integ. vel veniam ætatis impetraverit. 45. de his qui ven. æt. imp. Voluntate, ſi major factus ratum habeat, quod anteà geſtum eſt. 46. Si major fact. rat. hab. Petitio porrò reſtitutionis fit, habita ratione, tum perſonæ, tum auctoritatis reſtitutionis. Perſonæ, tum apud quem, tum per quem reſtitutio poſtuletur. Apud quem Magiſtratum ſcilicet, vel ordinarium, vel judicem datum. 47. Vbi & apud quem. Vt & dolus minoris reputetur. 48. de reputat. Per quem etiam per procuratorem reſtitutionem peti poſſe conſtat. 49. Etiam per procurat. Auctoritas reſtitutionis eſt, ne poſtulata in integrum reſtitutione, aliquid novi fiat. 50. in integ. reſtit. Et tantum de reſtitutione Minorum. In reſtitutione Majorum quædam vel ſingulariter, vel communiter conſideramus. Singulariter, quatenus & militibus Reipubl. cauſa abſentibus. 51. de reſtitut. & uxoribus eorum læſis detur reſtitutio. 52. de uxor. milit. Communiter, quatenus vel tempora conſiderentur, vel aliis majoribus quàm militibus reſtitutio indulgeatur. Tempora pro qualitate perſonarum diverſa ſunt, intra quæ reſtitutio dari ſolet. 53. De Temporibus. Majoribus datur reſtitutio læſis, tum ex abſentia Reipubl. cauſa. 54. Quib. ex cauſ. major. tum aliunde, puta, ſi judicii mutandi cauſa alienatio facta fuerit. 55. de alienat. jud. Et tantum de præparatione judicij. Ipſa porrò judicii ratio conſideranda ſuccedit in certa judicum finitione, quæ fit aut cùm minus plena cognitione, aut plenâ. Minus plena cauſæ cognitione arbitri recepti jus dicunt. 56. arbit. In plena autem cauſæ cognitione & confirmatoria judicii, & ipſum judicium conſideramus. Confirmatoria judicii

vel ad ipsam causam, vel ad veritatem respiciunt. Ad ipsam causam pertinere videtur satisdatio, iudicatum solvi. Rem ratam haberi, quæ hodie necessaria non est. 57. De satisdand. Quemadmodum non refert, an solenni formula actio proponatur. 58 De formul. & impetrat. Ad rei veritatẽ spectat juramentum de calumnia vitanda, aut ut ejus nomine decima pars litis inferatur. 59. de jure. Hæc ex D. Sturcio.

Quomodo hic liber cum superiore conjungitur?

IMPERATOR *initio primi libri tradidit divina, quibus & religio continetur: Deinde sacra humana, quibus omnes partes sacratissimarum legum exponuntur: Addidit & Magistratus earundem executores. Nunc ordine recto post Leges & Magistratus, judiciorum præparatoria declarat, quibus cives instructi, cautiùs prudentiúsque aleam judiciorum subeant, & tum judices citiùs & faciliùs judicia expediant. Continet hic liber 59. titulos.*

TITULUS PRIMUS

De Edendo, Const. 8. cum unic. Authen.

Quæ continuatio?

1. *Cùm adversarium obstrictum tibi dicas, necesse est jus tuum quo debitum in judicio persequi velis, speciemq; litis futuræ demonstres, ut intelligat, utrum cedere illi, an contendere expediat: & si litigandum existimet, jam instructus veniat, actione nempe perspectâ, quâ adversus illum experiaris, atque hinc titulus,* De edendo.

Quid est edere?

Quod Terentius elegantibus expressit versiculis:

Quid ? si ego illam tibi nolo vendere
Coges me? A Es. minimè. S. namque id metui.
A Es. neque venundam censeo.
Quæ libera est. Nam ego illã liberali adsero causa manu
Nunc vide, utrum vis argentum accipere, an causam meditari tuam.
Delibera hoc, dum ego redeo leno.

Viq;

Vtq; editio alia sit libelli, alia instrumentorum, alia rationum, alia actorum.

Quæ libelli editio?

Fuerunt quinque rationes actionum edendarum diversæ:

1. Si quis diceret, quâ actione agere vellet.

2. Se ejus quam allegabat, actionis describendæ actor faceret copiam reo.

3. Si actor suam intentionem in libello complexus, & eam sic offerret adversario.

4. Si ex libello eam adversario dictaret.

5. Si adversarium suum actor ad album (in quo edicta erant) produceret demonstraretq; quâ uti vellet.

Quomodo editiones fiunt instrumentorum?

Sine die & consule, ne ansa detur fabricandi falsi posterioris instrumenti, quod priori fidem deroget. fac. l. pacta. 12. ȷ. de pact. & edi possunt exempla sine subscriptione edentis. l. antepen. h. t. Diem autem & Cos. intelligit Prætor, quo instrumentum conscriptum, non in quem solutio confertur. Quia dies solutionis summa pars scriptionis est. l. 1. vers. editiones. π. eod. Pro ratione enim termini hujus intendi, vel minui pretia rerum solent. l. 5. sterilis. §. si tibi de act. empt. Nec cùm dies desit, tota scriptio edita videbitur. l. 1. vers. diem. Et hæc ita se habent, quando ad instruendum judicem vel reum, super judicio editio fit.

Quid si autem lite contestatâ ad finem probationis editio conferatur, quid juris?

Tunc rationum, actorumq; exhibitio, tempus & diem habere debet. Gloss. & Bald. in l. 1. Alex. & Dd. in l 2. sine quo scriptura nihil probat. l. 3. ȷ. de divers. respect. & Authentica scriptura requiritur. Authen. si quis in aliquo. 5. l. 2. de fid. inst. cùm exemplis non creditur. d. l. 2. Ias. Barth. Curt. in l. Admonendi. de jurejur.

At quando editio facienda?

Eorum, quæ ad fundandam intentionem libello inseruntur, statim. l. 1. §. quæ ad probationem, post litem contestatam, vel alio quocunque. Barth. d. l. 1. §. edenda nu. 7. Et semel tantùm Prætor, nec iterum, ac ne ipsi argentario quidem, nisi ex causa. d. l. 6. §. ult.

cum l. seq. & ibi facienda, ubi quis argentariam exercuit, sumptibus tamen petentis.

Quomodo rationes eduntur?

Has edunt argentarii, eorumq́ꝫ heredes ex edicto. l. 4. & seq. iis eorumq́ꝫ heredibus ad quos ex res pertinent. d. ll. quo nempe, vel cujus procuratore, filiofamil. servo, mandante sunt tractata. d. l. 6. l. 9. in fin. Æquitas hoc dictat. Cùm argentarij singulorum rationes, qui cum illis contrahunt conficiant, data & accepta, ut fit in præsenti pecuniæ merciúmque traditione, credita obligatáque consignent, & in codices rationum suarum gesta redigant: Æquum est, ut quod alicujus causa confectum est, id veluti ipsius instrumentum ipsi quoque edatur. d. l 4 præsertim quando eorum officium publicum est. l. 10. eod. & principalis opera, ut actus sui rationes conficiant. d. l. 10. quarum probatio scriptura, codicibusq́ꝫ eorum continetur, ad quorum fidem sæpè confugimus. l. 9. §. pen. In eadem causa sunt numularii, rationales publici, campsores, notarii, & eorum successores. [Rationem esse Labeo ait, ultrò citróque dandi, accipiendi, credendi, obligandi, solvendi sui causa obligationem. l. 6. §. rationem. 6 eod. i. scripturam, librum, registra, datorum, acceptorum, negotiationum omnium.]

Quid juris in actis publicis?

Horum usus communis est, non tantum iis, quorum causa conscripta, sed omnibus quorum interest, ex officio judicis edenda sunt. l. 2. ubi Ias. n. 1. 2. 3. & Dd. maximè quæ in judicio producuntur. l. 1. §. 1. 2. eod.

Quid de privatis rationibus, actis, & instrumentis?

Nemo, ac ne mercator quidem (nisi ipsus iis utatur) edere cuiquam cogitur. l. antepenult. ad exhib. Aug. & Alex. in l. argentarius, præterquam ratione dominii. l. 4. 6. 9. vel societatis. d. l. 9. vel in causis Fisci l. 2. §. de jur. Fisc. & aliis favorabilibus. Ias. & Dd. in l. 2. Iniquum enim esset, privatos homines ad denudandas rationes facultatum suarum, invitos compelli l. antepenult. ad exhib.

De

De in jus vocando, tit. 2.

Quæ Continuatio?

2. *Siquidem jure cognito, tibi cedere & satisfacere nolit, Deo & Magistratui obsecundas vocans illū ad eum, qui jus dicit, ut coram ipso, qui Dei mandato gladium adversus contumaces gestat, de jure tuo disceptes: Vnde titulus,* De in jus vocando.

Dic summatim quæ hoc titulo traduntur?

In jus vocare, est experiundi juris causa vocare. Hodie citare dicunt. unde citatio, quæ est actus judicialis, quo is, quem judicio sisti opus est, mandato judicis in judicium vocatur, juris experiundi causa: est & esse debet sua natura peremptoria, legitima, non obscura, non nimis arcta. Partes habet tres: 1. Commissionem judicis. 2. Exceptionem seu intimationem citationis. 3. Relationem executionis, quæ ad acta referri per nuncium, & relata à Notario seu Secretario registrari debet. Species sunt alia Civilis, alia Prætoria, alia legis, alia hominis. alia Vniversalis, alia Generalis, alia particularis, & ad singulos actus: alia Legitima seu Ordinaria, Anomala seu Extraordinaria, quæ fit in casu necessitatis contra morem & regulas usitatas, ut sunt attestationes: Realis seu Personalis, & Verbalis: illa quando persona vel res apprehenduntur & arrestantur, & regulariter in Criminalibus, Irregulariter in Civilibus. Verbalis quæ verbis, literis, per apparitorem vel denunciationem: Alia Conventionalis, alia Monitoria, alia Peremptoria, ad quam tandem præmissis duabus pervenitur. Aliquandò citiùs pro judicis arbitratu, olim causâ cadebant vocati nisi parerent. Actoris ob contumaciam, circumducto edicto, reus ab instantia absolvitur, nec cogitur postea respondere nisi refusis impensis ex priore citatione & frustratione factis. Originem & causam trahit à natura, cùm defensionis sit species. Iudicis competentis oportet præceptum præcedere aut Vniversale, aut Generale, aut Particulare, summariâ habitâ super petitione cognitione, utrum justa, an injusta sit. Vnde apparet, apparitori non licere suo arbitratu citare, quòd exequendi tantùm, non cognoscendi potestatem habeat. Citari omnes debent, quorum interest. Quidam tamen citari nequeunt vel propter prohibitionem legis; vel non aliter quàm specialiter veniâ à Prætore impetratâ. In omnibus causis fiunt citationes, quæ causæ cognitionem desi-

derant. Et debet institui secundum statuta cujusque loci; si hæc non fuerint peculiaria, servanda est forma juris communis, & dirigatur ad personam si haberi possit, aut uxorem aut familiam, nempè ad domum, vel si ipsorum non possit haberi copia, affixâ publicè scripturâ, eò loci, unde verisimiliter ejus notitia insinuari possit. Quæ scriptura sex continebit: 1. Nomen Iudicis. 2. Civitatis. 3. Citati. 4. Ad cujus instantiam citatur. 5. Causam ob quam. 6. Locum & tempus, in quo comparere debebit. Si Iudex Delegatus citaverit, debet solenne mandatum suæ commissionis inserere: Sed generaliter citationes fiunt ad totam causam, etiam per modum præcepti & conditionis, uti, si vis opponere, venias. In citanda universitate non sufficit vocari Syndicum, sed debent vocari qui præsunt. In omnibus receptum est, ut ad acta scribatur commissio judicis nuncio facta: deinde post citationem factam, nuncij relatio. Citatio (inquit Bald.) ad duo fit: nempe ad effectum comparitionis, & præparandæ defensionis. Estq; omnium judiciorum fundamentum & principium, sine qua actus judicialis est nullus. Citatus debet credere nuncio, & vocanti parere: alioqui pro præsente habetur, & adversus contumacem proceditur. Olim ultima citatio peremptoria dicebatur, quòd ejus qui peremptorio edicto non obsecundasset, jus omne perimeret. Citatio inducit præventionem: perpetuat jurisdictionem: inducit litis pendentiam: interrumpit longissimi temporis præscriptionem, non brevioris: interdum etiam perpetuat actionem: suspendit judicis potestatem per intervallum termino datum. Contraria sunt, si quis citetur ab eo, qui jus citandi non habet: si vocetur, qui vocari non debuit: si ad diem feriatum, tum proxima die juridica comparere tenetur: ad locum inhonestum, aut non tutum: aut terminum nimis arctum: vel si nimis tardè insinuetur, ut inutilis futura sit.

De pactis, tit. 3.

Quæ Continuatio?

3. *Quod si jam editâ actione, & tui juris æquitate cognita, bonam fidem agnoscens ad pacta confugiat, quibus controversiam alioquin in litem desituram, cum illo componas, quod privatim vobis & publicè utilius est; hinc nobis titulus,* De Pactis.

Aliter.

Quando reus, qui vocatus est in judicium, pactus est, vel transegit,

egit, objiciens exceptionem pacti vel transactionis, quæ privilegiata est, quæ tum quoque impedit litis ingressum, quando intra spacium à judice statuendum, probari potest.

Quid est pactum?

Est duorum pluriumq; in idem placitum consensus, nullam causam quàm nudam conventionem habens, atque ideo non gignit obligationem, sed tantùm exceptionem. l. 7. & passim. de pact.

Quomodò dividitur?

Aut publicum est, aut privatum, aut jurisgentium, aut legitimum. l. 5. 6. 7. Privatum aut nominatum aut innominatum. d. l. 7. hoc aut secundum, aut præter, aut contra legem. d. l. 6. ubi gloss. d. l. 7. §. 3. Nominata in contractus speciem abeunt, quibus adjunguntur pacta in contractibus eisdem conventa, quæ illos informant. l. 13. 27. h. t. Innominata, aut in civile negotium & contractum quendam innominatum respectivum transeunt, unde obligatio, & cum actio ad implendum, tum condictio ad rescindendum pactum, datur. h. t. de præs. verb. quò pertinent etiam pacta conventa in traditionibus, ac alijs civilibus negotijs. l. in tradit. 48. eod. l. 10. h. t. De quibus accipiendum hoc edictum: PACTA CONVENTA QUÆ NON SUNT CONTRA LEGES, SERVABO. *d. l. 7. §. 17. Sunt item expressa, aut Tacita, Personalia, aut Realia: Extrajudicialia, Iudicialia: Obligatoria, Liberatoria.*

Quomodò pacta informant contractum?

Vt ex contractu præstetur, vel non præstetur id, quod aliàs ex natura contractus, vel non præstandum vel præstandum fuerat. d. l. 7. §. Quinimò. l. Nec ex prætorio. 27. de R. I. Vnde quædam Adjacentia, quædam Detrahentia sunt.

Quæ sunt Adjacentia?

In quibus agitur de adminiculis contractus, salua interim ejus substantia, ut si post emptionem conveniat, ne emptionis nomine cautio duplæ præstetur.

Estne idem interdum pactum & contractus?

Quid ni? pactum proficit ad contractum. l. 27. §. idem dicimus. eod. Pactum arrale, quod datione arrarum sumpsit effectum, & pactum & contractus est. Ideòque ex eo datur actio personalis, non realis, sicut ex venditione. l. 1. & 3. C. de act. empt. & ita pactum

divisionis, aut permutationis, aut dotis, quod traditionis sumpsit effectum, vel stipulatione & pactum & contractus est. l. divisionis. eod. l. 3. C. de rer. per. l. 1. C. de pact. convent. Nec tamen ideò minus dicitur nudum.

Quomodo nudum?

Est certè nudum (autore Cujacio) si per se solum spectetur: & generaliter omne pactum est nudum, etiam legitimum. Nec moveri debemus. l. ult. C. de R. P. l. 1. C. de P. C. l. legem. C. de P. quarum hæc est sententia. Rebus certa lege datis, ex ea lege actionem dari. Atquin ex pacto non datur actio. Hoc ita procedit, si conventio pacti tantùm nomine censeatur. Hæc conventio datæ rei lege certa. Quia datione sumpsit effectum, non pacti solum nomine censetur, sed & contractus, vel contractus potiùs est, cui inest pactum, nihil enim refert præcedat, an sequatur pactum. Hæc Cujac. lib. obs. 11. c. 17.

Oritúrne hodie actio ex pacto?

Iure Pontificio nasci actionem, nemo ferè dubitat: communis etiam opinio est, & ita usus observat, ut indistinctè ex pactis Nudis seriò & deliberatè initis, atque adeò in foro civili, hodie detur actio. Bald. & Sal. in l. petens. C. eod. Iason qui dicit communem esse. l. 7 §. sed cùm nulla. h. t. nu. 4. Nam hujusmodi pacta, cùm obligent naturaliter, & ex æquo & bono. l. 1. de P. l. 1. de C. P. sequitur eum qui pacta non servat, contra naturam, conscientiam, atque contra officium boni viri facere, ac peccare (ut volunt Canonistæ) mortaliter: gloss. in c. 1. de P. & certè D. Paul. ad Rom. 1. 31. ἀσυνθέτους, hoc est, eos qui pacta non servant, in illis numerat, qui capitaliter delinquunt. V. VVes. in parat.

Quænam igitur actio existit?

Consentaneum est, ex pacto non actionem præscriptis (nisi quando res intervenit) sed Condictionem ex Lege vel potiùs ex Canone nasci: sicut ea dari solet ex omnibus contractibus, qui nova aliqua lege aut canone vim adipiscuntur. l. unic. ubi Bart. de C. ex l. cujusmodi sunt donatio. L. si quis argentum. 35. §. penult. ubi Barth. Bal. & communiter. Dd. ubi Bal. & Sal. C. de donat. contractus emphyteuticus, feudalis & consimiles. Dd. in d. l. unic.

De

De transactionibus. tit. 4.

Quæ Continuatio?

Si tibi propter tam dubium litis eventum, & incertitudinem ejusdem maluerint aliquid offerre, reputans dimidium plus toto, quàm vexari & sumptibus exhauriri, & fortè id tibi quoque magis expediat, ut aliquid potiùs quàm omninò nihil auferas, & non simul sortem (ut dicitur) cum usuris perdas, transactione ut possis, itaq; serviet tibi titulus, De Transactionibus.

Quomodo differunt Pactum & Transactio?

1. *Causâ efficiente. l. 16. hic.*

2. *Materiâ, fit de re incerta & litigiosa. l. 2. 32. ibid. pactum de certa.*

3. *Formâ. Pactum constat nuda conventione, transactio rebus, hoc est, rei transactione, finitione, c. 1. de lit. contest. in. 6. l. 10. h. t. ac contrariâ mutuáque præstatione. l. 38. h. t. & plerunque etiam Aquiliana stipulatione. l. 3. 4, h. t. & l. 4. eod.*

4. *Fine, Pactum non est respectivum, nec ullam habet nisi donationis causam. l. 1. eod. Transactionis verò finis ultimus est, ut lis sopiatur, medius ut pro remissione litis aliquid vicissim detur, vel fiat. d. l. 38.*

5. *Effectu. Illud tantùm ex æquitate conventionis exceptionem parit. l. 1, l. 7. eod. Hæc verò non solum exceptionem suppeditat. l. 1. 7. 19. verùm etiam non minorem vim habet, quàm res judicata, l. 10. h. t. ideóque pœnitentiam excludit. l. 5. 10. 16. 25. 34. & actionem parit, vel ex stipulatu, l. 6. 17. h. t. aut Aquilianæ stipulationis. l. 3. 4. 15. vel ubi hæc deest. præscriptis verbis.*

De quibus non potest transigi?

Cùm contrariorum eadem sit disciplina, perstringemus ea de quibus transigi non potest.

1. *Vt de re judicata quia finita est. l. 32. h. t. l. 11. eod.*

2. *De re certa, nisi timore & odio litis. l. 2. h. t.*

3. *De controversiis ex testamento, quia sunt captiosæ & improbæ. l. 5. eod.*

4. *De alimentis potissimùm futuris, nisi prætore auctore, & cum causæ cognitione. l. 8. eod.*

5.

5. De adulterio, ne hujusmodi conventio, qua aliena matrimonia redimuntur, in lenocinium incidat. l. 2. 8. 29. π. de adult. l. 20. inf. eod. quod l. Iulia prohibitum fuit, eoq; contra leges transigere nullius est momenti. Extra pactum tamen remitti, & pro derelicto haberi hac accusatio necdum instituta, potest. l. 1. ꝺ. ut nem. invitus agere vel accus. Quod quidem non de publico (quod privatorum pactis non mutatur. l. 28. de pact.) sed de privata injuria, factoq; ejus, qui vel agere, vel criminaliter accusare potest. l. penult. h. t.

Sed cur falsi accusatio in l. 18. excipitur, ut super ea transigi possit?

Id causa videtur esse: quia licet falso, certa pœna scilicet deportationis prastituta sit. l. 1. § fin. de fal. tamen posterioribus temporibus arbitraria esse cœpit. l. qui duobus. 21. l. pen. de fals. l. majorem. 4. ꝺ. de fals. ita quidem ut ad mortem & pœnam gladii perveniri possit. l. ult. ꝺ. in fin. de fals. Quare cùm possit hac causa esse sanguinis, ob incertum eventum quem litigatores jure pertimescunt, transactio in falso, ut in reliquis causis capitalibus permittitur. Licet Alciatus in d. l. illa verba aliter accipiat.

Quomodo ille ea interpretatur?

Ita quasi velit Imperator de criminibus transigi non posse, quin in falsi accusationem transigentes incidant: quam interpretationem etsi refutant quidam. Conn. lib. 5. h. t. Cujac. lib. 6. c. 11. quod nusquam legatur ejusmodi species. l. Cornelia vindicata: tamen L. Cornelia non modò in Falso, sed etiam Quasi falso locum habet. l. 1. §. fin. de fals. haud scio, an defendi rectè hac sententia (inquit VVes.) non possit. Nam & actor transigens, non multum abest ab eo, qui ob denunciandum & non denunciandum testimonium, aut judicium, pecuniam accipit. d. l. 1. §. 1. & reus accusatorem precio corrumpens, parum ab illo, qui judicem corrumpit, distare videtur. d. § 1. l. 21. de fals. Hi porrò, quia accusatione falsi teneantur, dubium non est.

De errore Calculi, tit. 5. con. unic.

Quæ Continuatio?

5. Rata

Rata quidem & firma sunt pacta & transacta, nisi error calculi intervenerit, ideò hic de Errore calculi, *quandò præjudicet, vel non præjudicet, subjicitur.*

Quid est Calculus?

Variè usurpatur, ut nunc accipiatur pro morbo, qui valdè Eras. adflixit. Nunc pro brevi & polito lapillo, terra admisto, ita dicto, quòd ob parvitatem sine molestia calcetur, pro puncto, voto, suffragio, & comprobatione, Vnde illud addere calculum: item accedat hic calculus: item calculo mordere; aliàs pro sententia & tabulis judicis. hinc calculi dicuntur æquari, æquales calculi. Calculis seu lapillis antiquitus judices ferebant sententias. Albis absolvebãt, Nigris condẽnabant. Quo videtur referendum illud Xenophontis, Σὺν τῷ νόμῳ ἐκέλευε δεῖν τὸν δικαστὴν τὴν ψῆφον τιθέναι. τὸ γὰρ νόμιμον δίκαιον εἶναι. *Id est, Iuxta leges monebat à judice calculum esse ferendum. Nam quod cum legibus congruat, id justum esse. Quò pertinet adagium. Calculum reducere, id est, sententiam mutare, item calculum porrigere, id est, censendi facere potestatem, cùm processus in eo statu est, ut judicari possit. Denique calculum intelligimus minimam partem ponderis, quæ continet duo grana, & computationem, ratiocinium, rationum positionem: ideo dicimus calculum acceptorum & datorum ponere, culpam purgare administrationis & præstare: reliqua facere & dissolvere. Inde calculator, calculo, calculatio, quòd calculos manu tenentes numeros componamus. De eo hic agitur.*

Quotuplices sunt rationes & calculi, circa quos error committitur?

Sunt aut militares, aut civiles: aut publicæ aut privatæ. Nam ab omnibus gestoribus exigitur ratio, alienæ rei, seu publica, seu privata, & exigi potest, aut jure obligationis & actionis ex contractibus, vel quasi, aut extra hos, officio judicis implorato, ex æquitate. VVesemb. hic cum alleg. Dd.

Quomodo reddenda ratio?

Ex bona fide. l. 2. §. de administrat. arbitrio boni viri. l. si purè. 37. verb. arbitrium. de fideicõmiss. liber, absque dolo. Legaliter, non (ut loquuntur) sub nube, sed per singulas partes, species & capita, integrè, plenè, apertè, dilucidéque.

Quorsum rationes redduntur?

Vt

Ut examinentur, excutiantur, & dispungantur rationes, reliqua solvantur: administratio distrahatur. Nam calculus ritè redditus, rationem distrahit: ab obligatione liberat, velut transactio, ut in posterum ei negotium fieri, qui semel reddidit, non debeat, nisi quatenus error calculi arguatur. Qui potest argui post approbatam rationem, ad triginta usque annos, nisi super ipso errore fuerit transactum, vel de rationibus judicatum, aut denique juratum. VVes. hic.

Requiritúrne, ut retractetur læsio ultra dimidiam, quemadmodum in rescind. vend. secundum l. 2. j. de rescind. vend.

Nequaquam, quoniam quantùmvis res sit minima, sufficit ut revocetur calculus, etiam inter mercatores, & numerandi peritissimos: nisi judicatum & transactum fuerit, Molin. de usur. q. 14. nu. 182. Roll. à Vall. 1. cons. 49. n. 46. alias statur calculo, nisi de errore probetur. Ferrar. in for. Ut pact. serv. 36. ibi discussis. 2. nu. 4. hæc doct. Goth. Error enim calculi non præjudicat veritati, & emendari error potest, vel condictione indebiti certi, si solutum sit: incerti, si conducatur liberatio, exceptione doli, restitutione in integrum. l. 1. § fin. ex quib. caus. ma.

De Postulando, tit. 6. Const. 8.

Quæ Continuatio?

Si neque sic successerit, & cogaris tandem velis nolis cum tuo adversario in judicio congredi, superest ut eligas advocatum, vel advocatos, qui desiderium tuum judici exponant: ad hunc usum pertinet titulus, De Postulando.

Quid est Postulare?

Est desiderium suum vel amici sui, hoc est, alterius cujus negotium geritur, in jure, (hoc est, in judicio) apud eum qui jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. l. 1. §. 2. eod.

Quis dat petentibus litigatoribus patronos?

Magistratus ordinarius. l. fin. h. t. etiam invitos. l. 7. l. 1. de administ. tut. quia publicum quodammodo munus. l. 2. in verbo postulare ff. de R. I. idq; sumptibus petentis. l. 4. in fin. in verb. tuis sumpt.

Quid

Quid si per tenuitatem, non possint præbere salarium: vel metu, vel ambitione adversarii non possit invenire patronum?

Non tamen debent magistratus pati causam eorum relinqui desertam, sed potiùs sumptum de publico, aut saltem ex ærario eleemosynarum communi, suppeditare. Par. de put. in tract. Synd. ad verb. carcer. Nam est etiam species eleemosynæ, præbere patronos. Ait Prætor. *Si non habebunt advocatum, ego dabo.*

Qui possunt postulare?

Omnes qui non prohibentur. l. 43. de procur. Prohibentur vel Edicto, vel Lege, vel sententiâ judicis.

Qui edicto?

Tres hominum ordines: Primus tam pro se quàm pro aliis postulare vetatur, in quo sunt propter pueritiam minores 17. annor. l. 1. §. initium. eod. Quia moderatam hanc ætatem nactus est, ad procedendum in publicum: qua ætate aut paulò majore fertur Nerua filius et publicè de jure responsitasse; vel ob casum surdi.

Secundo loco excepit Prætor sexum & casum: item personas turpitudine notabiles. Sexum veluti fœminas: ne contra pudicitiam sexui congruentem alienis negotiis se immisceant: neve virilibus officiis fungantur. Origo verò est à Carfania improbissima fœmina, inverecundè postulante & magistratum inquietante. Casum, dum cæcum utrisque luminibus orbatum repellit: videlicet, quod insignia magistratus videre & revereri non possit. Refert etiam Labeo, Publium cæcum Asprenatis filium Nonii patrem, aversa sella à Bruto fuisse destitutum, cùm vellet postulare. Cæcus retinere jam cœptum magistratum potest, ad nonvum adspirare non potest. Extat exemplum Appius Claudius, qui cæcus publicis consiliis intererat, & in Senatu severissimam dixit sententiam de Pyrrhi captivis. d. l. 1. §. 5. Denique removent turpes, ut damnatos de calumnia, publico judicio: damnatos capitali crimine, passos muliebria: & eos qui operas suas ad depugnandum cum bestiis locarunt. d. l. 1. §. removet. 6.

Tertio ordine non in totum prohibentur pro aliis postulare, sed tantũ pro se. et pro certis dũtaxat personis: puta pro parente, fratre, sorore uxore, socero, patrono, patrona: aliisque de quibus in titulo de in jus vocando: pro genero, nuru, vitrico, noverca, privigno, privigna, aliisq; conjunctis

cum l. seq. & ibi facienda, ubi quis argentariam exercuit, sumptibus tamen petentis.

Quomodo rationes eduntur?

Has edunt argentarii, eorumq; heredes ex edicto. l. 4. & seq. iis eorumq; heredibus ad quos ea res pertinent. d. ll. quo nempe, vel cujus procuratore, filiofamil. servo, mandante sunt tractata. d. l. 6. l. 9. in fin. Æquitas hoc dictat. Cùm argentarij singulorum rationes, qui cum illis contrahunt conficiant, data & accepta, ut fit in præsenti pecuniæ merciúmque traditione, credita obligatáque consignent, & in codices rationum suarum gesta redigant: Æquum est, ut quod alicujus causa confectum est, id veluti ipsius instrumentum ipsi quoque edatur. d. l 4 præsertim quando eorum officium publicum est. l. 10. eod. & principalis opera, ut actus sui rationes conficiant. d. l. 10. quarum probatio scriptura, codicibusq; eorum continetur, ad quorum fidem sæpè confugimus. l. 9. §. pen. In eadem causa sunt numularii, rationales publici, campsores, notarii, & eorum successores. [*Rationem esse Labeo ait, ultrò citróque dandi, accipiendi, credendi, obligandi, solvendi sui causa obligationem. l. 6. §. rationem. 6 eod. 1. scripturam, librum, registra, datorum, acceptorum, negotiationum omnium.*]

Quid juris in actis publicis?

Horum usus communis est, non tantum iis, quorum causa conscripta, sed omnibus quorum interest, ex officio judicis edenda sunt. l. 2. ubi Ias. n. 1. 2. 3. & Dd. maximè quæ in judicio producuntur. l. 1. §. 1. 2. eod.

Quid de privatis rationibus, actis, & instrumentis?

Nemo, ac ne mercator quidem (nisi ipsus iis utatur) edere cuiquam cogitur. l. antepenult. ad exhib. Aug. & Alex. in l. argentarius, præterquam ratione dominii. l. 4. 6. 9. vel societatis. d. l. 9. vel in causis Fisci l. 2. §. de jur. Fisc. & aliis favorabilibus. Ias. & Dd. in l. 2. Iniquum enim esset, privatos homines ad denudandas rationes facultatum suarum, invitos compelli l. antepenult. ad exhib.

De

De in jus vocando, tit. 2.

Quæ Continuatio?

2. *Siquidem jure cognito, tibi cedere & satisfacere nolit, Deo & Magistratui obsecundas vocans illũ ad eum, qui jus dicit, ut coram ipso, qui Dei mandato gladium adversus contumaces gestat, de jure tuo disceptes: Unde titulus*, De in jus vocando.

Dic summatim quæ hoc titulo traduntur?

In jus vocare, est experiundi juris causa vocare. Hodie citare dicunt. unde citatio, quæ est actus judicialis, quo is, quem judicio sisti opus est, mandato judicis in judicium vocatur, juris experiundi causa: est & esse debet sua natura peremptoria, legitima, non obscura, non nimis arcta. Partes habet tres: 1. Commissionem judicis. 2. Exceptionem seu intimationem citationis. 3. Relationem executionis, quæ ad acta referri per nuncium, & relata à Notario seu Secretario registrari debet. Species sunt alia Civilis, alia Prætoria, alia legis, alia hominis. alia Universalis, alia Generalis, alia particularis, & ad singulos actus: alia Legitima seu Ordinaria, Anomala seu Extraordinaria, quæ fit in casu necessitatis contra morem & regulas usitatas, ut sunt attestationes: Realis seu Personalis, & Verbalis: illa quando persona vel res apprehenduntur & arrestantur, & regulariter in Criminalibus, Irregulariter in Civilibus. Verbalis quæ verbis, literis, per apparitorem vel denunciationem: Alia Conventionalis, alia Monitoria, alia Peremptoria, ad quam tandem præmissis duabus pervenitur. Aliquandò citiùs pro judicis arbitratu, olim causâ cadebant vocati nisi parerent. Actoris ob contumaciam, circumducto edicto, reus ab instantia absolvitur, nec cogitur posteà respondere nisi refusis impensis ex priore citatione & frustratione factis. Originem & causam trahit à natura, cùm defensionis sit species. Iudicis competentis oportet præceptum præcedere aut Universale, aut Generale, aut Particulare, summariâ habitâ super petitione cognitione, utrum justa, an injusta sit. Vnde apparet, apparitori non licere suo arbitratu citare, quòd exequendi tantùm, non cognoscendi potestatem habeat. Citari omnes debent, quorum interest. Quidam tamen citari nequeunt vel propter prohibitionem legis; vel non aliter quàm specialiter veniâ à Prætore impetratâ. In omnibus causis fiunt citationes, quæ causæ cognitionem desi-

derant. Et debet institui secundum statuta cujusque loci; si hæc non fuerint peculiaria, servanda est forma juris communis, & dirigatur ad personam si haberi possit, aut uxorem aut familiam, nempè ad domum, vel si ipsorum non possit haberi copia, affixâ publicè scripturâ, eò loci, unde verisimiliter ejus notitia insinuari possit. Quæ scriptura sex continebit: 1. Nomen Iudicis. 2. Civitatis. 3. Citati. 4. Ad cujus instantiam citatur. 5. Causam ob quam. 6. Locum & tempus, in quo comparere debebit. Si Iudex Delegatus citaverit, debet solenne mandatum suæ commissionis inserere: Sed generaliter citationes fiunt ad totam causam, etiam per modum præcepti & conditionis, uti, si vis opponere, venias. In citanda universitate non sufficit vocari Syndicum, sed debent vocari qui præsunt. In omnibus receptum est, ut ad acta scribatur commissio judicis nuncio facta: deinde post citationem factam, nuncij relatio. Citatio (inquit Bald.) ad duo fit: nempe ad effectum comparitionis, & præparandæ defensionis. Estq; omnium judiciorum fundamentum & principium, sine qua actus judicialis est nullus. Citatus debet credere nuncio, & vocanti parere: alioqui pro præsente habetur, & adversus contumacem proceditur. Olim ultima citatio peremptoria dicebatur, quòd ejus qui peremptorio edicto non obsecundasset, jus omne perimeret. Citatio inducit præventionem: perpetuat jurisdictionem: inducit litis pendentiam: interrumpit longissimi temporis præscriptionem, non brevioris: interdum etiam perpetuat actionem: suspendit judicis potestatem per intervallum termino datum. Contraria sunt, si quis citetur ab eo, qui jus citandi non habet: si vocetur, qui vocari non debuit: si ad diem feriatum, tum proxima die juridica comparere tenetur: ad locum inhonestum, aut non tutum: aut terminum nimis arctum: vel si nimis tardè insinuetur, ut inutilis futura sit.

De pactis, tit. 3.

Quæ Continuatio?

3. *Quod si jam editâ actione, & tui juris æquitate cognita, bonam fidem agnoscens ad pacta confugiat, quibus controversiam alioquin in litem desituram, cum illo componas, quod privatim vobis & publicè utilius est; hinc nobis titulus,* De Pactis.

Aliter.

Quando reus, qui vocatus est in judicium, pactus est, vel transegit,

egit, objiciens exceptionem pacti vel transactionis, quæ privilegiata est, quæ tum quoque impedit litis ingressum, quando intra spacium à judice statuendum, probari potest.

Quid est pactum?

Est duorum pluriumq́ʒ in idem placitum consensus, nullam causam quàm nudam conventionem habens, atque ideo non gignit obligationem, sed tantùm exceptionem. l. 7. & passim. de pact.

Quomodò dividitur?

Aut publicum est, aut privatum, aut jurisgentium, aut legitimum. l. 5. 6. 7. Privatum aut nominatum aut innominatum. d. l. 7. hoc aut secundum, aut præter, aut contra legem. d. l. 6. ubi gloss. d. l. 7. §. 3. Nominata in contractus speciem abeunt, quibus adjungantur pacta in contractibus eisdem conventa, quæ illos informant. l. 13. 27. h. t. Innominata, aut in civile negotium & contractum quendam innominatum respectivum transeunt, unde obligatio, & cum actio ad implendum, tum condictio ad rescindendum pactum, datur. h. t. de præs. verb. quò pertinent etiam pacta conventa in traditionibus, ac alijs civilibus negotijs. l. in tradit. 48. eod. l. 10. h. t. De quibus accipiendum hoc edictum: PACTA CONVENTA QUÆ NON SUNT CONTRA LEGES, SERVABO. *d. l. 7. §. 17. Sunt item expressa, aut Tacita, Personalia, aut Realia: Extrajudicialia, Iudicialia: Obligatoria, Liberatoria.*

Quomodò pacta informant contractum?

Vt ex contractu præstetur, vel non præstetur id, quod aliàs ex natura contractus, vel non præstandum vel præstandum fuerat. d. l. 7. §. Quinimò. l. Nec ex prætorio. 27. de R. I. Vnde quædam Adjacentia, quædam Detrahentia sunt.

Quæ sunt Adjacentia?

In quibus agitur de adminiculis contractus, salua interim ejus substantia, ut si post emptionem conveniat, ne emptionis nomine cautio duplæ præstetur.

Estne idem interdum pactum & contractus?

Quid ni? pactum proficit ad contractum. l. 27. §. idem dicimus. eod. Pactum arrale, quod datione arrarum sumpsit effectum, & pactum & contractus est. Ideóque ex eo datur actio personalis, non realis, sicut ex venditione. l. 1. & 3. C. de act. empt. & ita pactum

M 5

divisionis, aut permutationis, aut dotis, quod traditionis sumpsit effectum, vel stipulatione & pactum & contractus est. l. divisionis. eod, l.3. C. de rer. per. l. 1. C. de pact. convent. Nec tamen ideò minus dicitur nudum.

Quomodo nudum?

Est certè nudum (autore Cujacio) si per se solum spectetur: & generaliter omne pactum est nudum, etiam legitimum. Nec moveri debemus. l. ult. C. de R.P. l. 1. C. de P.C. l. legem. C. de P. quarum hæc est sententia. Rebus certa lege datis, ex ea lege actionem dari. Atquin ex pacto non datur actio. Hoc ita procedit, si conventio pacti tantùm nomine censeatur. Hæc conventio data rei lege certa. Quia datione sumpsit effectum, non pacti solum nomine censetur, sed & contractus, vel contractus potiùs est, cui inest pactum, nihil enim refert præcedat, an sequatur pactum. Hæc Cujac. lib. obs. 11. c. 17.

Oritúrne hodie actio ex pacto?

Iure Pontificio nasci actionem, nemo ferè dubitat: communis etiam opinio est, & ita usus observat, ut indistinctè ex pactis Nudis seriò & deliberatè initis, atque adeò in foro civili, hodie detur actio. Bald. & Sal. in l. petens. C. eod. Iason qui dicit communem esse, l. 7 §. sed cùm nulla. h. t. nu. 4. Nam hujusmodi pacta, cùm obligent naturaliter, & ex æquo & bono. l. 1. de P. l. 1. de C. P. sequitur eum qui pacta non servat, contra naturam, conscientiam, atque contra officium boni viri facere, ac peccare (ut volunt Canonistæ) mortaliter: gloss. in c. 1. de P. & certè D. Paul. ad Rom. 1. 31. ἀσυνθέτους, *hoc est, eos qui pacta non servant, in illis numerat, qui capitaliter delinquunt. V. VVes. in parat.*

Quænam igitur actio existit?

Consentaneum est, ex pacto non actionem præscriptis (nisi quando res intervenit) sed Condictionem ex Lege. vel potiùs ex Canone nasci: sicut ea dari solet ex omnibus contractibus, qui nova aliqua lege aut canone vim adipiscuntur. l. unic. ubi Bart. de C. ex l. cujusmodi sunt donatio. L. si quis argentum. 35. §. penult. ubi Barth. Bal. & communiter. Dd. ubi Bal. & Sal. C. de donat. contractus emphyteuticus, feudalis & consimiles. Dd. in d. l. unic.

De

De transactionibus. tit. 4.

Quæ Continuatio?

Si tibi propter tam dubium litis eventum, & incertitudinem ejusdem maluerint aliquid offerre, reputans dimidium plus toto, quàm vexari & sumptibus exhauriri, & fortè id tibi quoque magis expediat, ut aliquid potiùs quàm omninò nihil auferas, & non simul sortem (ut dicitur) cum usuris perdas, transactione ut possis, itaq; serviet tibi titulus, De Transactionibus.

Quomodo differunt Pactum & Transactio?

1. *Causâ efficiente. l. 16. hic.*

2. *Materiâ, fit de re incerta & litigiosa. l. 2. 32. ibid. pactum de certa.*

3. *Formâ. Pactum constat nuda conventione, transactio rebus, hoc est, rei transactione, finitione, c. 1. de lit. contest. in 6. l. 10. h. t. ac contrariâ mutuáque præstatione. l. 38. h. t. & plerunque etiam Aquiliana stipulatione. l. 3. 4, h. t. & l. 4. eod.*

4. *Fine, Pactum non est respectivum, nec ullam habet nisi donationis causam. l. 1. eod. Transactionis verò finis ultimus est, ut lis sopiatur, medius ut pro remissione litis aliquid vicissim detur, vel fiat. d. l. 38.*

5. *Effectu. Illud tantùm ex æquitate conventionis exceptionem parit. l. 1, l. 7. eod. Hæc verò non solum exceptionem suppeditat. l. 1. 7. 19. verùm etiam non minorem vim habet, quàm res judicata, l. 10. h. t. ideóque pœnitentiam excludit. l. 5. 10. 16. 25. 34. & actionem parit, vel ex stipulatu, l. 6. 17. h. t. aut Aquilianæ stipulationis. l. 3. 4. 15. vel ubi hæc deest. præscriptis verbis.*

De quibus non potest transigi?

Cùm contrariorum eadem sit disciplina, perstringemus ea de quibus transigi non potest.

1. *Vt de re judicata quia finita est. l. 32. h. t. l. 11. eod.*

2. *De re certa, nisi timore & odio litis. l. 2. h. t.*

3. *De controversiis ex testamento, quia sunt captiosæ & improbæ. l. 5. eod.*

4. *De alimentis potissimùm futuris, nisi prætore auctore, & cum causæ cognitione. l. 8. eod.*

5.

5. De adulterio, ne hujusmodi conventio, qua aliena matrimonia redimuntur, in lenocinium incidat. l. 2. 8. 29. π. de adult. l. 20. inf. eod. quod l. Iulia probibitum fuit, eoq; contra leges transigere nullius est momenti. Extra pactum tamen remitti, & pro derelicto haberi hac accusatio necdum instituta, potest. l. 1. ℑ. ut nem. invitus agere vel accus. Quod quidem non de publico (quod privatorum pactis non mutatur. l. 28. de pact.) sed de privata injuria, factoq; ejus, qui vel agere, vel criminaliter accusare potest. l. penult. h. t.

Sed cur falsi accusatio in l. 18. excipitur, ut super ea transigi possit?

Id causa videtur esse: quia licet falso, certa pœna scilicet deportationis prestituta sit. l. 1. § fin. de fal. tamen posterioribus temporibus arbitraria esse cœpit. l. qui duobus. 21. l. pen. de fals. l. majorem. 4. ℑ. de fals. ita quidem ut ad mortem & pœnam gladii perveniri possit. l. ult. ℑ. in fin. de fals. Quare cùm possit hæc causa esse sanguinis, ob incertum eventum quem litigatores jure pertimescunt, transactio in falso, ut in reliquis causis capitalibus permittitur. Licet Alciatus in d. l. illa verba aliter accipiat.

Quomodo ille ea interpretatur?

Ita quasi velit Imperator de criminibus transigi non posse, quin in falsi accusationem transigentes incidant: quam interpretationem etsi refutant quidam. Conn. lib. 5. h. t. Cujac. lib. 6. c. 11. quod nusquam legatur ejusmodi species. l. Cornelia vindicata: tamen L. Cornelia non modò in Falso, sed etiam Quasi falso locum habet. l. 1. §. fin. de fals. haud scio, an defendi rectè hæc sententia (inquit VVes.) non possit. Nam & actor transigens, non multum abest ab eo, qui ob denunciandum & non denunciandum testimonium, aut judicium, pecuniam accipit. d. l. 1. §. 1. & reus accusatorem precio corrumpens, parum ab illo, qui Judicem corrumpit, distare videtur. d. § 1. l. 21. de fals. Hi porrò, quia accusatione falsi teneantur, dubium non est.

De errore Calculi, tit. 5. con. unic.

Quæ Continuatio?

5. Rata

Rata quidem & firma sunt pacta & transacta, nisi error calculi intervenerit, ideò hic de Errore calculi, *quandò præjudicet, vel non præjudicet, subijcitur.*

Quid est Calculus?

Variè usurpatur, ut nunc accipiatur pro morbo, qui valdè Eras. adflixit. Nunc pro brevi & polito lapillo, terra admisto, ita dicto, quòd ob parvitatem sine molestia calcetur, pro puncto, voto, suffragio, & comprobatione. Vnde illud addere calculum: item accedat hic calculus: item calculo mordere; aliàs pro sententia & tabulis judicis. hinc calculi dicuntur æquari, æquales calculi. Calculis seu lapillis antiquitus judices ferebant sententias. Albis absolvebãt, Nigris condẽnabant. Quo videtur referendum illud Xenophontis, σὺν τῷ νόμῳ ἐκέλευε δεῖν τὸν δικαστὴν τὴν ψῆφον τίθεσθαι. τὸ γὰρ νόμιμον δίκαιον εἶναι. *Id est, Iuxta leges monebat à judice calculum esse ferendum. Nam quod cum legibus congruat, id justum esse. Quò pertinet adagium. Calculum reducere, id est, sententiam mutare, item calculum porrigere, id est, censendi facere potestatem, cùm processus in eo statu est, ut judicari possit. Denique calculum intelligimus minimam partem ponderis, quæ continet duo grana, & computationem, ratiocinium, rationum positionem: ideò dicimus calculum acceptorum & datorum ponere, culpam purgare administrationis & præstare: reliqua facere & dissolvere. Inde calculator, calculo, calculatio, quòd calculos manu tenentes numeros componamus. De eo hic agitur.*

Quotuplices sunt rationes & calculi, circa quos error committitur?

Sunt aut militares, aut civiles: aut publicæ aut privatæ. Nam ab omnibus gestoribus exigitur ratio, alienæ rei, seu publica, seu privata, & exigi potest, aut jure obligationis & actionis ex contractibus, vel quasi, aut extra hos, officio judicis implorato, ex æquitate. VVesemb. hic cum alleg. Dd.

Quomodo reddenda ratio?

Ex bona fide. l. 2. §. de administrat. arbitrio boni viri. l. si putè. 37. verb. arbitrium. de fideicõmiss. liber, absque dolo. Legaliter, non (ut loquuntur) sub nube, sed per singulas partes, species & capita, integrè, plenè, apertè, dilucidéque.

Quorsum rationes redduntur?

Vt

Quid si per tenuitatem, non possint præbere salarium: vel metu, vel ambitione adversarii non possit invenire patronum?

Non tamen debent magistratus pati causam eorum relinqui desertam, sed potiùs sumptum de publico, aut saltem ex ærario eleemosynarum communi, suppeditare. Par. de put. in tract. Synd. ad verb. carcer. Nam est etiam species eleemosynæ, præbere patronos. Ait Prætor. *Si non habebunt advocatum, ego dabo.*

Qui possunt postulare?

Omnes qui non prohibentur. l. 43. de procur. Prohibentur vel Edicto, vel Lege, vel sententiâ judicis.

Qui edicto?

Tres hominum ordines: Primus tam pro se quàm pro aliis postulare vetatur, in quo sunt propter pueritiam minores 17. annor. l. 1. §. initium. eod. Quia moderatam hanc ætatem nactus est, ad procedendum in publicum: qua ætate aut paulò majore fertur Nerua filius et publicè de jure responsitasse; vel ob casum surdi.

Secundo loco excepit Prætor sexum & casum: item personas turpitudine notabiles. Sexum veluti fœminas: ne contra pudicitiam sexui congruentem alienis negotiis se immisceant: neve virilibus officiis fungantur. Origo verò est à Carfania improbissima fœmina, inverecundè postulante & magistratum inquietante. Casum, dum cæcum utrisque luminibus orbatum repellit: videlicet, quod insignia magistratus videre & revereri non possit. Refert etiam Labeo, Publium cæcum Asprenatis filium Nonii patrem, aversa sella à Bruto fuisse destitutum, cùm vellet postulare. Cæcus retinere jam cœptum magistratum potest, ad nonvum adspirare non potest. Extat exemplum Appius Claudius, qui cæcus publicis consiliis intererat, & in Senatu severissimam dixit sententiam de Pyrrhi captivis. d. l. 1. §. 5. Denique removent turpes, ut damnatos de calumnia, publico judicio: damnatos capitali crimine, passos muliebria: & eos qui operas suas ad depugnandum cum bestiis locarunt. d. l. 1. §. removet. 6.

Tertio ordine non in totum prohibentur pro aliis postulare, sed tantũ pro se. et pro certis dũtaxat personis: puta pro parente, fratre, sorore uxore, socero, patrono, patrona: aliisque de quibus in titulo de in jus vocando: progenero, nuru, vitrico, noverca, privigno, privigna, aliisq́ conjunctis

conjunctis. Item pro pupillis, minoribus, furiosis, quorum tutelam vel curam gerimus.

Quomodo differunt distinguuntúrve hi à superioribus?

In hoc ordine Prætor recenset omnes omninò non singulari, sed qualibet infamiâ juris notatos, exceptis illis, qui propter insignem infamiam, in secundo ordine locati sunt. Vnde intelligitur infames tutelam curámque administrare posse.

Posséntne illi qui edicto prohibentur postulare, adversario volente?

Minimè, l. 7. eod. Nam etsi illa judiciorum partes, quæ potissimùm ad litigatores spectant, pactis eorundem immutari possunt, Dd. in l. 2 § sed quia veremur. ff. de jur. ob cal. tamen quæ præcipuè ob dignitatem publicam Magistratus conservandam instituta sunt, ut est postulationis prohibitio, l. 2. §. 1. & 4. eod. l. 7. 8. 9. de jurisdict. ea velut jus publicum, non possunt privatorum conventione convelli vel labefactari. l. 38. de pact.

Quibúsnam lege interdictum est postulare pro aliis?

Iudicibus, Arbitris in ea causa, quam judicaturi sunt. l. 6. hoc t. hæreticis. l. fin. potentioribus. l. unic. ff. ne potent. Fisco & Civitatibus. t. t. ff. Ne fisc. vel Resp. Liberto contra patronum. l. 3. eod. Vasallo contra dominum. c. 1. § item si delator, ubi gloss. ad verb. perdit. quæ fuit pr. caus. amit. benef. & aliis denique omnibus, quibus non est legitima persona standi in judicio. t. t. ff. qui leg. perso. standi in jud. non hab. sed & judicis sententiam quandoque prohibitionem adfert.

Cedò qui illud?

Vt cùm judex advocatis & procuratoribus ob contumaciam vel delictum vel aliam causam, vel ad tempus (puta annum, biennium) vel in perpetuum postulatione interdicit. l. moris. 9. de pœn. l. 5. & 6. w. h. t. Si tantùm apud se, coram successore non prohibebitur: aliter si indefinitè postulatione interdictum fuerit. l. puto. eod. l. 1. h. t. Tales nihilominus possunt consiliis, scripturis, aut aliis privatis actionibus, causæ litigatorem extra judicium inservire. Est etiam judicis providere

dore, ne peritissimi quique advocati ab una stent parte: sed ut æqualiter utrinque distribuantur: ne alterutra causa, ab inopia boni patrocinii, damnum faciat. l.7.h.

Cur Prætor hoc edictum proposuit?

Ut reverentia & dignitas Magistratus conservetur: cui quodammodo ad circumfluentem turbam ignominiosum est, si turpes atque improbi Sycophantæ, & Phormiones coram eo impudenter altercentur, l.1.§ secundo loco. h. t. & si quis contra prohibitionem postulet, non modò repellatur à postulando, sed etiam pœna multetur arbitraria. l.1.§.adversarius.h.t. Nam quotiescunque lex aliquid prohibet, nec adjicit certam pœnam, quæ contrà venienti irrogetur: toties pœna arbitrio judicis commissa intelligitur. gloss. & Dd. in l.3. C. de sacros. Eccles. Illud etiam animadvertendum, quòd quamdiu quis idoneum advocatum non habet, tamdiu propter contumaciam damnari nequeat c. 7. ut lit. non contest. ubi gloss. ad verb. Advocati.

De Advocatis diversorum judiciorum, tit.7. const.19.

Postulare alieno nomine solent advocati. l.3.4.5.6.h. qui & patroni & causidici dicuntur, & se merito suo nobilissimos efficiunt: ita in hos quadret, quod dicitur:

Ius equitem reddit, qui fuit ante pedes.

Etsi olim oratoris, advocati seu pragmatici officium fuit distinctum: quod advocatus jus in judicio suggereret oratori, vel præsentiam suam amico commodaret, aut quoquo modo agendis causis operaretur. l. 1.§.in honorariis. 4. de var. & extraord. tamen sub Augusto cœpit unum utriusque esse munus, ut jam advocati, oratoris & patroni quoque partibus fungantur, causarum merita & fata in judicio exponentes. l.1.h. perorantes. l.10. defendentes. l.4.5.6. quorum certum corpus, certus togatorum ordo, definito numero fuit. l.3.13.21.24.h. excellens honore. l.18.h. ac dignitate. l. mutus. in pr. de procur. verba diversorum judiciorum h.t. interpretantur de privilegiis, munere, mercede advocatorum, qui in diversis judiciis operam suam hominibus navant.

Frustra videmur tractare de Advocatis, cùm olim in usu fuerit, ut nemo alieno nomine age-

ret, nisi pro populo, pro libertate, pro tutela, Inst. per quas person.ag.poss. ut & habet regula Ulpian. Nemo alieno nomine, lege agere potest.

Verum quidem; & ita sese res habuit, idque ex mero juris Quiritum rigore, quod non sinebat cuiquam jus suum persequi, nisi formulam à collegio pontificum impetrasset. l. 2. §. deinde de orig. jur. ita nec patiebatur, ut quisquam cujus de re agebatur, in judicium veniret, incivile illud ducens, si solennia illa judicia passim cujusque arbitrio & intercessione protrita, turbarentur. Verùm quando ætas posterior nimiam illam anxietatem perosa, introduxit ut per alios litigare liceret, ut id jure Quiritium & majestate solennis juris salva fecisse videretur, operæpretium fore ducebat, ut procurator alienam litem suscipiens, in limine judicii se dominum totius litis constitueret. l. procuratoribus. cum l. seq. ℑ. de procur. aut si defensor esset satisdaret dominum rem ratam habiturum, quæ satisdatio hoc efficiebat, ut ipse suum negotium egisse, salvo jure Quiritium, non alienum censeretur. l. qui proprio. §. qui alium. l. si minor. de procur. Imò tandem utilitas rigorem juris vicit. l. unic. ℑ. de jud. jur. Quir. sub. ut quia morbus, ætas, necessaria peregrinatio, aliaque multa causa impedimento sunt hominibus, quo minus ipsi res suas possint curare, coganturque per alios litigare.

Quomodo differunt Advocatus, Patronus, Procurator, Defensor?

Asconius Pedianus in divinat. Cic. ita distinguit. Qui defendit alterum in judicio, vel Patronus dicitur, si orator est: vel Advocatus, si jus suggerit, aut præsentiam suam amico accommodat. Vlpian. Advocatos accipere debemus omnes omninò, qui causis agendis, quoquo studio operantur. l. 1. § 11. de var. & extraord. Vel procurator, si negotium absentis mandatu ipsius suscipit. Vel Cognitor, si præsentis causam novit, & sic tuetur vt suam. Vnde Cicero familiarissimũ defensorem appellat. Hodie Patroni & Advocati, Causidici etiam dicuntur, & Oratores. Tacit. lib. de Orat. Sed & Rhetores & Togati. eorum munus causidicina Ammiano.

Qui in ordinem togatorum, honore & dignitate præstantem, recipiuntur?

Qui

Qui per statuta tempora legum eruditioni inhæserint. l.10.h.t.quorumq; conveniunt natales. l.11. ubi Bald.religio l.ult.de postul. eruditio, facundia, usus, ingenium, judicium. d.l. 11. ita spectata & explorata per examen, ut cum dignitate & dexteritate, causas litigantium tractare ac defendere possint. Vnde Servius Sulp. Q. Mutium de jure interrogavit, cumq; illum respondentem non intellexisset, fuit ab illo reprehensus his verbis. Turpe, ait, est viro patritio & nobili & causas agenti, jus in quo versaretur, ignorare.

Possúntne cogi, ut inviti clientibus suo patrocinio serviant?

Quid ni? & pro competente salario. l. properandum. §. pen. ʒ. de jud. in bonis nempe causis, non in malis. Imò compelli possunt ad suscipiendas causas pauperum. l. 1. §. ait prætor. de postul. atq; adeò sub pœna privationis officii. d. l. providendum. non tamen extra forum suum. De procuratore secus, is invitus non cogitur mandatum suscipere. l.mutus ʒ.de procur. & l.invitus.de R.I. Necessitatem non habet ea res, sed onus. Quod ideò sic se habere putant, quòd Advocati officium honorabile & publicum: sicut Leo & Anthe. Impp. rescripserunt. Advocati qui dirimunt ambigua fata causarum, suæque defensionis viribus in rebus sæpe publicis ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus provident humano generi, quàm si præliis atque vulneribus patriam parentesque salvarent. Nec enim solos militare imperio nostro credimus illos, qui gladiis, clypeis, & thoracibus nituntur, sed etiam Advocatos: Militant namque causarum Patroni, qui gloriosæ vocis confisi munimine, laborantium spem, vitam & posteros defendunt. l.14.h.t.

Quomodò versabitur in officio?

Provideat & consulat in omnibus causæ partibus. d. l. properandum omni diligentia, studio. l. 18. fide, industria. d. l. quod justum, verumq; .l.13. ʒ. de jud. necessarium ac utile procurent. l.6. C. de post. jura ac legibus clientem causamq; ejus tueantur, non dolo & fraudibus. d.l. nisi in bona causa. Myns.obs.6. cent.6. Cotta. in vers. dolus bonus. Merita causæ pendant. l 1. C. de offic. divers judic. Non plures lites suscipiant, quàm quibus peragendis pares sunt. Spec. §. ult. nu. 14.15. non protelent easdem. Spec §.1. non agere per substitutum. d l. properandum. §.pen. alioqui salarium non debetur. Ias. l.diem functo.

de off. abs. non instruere testes. Spec. §. ult. num. 4. cum seq. sit cautus in consilio, fidelis in patrocinio, justus in judicio. Spec. §. ult. nu. 21.

Quantum debetur honorarium?

Honorarium debetur quidem. l. 3. §. t. 1. ut subsidia vitæ necessaria comparent. l. 4. l. 9. h. t. De Salariis Advocatorum respondit Vlpian. in hac verba: In honorariis Advocatorum ita versari judex debet: ut pro modo litis, proque advocati facundia, & fori consuetudine, & judicii, in quo erat acturus, æstimationem adhibeat: dummodo licitum honorarium quantitas non egrediatur. Ita enim rescripto Imp. nostri, & patris ejus continetur. Verba rescripti ita se habent: Si Iulius Maternus, quem patronum tuæ causæ esse voluisti, fidem susceptam exhibere paratus sit: eam duntaxat pecuniam, quæ modum legitimum egressa est, repetere debet. *l. 1. §. 10. de var. & ex cog. Item:* Si cui cautum est honorarium, vel si quis de lite pactus est: videamus an petere possit, & quidem de pactis ita rescriptum est ab Imper. nostro: Litis causâ malo more pecuniam tibi promissam, ipse quoque profiteris, Sed hoc ita jus est, si suspensâ lite cautio societatem futuri emolumenti pollicetur. Si verò post causam actam cauta est honoraria summa, peti potest usque ad probabilem quantitatem: etsi nomine palmarii cautum sit. Sic tamen, ut computetur id, quod datum est, cum eo quod debetur, neutrumque compositum licitam quantitatem excedat. Licita autem quantitas, intelligitur usque ad centum aureos. Divus Severus ab hæredibus advocati, mortuo eo, prohibuit mercedem repeti: quia per ipsum non steterat, quo minus causam ageret. *d. l. §. 12. & seq. Hodie ex consuetudine æstimandum. Bald. in Rub. de off. jud. Olim ex publico habuerunt salarium. l. 23. h. t. hodie non nisi pauperum advocati. Bald. c. 4. h. t. & Fisci. l. 2. hic. Verùm ut in hac nostra alma patria, certa honorariorum constaret ratio, delecti sunt in Comitiis viri nobilitate generis, pietate, Justitiâ, eruditione, prudentiâ, & multo rerum usu præstantes, qui legitimũ, certum id, & perpetuum statuerent. Tractus Orientalis nomine huic negotio præfuit Vir Nobilis, & I. V. Doctor,* D. ADAMUS ab EYSINGA. *Tractus Occidentalis, V. Nobilis, ætate & longo rerum usu doctus,* D. RENICUS à CAMMINGA: *Tractus Septemsylviorum, vir cordatus & cautus, πολλὰ παθὼν καὶ πολλὰ μάθων,* VVABBIUS VVISSENS: *Civitatum, canicie & gravitate reverendus* D. CORNELIUS SIMONIS, *Con-*

Consul amplissima Reipubl. Leovvardiana, quorum determinationes & reformationes, DD. Amplissimorum decreto & auctoritate, Illustrium Ordinum Patria Delegatorum, extant typis excusa.

Quando debetur honorarium, initióne, an præstitâ jam operâ?

Pugnat aliquo modo cum honestate, ante praepropere & impudenter flagitare mercedem, quàm negotium sis aggressus l. 4 §. Si constet. ubi gloss. communia prad. Ias. num. 11. Dd. l. diem. 4. de off. Assess. Imola contrarium sustinet. Barth. in l. properandum §. illo, ult. not.]. de jud. Mynf. obs. 7. c. 3. Sanè quoad transmissionem, salarium annuum initio anni cedit, ut ad haredem velut debitum transmittatur. l. post duos. 15. h. t. Bald in l. 2.]. de suff. Hoc intelligitur in salario illius anni quo decedit, non aliorum annorum. Bald. in l. d. petitionem. Mynf. obs. 8. c. 3. Caterùm ubi nulla specialis extat consuetudo vel pactio (Nam primò conventum, & in defectum illius consuetum, aut si nec hoc apparet, legitimum arbitrarium. l. qui hoc anno 42. ubi Dd de V. O.) non absurdum fuerit dicere, in singulos actus opera prastita deberi. d. l. properandum. §. penu. quemadmodum & sumptus debentur & vacationes. l. 33. §. non solùm. de procur. nisi aliter convenerit. l. 23. de R. I. l. 1. §. 6. in verb. Contractus. en. ex conventione legem accipiunt. depos. Guid. decis. 120. & cogitur susceptam litem ad exitum perducere, usque ad sententiam definitivam, nisi aliter placuerit, & nisi causam injustam compererit. l. 12. Rem non novam. Quod in procuratore non aquè licet post contestationem. l. post litem 17. cum seqq. de procur.

Estne prætereà aliquid dignum memoriâ?

In unoquoque foro olim certus erat Advocatorum numerus, certaque matricula. l. 11. h. t. supernumerarii oberrabant per fora omnia. Cuiac. nec erant olim perpetui, sed eorum paucitas effecit, ut perpetuarentur. Cuiac. 16. obs. 22. Advocatus si ad aliud munus provehitur, poterit eo functo ad pristinum advocationis officium remeare. l. 9. Advocatus, juris imperitiâ lasus, non restituitur. l. 11. §. 1. in ver. juris peritiâ instructum. ibi Dd. h. t. Item Togatorum filii, non Togatorum filiis praferendi. d. l. d. §. in fin. & l. 13. h. t.

Quid si Advocatus prævaricatur?

Pravaricatur, quasi varicator, qui diversam partem adjuvat pro-

ditâ causâ suâ, qui prævaricatur ex utraque parte consistit, quinimò ex altera. Prævaricator propriè dicitur, qui publico judicio accusaverit. Cæterùm Advocatus non propriè prævaricator dicitur, quid ergò de eo fiet, sive privato judicio, sive publico prævaricatus sit, hoc est, prodiderit causam? Hic extra ordinem solet puniri. l. 1. de prævaric.

Advocationis officium ut est honorabile, laudabile, & necessarium, sic etiam multorum dicteriis, calumniis, & invidia, meritò immeritò obnoxium. Memini senem & Ianum alterum valdè lauta in re optare solitum, ut filius ipsius tantum proficere posset in literis, ut possit dignitatem Advocati tueri. In quo & voti compos factus fuit, idq; ideò procul dubio, quòd videret eos opibus & copiis florentes, secundùm illos veteres versiculos non tam doctos, quàm veros:

Cernite causidicos equitare sæpe caballos:
Cùm genus & species cogitur ire pedes.

In illud: Stet Advocatus sedeat Iudex:

Stare exercere est, non exercere sedere est:
Hinc ego causarum stantes concludo Patronos
Esse incorruptos homines, Vos deînde sedentes
Exclamo mediâ corruptos sede Dicastas.
O quavis melior pulcherrima statio sede.

Item:

Causidicis est turpe viris, turpissimus error,
In quo versantur, se jus nescire fateri
Quos video nempe obstreperos, clamore, potentes
Næ vos in medio populo fecére disertos.
Auri sacra fames, argenti sacra cupido.

Quorundam etiam mores carpit Mantuanus Ecloga 6. dum canit,

Stultorum est aliud genus immedicabile quoddam
Causidici, latratores, rabulæque forenses,
Nummorum aucupium docti, legumque tyranni,
Ære patrocinium vendunt, producere causas,
Et lites pendere diu, vindemia quædam est.

Item:

Discitur innocuas ut agat prudentia caussas:
Protegit hæc sontes, immeritosque juvat.

Meminerint Ciceronis principis, & maximi auctoris Romani eloquii:

Cujus

—Cujus sub jure togaque
Pacificas sævas timuit Catilina secures.

Meminerint Papiniani juris asyli & legum thesauri, qui ne quidem in gratiam Imp. iniquam causam defendendam suscipere voluit: imò maluit principem se trucidare, quàm nefarium facinus ipsius excusare.

Committere non possum, quin occasione hujus tituli, celebrem spectabile, & inclytum collegium Advocatorum, quo fulget integerrimi, sanctissimi, prudentissimi, et augustissimi Senatus summi dignitas, summaq; patriæ Curia, ut illud cũ florentissima quadã Academia conferri possit. In qua pietate, doctrinâ, et justitiæ studio præstans illesplẽdidus Advocatorum chorus, rectè dotes Iurisprudentiæ collocat & dispensat, æqui & boni sunt antistites, satellites & ministri: neq; sanctissimam scientiam referunt & prostituunt ad vilem & turpem quæstum, sed ad rem publicam & privatam honestis legibus tuendam & conservandam: se prebent oracula totius provinciæ, & cum Pythio & Apolline, suarum rerum incertos sua ope, ex incertis certos, compotésque consilii dimittunt, ut ne quis temerè res tractet turbidas, ut ex hoc quasi theatro non parvum patriæ decus luceat, & hoc quasi exercitu tranquillitas Reipublicæ præstetur, dum hoc agunt, ut cuique suum tribuatur, nemo lædatur, honestéque vivatur. Civiles sunt, honesti, modesti. Sacerdotes artis æqui & boni, quam colunt, justitiam enim profitentur, æquum ab iniquo, licitum ab illicito discernentes; veram (nec fallor) philosophiam exercentes: ut mirum non sit, ad hanc justitiæ & æquitatis officinam praxis discendæ gratia, sicuti olim Athenas ad sapientiam comparandam ex toto orbe terrarum, atque ut ad Iarcham in throno sedentem aureo, undique juvenes confluere.

De Advocatis diversorum judicum, tit. 8. const. 9.

Quidam hunc titulum unum & eundem putant cum superiore: alii quòd in illo agatur de privilegiis Advocatis diversarum provinciarum concessis, in hoc diversorum (juxta Rubricam) judicum, ut etiam gaudeant iisdem Advocati Comitis rerum privatarum, Privi-

pus, præfecti prætorio, Proconsulis. & c. V. Ven. in illo de illis qui in matriculam sunt inscripti, & salaria ex ærario percipiebant, quique necesse habebant postulare in certis judiciis & locis, puta in illa civitate, vel illa provincia: hic de iis, qui coguntur postulare coram certis judicibus, in quacunque demùm degerent provincia, urbe vel loco.

De Advocatis fisci, tit. 9. const. 4.

Quæ Continuatio?

Rectè jungitur hic titulus superiori, non quasi ille sit de his, qui privatorum, hic de his, qui fisci causam agunt, sed etiam quia ex corpore illorum deliguntur advocati Fisci secundum ordinem, quo recepti sunt in numerum advocatorum. ĵ. ex formula forensi, ut Spartianus loquitur ex Antonino Geta, qui causis fiscalibus interveniant, & delatorum intentiones exequantur. l. 5. §. Advocatum. de his quæ ut indig. quos deficiente alio accusatore, princeps opponit accusatores reis. Cujac, h.

Quid est Fiscus?

Fiscus vas continens majorem pecuniæ summam, quàm crumena & marsupia. Publica major est, quàm privata: ita fiscum Imperatoris, ærarium Reipubl. Plini. ad Trajan. Non eadem severitate fiscũ, quâ ærarium cohibes: imò tanto majore quantò plus tibi licere de tuo, quàm de publico credis: aurea sententia. Aliquando ista confunduntur. Seneca de benef. lib. 7. Cæsar omnia habet. fiscus ejus privata tantum, ac sua, & universa in Imperio ejus sunt: in patrimonio propria.

De quibus agitur potissimùm hoc titulo?

In advocatis fisci multa specialia servantur. Nam causa privati decisa, sub prætextu absentiæ patroni causæ, non restauratur, secùs in causa fiscali. Et hoc quando fiscus alii facit controversiam status. l. velamento. š. de post. & l. ult. ĵ. eod l. 2. ĵ. eod. si advers. fisc. l. si fiscus de jur. fisc. B. h. tenent inter Advocatos præcipuum eminentiæ gradum, duo eliguntur. l. 10. & 15. de advoc. divers. jud. tanquam Primates ex corpore togatorum. l. 22. l. 19. ut causas fisci agant. d. l. 10. & 15.

& 15. non aliorum contra fiscum, nisi fortè aut parentum aut liberorum, aut pupillorum suorum nomine. l.ult. & pen. de post. ne absentibus his procurator Cæsaris disceptet causas rei privatæ, vel ærarij sacri. l. ult. ne alii cuiquam adsint contra fiscum, quamdiu sunt advocati fisci, etiamsi de publico nondum salarium acceperint. l.1. Præterea, ne bona juraq; fiscalia supprimant, aut occultent, commoda ipsius absque calumnia tueantur, & ne sub nomine fisci, falsas accusationes instituant. l.3.

De errore Advocatorum, vel libellos, seu preces concipientium, tit.10.const.3.

Quæ Continuatio?

Cùm opus sit, ut advocati concipiant nunc libellos supplices, nunc libellos actionum forensium, in quibus interdum error committitur, qui, antequam lis decidatur, emendari potest.

Quid continet hic titulus?

Errorem Advocatorum non nocere litigatoribus absentibus, quia non sunt domini causæ, ut procuratores. l. nulla. 23. de procur. nocet præsentibus. arg l. 10. à contr. sens. nisi contradicant & protestentur, nolle sese confessionem & dicta factaq; advocati rata habere. Bart. in d.l. 1. per l.at si quis §. plerique. de rel. & sumpt. aut antequam sententia transeat in rem judicatam, hoc est, intra triduum, quod tempus olim appellationibus dabatur. l. 1. quand. & int. quæ temp. rei. l ult. h.t. Nam post rem judicatam, probationes non admittuntur. l. 4. de re judic. quæ pro veritate habetur. l. res jud. de R. I. ideò revocari non potest. l. error. ff. de jur. & fact. Addit, errorem quoq; libellionum nihil nocere litigatoribus. l.2. separantur libelliones ab advocatis. Hi agunt, illi scribunt. & ita. l. moris. de pœ. hos VVes. appellat Referendarios. Novell. de referend. nisi quod ad supplicem rescripta, non sic finiant negotia, ut res judicata, quo minus post liceat errorem libelli, cui sit rescriptum, revocare, probare. l.2. ubi Dd.

Vt quæ desunt Advocatis partiũ, Iudex suppleat. tit. 11. const. unic.

Cùm non solùm Advocati in facto, sed etiam in jure labantur & errent: vel etiam utroque: & minus dicant agantq́. Iudex debet proferre, quæ ll. & juri publico sciat congruere. Ideò operæpretium fuit, & hunc proprium ejus rei titulum subjicere, posse judicem supplere, quæ desunt partibus, vel Advocatis, dicere puta & quærere ea, quæ dicto quæsitoq́ opus sunt, etiamsi is, cuja res ea est, quæ de re dubitabatur, deberet: propterea, quod est apud Gell. 14. c. 2. patrocinari hoc videtur esse, non judicare. Cui. E.

Quid traditur hoc titulo?

Iudex regulariter non interponit suum officium, nisi interpellatus, aut imploratus. l. non dubitandum. h. l. 4. §. hoc autem judic. de dam. inf. Supplet quandoque & ante sententiam, quandoque disputando cum partibus & Advocatis, quandoque opponendo, quandoq́ investigando veritatem. Porrò & post sententiam interdum supplet, in his quæ desunt ad consequentia priorum, ut in fructibus & usuris. l. Paulus. de R. jud. B. Quare ut negotio possit imponere conformem sententiam, & certam, sanè nonnunquam cogitur supplere vicem Advocatorum & partium. l ult. ȷ̃. de app. ut Cujac. malit hunc titulum concipere sic, Vt quæ desunt Advocatis, vel partibus judex suppleat.

Quæ non supplet Iudex?

Non consuetudinem. Bart. in l. omnes. 9. nu 6. de just. & jur. quæ facti est & probari debet. l. 4. de cust. reor. Ias in l. 2. nu. 11 s̃. Si con. jus vel util. pub. neque actionem. Cast. h. nu. 4. exceptionem, idem ibi. nisi ex actis, & narratione apparentem. l. 2. §. quod si actor. ubi glos. ȷ̃. de jur. prop. cal. nec probationem cæterosq́ judicii actus, qui in judice potiùs, quàm in parte radicantur. Bald. h. n. 7. et VVes.

Sed factum judicis, dicitur factum esse partis, l. 13. ȷ̃. de evict?

Id accipiendum est de ijs, quæ judici facienda incumbunt, & jure fiunt. Bald. in d. l. seu quæ clauduntur administratione jurisdictionis: Ias. in l. à Divo. §. sed si. nu. 3. de re jud.

Ex

Ex quibus causis irrogetur infamia. tit. 12. const. 22.

Quæ Continuatio?

Quandoquidem Advocatorum munus & publicum est, & multis privilegiis ornatum, & corpus Advocatorum sit in benè constitutis Rebuspubl. seminarium dignitatum & magistratuum, fit ut infames ad illos honores admitti nequeant. Cùm infamibus portæ dignitatum non pateant. *c. infamibus. de R.I. in 6. Infames igitur advocati esse nequeunt, nisi pro certis quibusdam personis. l. 1. §. ait Prætor. de post. nec si hoc facilè ferant & velint adversarij, ut Paulus ait 1. sent. 11. & l. quos D. eod. Quia ea res etiam pertinet ad amplitudinem & auctoritatem magistratus, ne apud eum homines turpes audiantur, ideò exponit causas, de quibus ambigi poterat, ex quibus infamia irrogatur: ne quis temerè advocato objiciat infamiam, quod est magnum probrum.*

Quid est infamia?

Quemadmodum Existimatio (*auctore Callistrato*) est dignitatis illæsæ status, legibus & moribus comprobatus, qui auctoritate legum ex delicto aliquo vel consumitur vel minuitur. *l. pen. §. 1. de var. Ita infamia est ignominia, labes, imminutio, privatio, nota & detrimentũ famæ. Quam Bartholus definit, ut sit læsa dignitatis status, legibus & moribus improbatus. l. 1. nu. 1. de his qui not.*

Quotuplex est?

Duplex vulgò censetur: Infamia quippe Iuris, quam lex sonti & nocenti, ob turpe aliquod commissum irrogat: de qua hic. alia Facti quando fama apud bonos & honestos viros gravatur. l 20. de inf. l. 13. 17. 19. hic. Hanc rectè vult Bald. aliam aliâ graviorem & leviorem esse, ex causa pro qua existit. Bald in c. 1. an testes remove. in usib. feud. Quod etiam obtinet in juris infamia.

Quæ causa ejus efficiens?

Edictum, lex, Stum, plebiscitum, decretum principis, sententia. hic & passim ꝑ eod. sententia judicis. l. 6. 13. eod. non per sententiam. arbitri. d. l. 13. §. ex compromisso, quia causa famæ capitali æquiparatur.

tur. Dd. in l. si in duabus. de R. I. Vt igitur de fide & capite privatim statui nequit. l. 13. ad l. Aquil. ita nec ex compromisso cujusquam fama imminui potest. l. 37. §. Iulianus. ubi Bald. de Recept arb.

Propter quam causam infamia irrogatur?

Dolus, vel simile crimen, quod in dolum incidit, ut perfidia, stellionatus, impostura, perjurium. l. furti. §. fin. l. 13. §. fin. eod. Dolus autem appellatur malitiosa scientia, qua vel simulatur falsum, vel dissimulatur verum, alterius fraudandi causa. l. genero. 8. eod. V. l. 1. de dol.

An etiam latâ culpâ commissum delictum lædat existimationem?

Non videtur. Nam rescripsit Imperator: Suspectus autem remotus, siquidem ob dolum, famosus est: si ob culpam non æquè. §. 4. inst. de suspect. Etiam latam, ita est communis opinio & sententia. Ang. & Dd. hic. & in l. impuberibus. 7. §. si fraus. eod. Lata quidem culpa æquiparatur dolo. d. l. quo ad removendum, non quo ad infamandum. Vbicunque enim detrahitur doli mentio, ibi non sequitur infamia, quamvis dolus revera subsit. l. non debet. 12. de dol. Et cùm edictum generatim tantùm dolum notet, non culpam, nisi uno atque altero casu l. 11. §. pen. h. t. Et cùm edictum est, illud in materia odiosa non extendi: præsertim cùm Iustinian. hic indefinitè culpam excipiat. Vnde & latam culpam excipi consentaneum est. Quod enim de genere, vel de toto dicitur, id in omnibus partibus, gradibus, & speciebus, valere debet. l. Iulianus. de leg. 3. Quælibet enim etiam injusta causa excusat à dolo. gloss. cir. fin. in l. unic. ubi. Dd. si quis jur. dic. per l. itaque de lib. caus. & pœnis doli, & consequenter etiam, ab infamia. juxta regul. Remota causa, removetur effectus. c. cum cessante. de appell. Sed urgent & replicant, quæ lex ipso jure notat, etiam latam culpam sequitur infamia, in aliis nequaquam. Ias. in l. in actionibus. nu. 24. de in lit. jurand. dicens communem esse. Respondit VVes. Quod absque vera ratione dici videtur: nisi lex aut statutum disertis verbis culpam quoque notet. eod. fat. l. Arrianus. de O. & A. l. pen. de p. l. 129. de R. I.

Quomodo Iudex irrogat infamiam?

Modo disertis verbis infamiam, quandoque facto, puta motione ab ordine, fustigatione, turpi aliqua præclusione (ut stelliones) in publico deridendi proponuntur, quæ tamen non infamant per sese, sed ex causa

causa, propter quam infliguntur. l.22.h.t. l. 6.hic. Irrogatur infamia aut edicto, aut lege, aut sententia judicis.

Edicto qui?

Notatur miles ab exercitu ignominiæ causa missus. l. 1. & 2 h.t. Missio etiam est honesta Veteranorum. l. fin. ℑ. de his qui non imple. stip. Sac. lib. 10. Causaria, puta ob valetudinem, &c. d. l. 2. §. ignominiæ. Qui in scenam aut arenam ludicri prodeunt quæstus causa. l. 2. 4. eod in Auth. ut scœnicæ mulieres. qui lenocinium faciunt. l. 4. eod. qui turpem publicè, notorieque degunt vitam. arg. l pen. à contr. sens. l. quæ adulterium. 29. ℑ. ad l. Iul. de adult. fœminæ ipso jure prostratâ pudicitiâ, mares damnati. gloss. singul. in l. 12. ℑ. cod. calumniæ, & prævaricationis in publico judicio commissa damnati. l. 1. l. 4. §. calumniator. eod. idq; justa talionis lege. Nam omnia publica judicia infamant. l. 7. de pub. jud. Damnati suo nomine doli, furti, non ex condictione, in qua agitur de restitutione. l. 36. de obl. & act. vi bonorum raptorum, injuriarum, quæ intelligenda sunt post litem contestatam, ante posse de ÿs transigi citra infamiam multa jura ostendunt. l. 13. ℑ. de fur. l. 17. §. 1. de pact. quod ante litis contestationem, non pertinet ad officium judicis, & est extrajudicialis: qualis ne vera quidem ad probationem sufficit. l. 26. §. pen. de nox. act. non metus causa, quia rei est persecutoria, imò qui de privatis delictis precio, non etiam precibus aut interventu amicorum pacti sunt. Quia fatetur & pro confesso habetur, redemitq; judicium ex conscientia delicti. l. 6. §. pactus eodem.

Quid si jussu Prætoris paciscatur?

Hic extra probrum est. Prætores interdum litigatores ob quietem publicam, & ad evitandum majus malum, transigere litigatores cogunt. Barth. in d. l. functi. §. pactus. vers qui jussu. nu. 2. & 3. Nam jussum judicis, quod semper justum esse præsumitur. Dy. in c. cum quis de R. I. in 6. reum in pœnis excusat, quia habet parere necesse. l. Non videntur. 167. §. qui jussu. de R. I. hic hæres, tutor, curator, paciscens alieno nomine, in nullo videtur hærere opprobrio.

Súntne quædam ex contractibus orta hisce pœnalibus consimilia, ut labem damnato inferant?

Quidni?

Quid ni? Nam in quibus agitur de fide rupta, ut sunt actio mandati. pro socio, tutela, depositi. §. pen. Inst. de pœn. teme. litiga. d. l. furti. §. fin. videlicet in directis actionibus: non contrariis, in quibus de calculo, damno & impensis agitur: nisi & in iis de perfidia agatur. d. l. furti, § fin. Duas enim res sanctissimas violant, & fidem & amicitiam, & solem quasi è medio tollunt.

Cur in actione, quod Metus causa, legis Aquiliæ, Rerum amotarum, Condictione furtiva, empto, locato, & similibus, in quibus tacitè & dissimulanter saltem de dolo sæpè quæritur, damnatum non sequitur infamia?

Sententia quidem judiciis fidei rupta civilibus existimationem lædit, tamen non etiam transactio. l. fin. hic. Quia in his transactio de contractu fit principaliter, quamvis per consequentiam delictum remittatur. l. 27. §. illud. de pact.

Quinam prętereà notantur?

Mulier intra annum luctus nubens, & vir quantumvis miles cum ea contrahens, vel etiam si per facinus nuptia fuerint dissoluta. l. decreto. 15. hic. vel si alieni juris fuerit, avus, aut pater notantur, idque propter turbationem sanguinis, et ne stirpes et familiæ confundantur, inductum est. l. liberorum 11. eod. incertum enim foret, utrius foret partus: defuncti, an superinducti. l. Canonico mulier impunè nubit. Inn. et Dd. in c. pen. et fin. de secund. nupt. Item, qui binas nuptias, bináque sponsalia eodem tempore contraxit, et hæc sunt quoddam quasi matrimonium: fidem frangit priori, et eam rumpit, qui cum alia contrahit. arg. l. 6. §. fin. denique et mulier infamiam incurrit, quæ per calumniam in bonorum possessionem missa est. l. 15. cum sequent. eod.

Qui lege porro & statuto notantur?

Expilatores hæreditatum. l. 12. hic. Sepulchrorum violatores. l. 1. de sepul. viol. exigentes usuras centesimas, aut usuras usurarum. l. 20. hic. in publico lenocinio, et stupro turpem vitam viventes. l. palàm. 43. de rit. nupt. mulier in adulterio deprehensa. d. l. §. fin. item, qui appellando judici convicium facit. l. judici. 42. de injur. temeréve appellat. l. 6. §. temerè. l. 19. de appell. et judex, qui pœnam mitiorem graviorémque

rémque ordinaria imponit. l. servos. ǁ. de vi publ. qui munera ob judicandum accipit. l. judices ǁ. de dig. lib. 12. qui pupillam vel adultam cujus curam aut tutelam gerit, sibi aut filio uxorem ducit. l. 4. 17. de excus. tut. qui incestas prohibitásque nuptias contrahit, l. qui contra. ǁ. de incest. nupt. qui se in curationem uxoris, nullâ excusatione utens, ingerit. l. 17. ǁ. de excus. qui functionem publicorum munerum subterfugientes, occultat. l. 13. ǁ. de decur. lib. 10. item Notarij, qui prohibitam alienationem contractúmque legum vetitum conscribunt. c. 1. §. callidus. de prohib. feud. alien. Breviter, non carcer, aut vincula, non tortura, non fustigatio, vel denique quiscunque demùm cruciatus infamem facit, sed causa: non pœna, sed crimen.

Quid de iis, qui bonis cedunt, de increpitis à judice, præceptore, patre, déque testibus, quorum testimonium reprobatur?

Non fiunt probrosi, quum boni quandoque calamitatibus circumventi coguntur cedere bonis: quòd hi suos emendatos, et ad meliorem potiùs frugem redactos, quàm infames cupiant: et quamvis contumeliosis verbis proscindant, admonitionis tamen magis et castigationis privata, quàm damnationis habent speciem. l. 13. 17. 19. h. Quia sententia non fertur in testes, sed super principali causa. Potest etiam aliam ob causam rejici testimonium, quàm ob falsitatem, videlicet, quod non juratus dixerit, quódve non idoneam causam reddiderit sui dicti. l. 8. l. 3. ubi Dd. ǁ. de test. vel denique quod domesticus.

In quibus criminibus sententia Iudicum opus est ad irrogandam infamiam?

In quibus lex aut crimen non statim notat: aut aliam graviorem pœnam imponit delicto, quàm damnum existimationis velut necessarium comitetur: ut in furto, injuria, et publicis judiciis omnibus: In his ut sit locus infamiæ, intelligimus sententia judicis opus esse. d. l. infamem. l. §. qui in jud. d. l. 6. h. t. l. 10. 18. h. non interlocutoria, sed verè definitiva. l. verbum. l. 18. h.

Nullâne alia forma superest infligendæ infamiæ?

Quando judex officio suo nobili, aut decreto, extraq; ordinem præsertim ex turpi causa (quod genus nonnunquam infamat) exauctorat,

ordi-

ordine monet. l. 3. h. in metallum damnat. l. 6. h. fustibus cadit. l. 16. h.

Quî probanda est infamia?

In eo conveniunt Doctores, dilucidè et plenè tanquam delictum capitale. l fin. J. de prob. probandum esse: nec probationes privilegiatas, ut jusiurandum, satis esse. Ias. in l admonendi. de jurejur.

Deinde testem non probare infamiam, nisi simul ostendat Causam et Factum, unde orta sit. Bald in l. lapsus. de senat. et sufficientem sui dicti rationem reddat, nec sufficit ab uno atque altero audivisse nec uno eodémque tempore, sed sæpius et à majore vicinia parte eum pro improbo et ignominioso reputari, et in causa sua scientia concordent, dicantq; uno ore. Quæ tamen non juris, sed infamiam Facti convincunt et arguunt, nisi jure et legibus, aut sententiâ notatum probent.

Quid efficit infamia Facti?

Sic infamis à dignitatibus publicis excluditur. l. 2 cum ibi not. J. de dig. lib. 12. hæres institutus à fratribus præteritis repellitur. l. 27. J. de inoff. test. Bald. eos removet à testimonio. l. 1. h. quòd alii non admittunt. sed tradunt ejus testimonium non esse omni exceptione majus. Duar. disp. 2. c. 22.

Quid patitur infamis juris infamia?

Illi intestabiles sunt, nec testimoniũ illorum fidem facit. Communiter Dd. et gloss. in l. 1. S. de sim. trin. per l. ob carmen. de test. Hæc omnem honorem et dignitatem adimit, ut participes alicujus muneris cum integris personis esse nequeant. l. 2 ibi glos. de dig. lib. 2. puta in postulando, assidendo, judicando, militando. Munera tamen extraordinaria sustinere debent. Ne pœna eos ab oneribus liberet, quæ honesti subire coguntur. l. 3. §. de muner. ut tutelam gerere, procuratorem, arbitrum, notarium esse, nisi nomine malè gesti officii sit notatus. l. si quis aliquem. J. de suscept. præp. et arc. lib. 10. Fer. in for. oppos. inst. in verb. non fiat authenticus. nu. 5. Semel imposita durat perpetuò. gloss. et Dd. in l. 3. et. 4. h. Nam (*ut Plautus*) hominum immortalis est infamia, etiam tunc vivit, cum eam credis esse mortuam. *Et Vlp.* Non aboletur turpitudo, quæ posteà intermissa est, *l. 42. de B.N. Item:*

Omnia si perdas, famam servare memento:
Quâ semel amissa, posteà nullus eris.

Fama

Fama manet facti, posito velamine currit,
Et memorem famam, qui benè gessit, habet.

Vnde proverbium: Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ: super argentum & aurum bona gratia. ita multos metus dedecoris deterret à peccando.

Sed te, ne faceres, tenuit reverentia famæ.

Potéstne à Principe, aut à populo imponi, qui superiorem non recognoscit?

Distinguit VVesemb. utrum imponatur infamia ex causa, seu crimine, quod ipso jure famosum est, an verò ex causa arbitraria. Vbi crimen ipso iure habet turpitudinem annexam, ibi omninò dicendum est, perpetuò dedecus adhærere, etiāsi pœna tantùm temporalis sit imposita. Nam legis effectus perpetuus est, qui tantùm considerat delictū: de quo, ubi per sententiā constat, sequitur ex l. ordinatione infamia: quæ non revocatur, ampliùs, ut nec ipsum delictum cui accedit: cùm factum non possit reddi infectum. l. in bello. § facta. de cap. Nam si temporalis pœnæ haberetur ratio, judicium injuriarum & furti nunquam haberetur famosum. Si aut pecuniariter damnentur, aut sequatur: jam tempore lapso, & solutione facta, extinguitur obligatio rei judicatæ & condemnatio. l. 7. Divus. de jur. patron. Et tamen durat infamia. l. 10. h. Iuris auctoritas non est in potestate judicantium, sicut Facti, l. 15. ad municipal. Non potest judex efficere, quin furti damnatum sequatur infamia. l. 63. de furt.

Sed si delictum fuerit punitionis arbitrariæ, cui non lex pœnam turpitudinis præstituit, sed Iudex?

Tunc idem arbitratur, notam unà cum animadversione durare & extingui: ut si coërctio sit temporalis, puta, quinquennale exilium, infamia quoque eodem tempore duret, ac post id pœna extinguatur. Ne accessorium diutius duret, quàm principale, l. 3. 4. h. Idemq; statuendum videtur, quando certam legis vindictam judex ex probabili causa, & in casu, quo potest, facit arbitrariam. Quoniam etsi regulariter hoc non procedit. d. l. 63. de fur. tamen ex causa, in casu, de quo lex principaliter non loquitur, permissum est. Quæ in specie aut duriùs, aut leniùs interdum agit. Cuiac. observatione 7. c. 19. Qui ex veteri jure & ll. notam putat durare perpetuò. Constitutionibus prin-

cipum, post expletionem coerctionis tempore remitti.

Quomodò vitari posset infamia?

Subsidio cautelarum: quarum præcipua sunt:

1. *Si reus per procuratorem in judicio famoso se defendat. Bald. in l.nihil. 20. nu. 6. ff. de procur. quod licet in judicijs civilibus: puta, Mandati, Depositi, Tutelæ, Doli, &c. & in quibusdam criminalibus privatis, ut Injuriarum. quanquam aliàs in criminalibus procurator non admittatur. l.fin. cum ibi not. ff. de injur. l. ult. ff. de procur. Illo casu, quo procurator recipitur, nec principalis, nec procurator fiunt probrosi Soci. Reg. 179. fal. 1. & Capoll. tract. cautel. 12.*

2. *Si pœnam pecuniariam, quæ per sententiam imponi potest, reus antè offerat, quàm sententia condemnatoria feratur. l. 73. de procur. aut nolente adversario apud acta deponat, juxta l. acceptam. 19. ff. de usur. l. 9. ff. de sol. Ita macula evitatur, quæ per sententiam irrogatur: sed sententia ferri non potest, ubi reus paratus est solvere. d. l. 73. §. fin. inst. de perp. & temp. ac.*

Verùm illud hîc quæstionis est, utrum ante litem contestatam, an posteà usque ad sententiam offerre liceat?

Barth. ante litem contestatam offerendam, ni haberi velit pro condemnato & confesso. l. 5. h. t. l. 1. de confess. Panor. in c. cum te. x. de sent. & re jud. arbitratur quovis tempore posse offerri, modò ante sententiam. Sufficit de crimine reum non esse damnatum, quam sententiam tanquam æquiorem pleræque Curiæ sequuntur. Socin. in Re. 179. distinguit, siquidem talis causa sit, quæ ipso jure minuit famam, tùm oportet ante litem contestatam offerre. Confessio extrajudicialis non probat. Dd. in l. certum. 4. § pen. de confess. Post litis contestationem non vult excusare ab infamia. Quia tunc solvens, pro judicialiter confesso habetur. Angel. dat aliud consilium. in d. l. 63. de furt. ut reus curet offerri pœnam, per tertiam personam, sine suo mandato, invitus etiam creditor id recipere cogitur. l. 39. de neg. gest. l. solutionem. de sol. Hanc viam statuunt tutissimam Barth. Capol. d. caut. 12. Dd. in c. testimonium, x. de test.

3. *Si ante sententiam reus paciscatur, aut transigat, impetrata à judice venia. l. 6. §. qui jussu. h. t. aut citra jussum judicis adhibitâ protestatione, Se transigere, non quod delictum confiteri intendat, sed*

quo à

quo à vexatione litis sese redimat. Ea enim protestatio excusat, ut volunt Dd. Ias. in l. transigere 18. nu. 3. C. de trans.

4. Si judex recedat ab ordinaria pœna, & aliquam severiorem imponat, quàm ex l. debeatur. l. 10. § in personis. de pœn. Censetur enim cum existimatione, qui duriorem pœnam imposuit. d. l. 6. l. quid ergò §. pen. h. t. l. 3. & 4. h. dispensasse.

5. Si judex expressim in sententia Existimationem reo conservet, addita clausula, se illud ex justa causa facere. Si tacitè possit, cur expressè non possit? sed causam aut speciatim aut generatim explicabit. l. non poterit de fur. l. 15. ordine. ad munic.

6. Si condemnatus à sententia provocet, & pendente appellatione det operam intereà, ne subsequatur altera sententia, sed lis pereat per pactum, solutionem, aut alio quovis modo. Bald. in l. 3. nu. 3. 4. h.

7. Si probris affectus, per principem existimationi pristinæ restituatur. l. solet. 10. h. t. Bal. in d. l. nu. 3. 4. h. l. 1. et seqq. C. de sent. pass. et rest.

De Procuratoribus, tit. 13. const. 27.

Quæ Continuatio?

Non solùm Advocati, sed etiam Procuratores alium defendunt in judicio, patrocinantur, adsunt, adsistunt, supersunt, postulant pro alius. Idcirco Advocatis proximè Procuratores rectè conjunguntur. Cujac. h.

Quid est Procurator?

Est gestor, administrator seu curator, qui aliena negotia mandatu domini administrat. l. 1. h. t. Mandatu domini, ijs verbis distinguitur procurator à negotiorum gestore, qui sine mandato: item ab tutore, curatore, administratore, qui auctoritate publica: Administrandi, ab officio advocati, qui jus partis pandit, & merita causarũ allegat: item à nuncio, qui non loco domini aliquid curat, sed ut nudus minister, quiq; veluti instrumentum atque organum intervenit, & (ut Spec. de procur.) §. ult. nu. 5. vice epistolæ est.

Quomodo constituitur Procurator?

Aut universorum bonorum, qui Universalis, nonnunquam etiam

Generalis dicitur. l. 60. 58. aut cum libera administrandi potestate quem Legitimum vocat Cicero : aut denique certa alicujus rei, litisque, qui Specialis nominatur.

Rursum alius est in rem alienam, alius in rem suam, qui tamen mandatu domini (nam proprii nemo procurator est) alienum negotium, licet ad suum emolumentum gerit. l.33. §. fin. h. t.

Porrò alius est Iudicialis, alius Extrajudicialis. d. l. c. 3. de procur. in l. 6.

Quot modis dicitur Procurator falsus?

Aut qui nullum habet mandatum, aut quod habet, revocatum & extinctum est, morte aut alio quovis modo, aut qui exhibet ad propositum negotium impertinens, utputa generale, cùm opus sit speciali, aut denique, qui habet insufficiens.

Quæ efficiunt Procuratorem?

Aut jussum judicis (ut volunt Dd.) aut mutuo consensu & constituentis & constituti, quasi per mandatum.

Qui possunt constituere?

Hoc edictum prohibitorium est. Quare qui non prohibentur dare, his constituendi intelligatur facta potestas. l. mutus. 43. §. 1. h. t. Excommunicatus non potest. c. fin X. eod. nec pupillus vel minor, nisi tutore vel curatore, si habeant, auctore. l. 11. h. Si verò minor non habeat curatorem, tunc procuratorem ad extrajudicialia negotia constituere potest. l. 43. §. 3. h. t. ad judicia non item. Quia nec ipse legitimam personam standi in judicio habet. in princ. Inst. de cur. Syndicus quoque Vniversitatis, item tutor, vel curator procuratorem, nisi lite contestata, in litem dare nequeunt, sed tantùm actorem. l. 74. h. t. l. 11. 23. hic. Quia non sunt domini ante contestationem. d. l. 11. Nullus enim procuratorem dare potest nisi litis vel rei dominus. gloss. in d. l. Filiusfamiliâs extra judicium quidem potest, quia contrahit: in judicio non æquè, quia nec agere potest, nisi quibusdam casibus, ut in actione injuriarum. l. 8. h. t. l. 14. h. statu liber litigans de suo statu potest. quia tantisper pro servo non habetur. l. 33. h. t. Ab hostibus captus non potest, sed tantùm actorem & curatorem. Sui enim juris non est. l. 15. ex quibus caus. maj. Plures cohæredes judicio familiæ erciscundæ contendentes, unum non possunt habere procuratorem, propter adjudicationes & condemnationes, quæ invicem fiunt. Ne idem, eidem ac sibiipsi condemnetur. l. 42. §. pen. h. t. Illustres tamen personæ etiamsi maximè velint

mè velint, non litigant nisi per procuratorem. l.pen. cum Authent.h. Maritus etsi rerum uxoriarum est legitimus administrator, non recipitur procurator, nisi præstitâ cautione de Rato.

Dic quínam dari possint?

Quicunque non prohibetur, is id officij rectè suscipit. Minores propter beneficium restit. in integ. idonei non videntur. l. 12. h. ubi Ias. nu.19. & 20. nec habent legitimam personam standi in judicio. l. 1. & 2.]. qui leg. pers. Vnde & in proprijs per procuratorem litigare coguntur. l. 2.]. de accus. Fœminæ, quia virile officium, non procurant. l. 19. h. tum quia in procuratione intercessio quasi quædam intervenit, ad quam non censentur satis idoneæ. t.t.]. ad SC. Vellejan. nisi pro parentibus, liberisq; pro captivo marito, aut suam agant litem. l. 4. h. non milites. l. 7. 9. h. Non decuriones & his digniores: non medici & professores. l.16. 34.]. de decur. lib.10. Spec. de proc. §. 1. n. 35. Furiosus. mutus & surdus ad negotia quidem possunt, ad lites non possunt. l.43. h.t. arg. l.1 §. 2. de postul. Rei causa capitalis. l 6. h. redemptores alienarum litium. l. 9. h. Fiscus, Vniversitas, Civitas, propter potentiam & gratiam. l.3.]. ne Fisc. vel pri.

Possúntne infames esse procuratores?

Variè disputatur. Olim nec dare, nec dari potuisse, verius est. Paul. lib. 1. t. 3. Id posteà Iustin. §. ult. Inst. de except. sustulit. Communis itaque conclusio est. I. C. posse. Cùm procuratoris officium non sit dignitas, sed onus. gloss. in l. 2. in fin.]. de dign. lib. 12. & à plerisq; pro vili contemptibiliq; functione habetur. l. si quis procurationem. ubi gloss. Barth. Ang. & alij.]. de decur. 10. 1. Pontificio pro Ecclesiasticis personis ignominiosus non admittitur, sed tantùm pro laicis & secularibus. Panor. in c. Imperatorum. nu.9. de jur. cal.

An Syndicus privatorum causas procurare possit?

VVesemb. putat posse. quando non ut Syndicus agit aut defendit, nec totam Vniversitatem repræsentat, sed intervenit tanquam procurator privati, extra sui fines officij, nihil aliud est, quàm persona privata. Dd. in l. 170. nisi aliunde ostendatur gratia, aut potentia ejus, nimis formidolosa.]. Ne liceat potent. nec id novum est propter diversos personarum & rerum respectus. l. tutor. de his quibus ut indig. Everar. in loco. de Tanquam.

In quibus causis & negotiis potest adhiberi procurator?

Prohibitorium est edictum. Quodcunque igitur non invenitur prohibitum, in eo intelligitur concedi. l. 12. de jud. In judiciis publicis non admittitur, neque ad agendum, neque ad defendendum. l. pen. § fin. de pub. jud. l. 2. 3. 5. ꝗ. de ijs qui accus. in non publicis, quæ tamen criminalia sunt, ut pœna supra relegationem, queat damnato imponi. l. 1. an per ali. caus. appel. Dd. in d. l. pen. nisi absente reo, absentiæ causas reddat. l. 71. h. t. Dd. in d. l. 1. aut nisi quis suam suorumq; injuriam persequatur. Barth. in l. 42. Maran. part. 4. distinct. 1. num. 41. Mar. d. l. Aut actio criminalis civiliter sit instituta, puta ad pœnam pecuniariam. l. unic. ꝗ. quoad act. cri. ci. pra. Moribus indistinctè procurator. Quia non tenetur ad pœnam talionis, sed ad sumptus & mulctam pecuniariam, si defecerit in accusando. Chil. c. 47. Fach. diff. 41.

Númne quoque in famosis judiciis recipietur Procurator?

Negare videtur, l. non solùm. 39. §. fin. h. t. contrà. l. licet. 42. h. t. Verùm ista, distinctione ritè possunt conciliari. Nam ubi certa pœna famosis actionibus præstituta est, aut minor pœna quàm sit relegatio, petitur, hic recipitur. d. l. licet. Vbi arbitraria, sicut de suspecto tutore quæritur: aut cùm agitur actione injuriarũ Prætoria aut in certa pœna petitur, & procurator repudiari potest. Maran. par. 4. dis. nu. 25. & 37. Nam arbitraria coerctio pro ratione circumstantiarum augeri potest, & minui, & usque ad pœnam capitis extendi, ut est communis op l. sacrilegij. ad l. Iul. pec. gloss. & Dd. in §. in summa. verb. extraordinaria. Inst. de injur. Sed objecerit quis illud. Causa famosa capitali comparatur. Respondendum hoc non simpliciter dici, sed secundum quid, puta in delatione juramenti & similibus. Totum illud, de quo antè, non æstimamus qualitate & gravitata causæ, sed pœna, quæ ex eadem ratione sequitur.

Quid nónne & in popularibus procuratoris opera utimur?

Distingui solet, ut actor quidem eum dare non posset. Quoniam publica non sua causa est, nisi suam principaliter injuriam persequatur: pro reo autem rectè alius interveniat, quia privatam causam, hoc

est,

est, pecuniariam, quæ istis actionibus peti solet, tuetur. l. 42. 45. §. 2. h. t. l. 5. de pop. act. Item in interdicto de Lib. exhibendis, procurator non admittitur ex parte agentis, quia personalis, & soli patri, jure patria potestatis, competit.

Quæ forma est constituendi procuratoris?

Constituitur consensu vel tacito, vel expresso, hoc per pactum. l. 1. nuncium, literas. d. l. 1. in fin. h. t. ratihabitionem l. in causa 27. Myn. obs. 44. cent. 1. Tacito, quando dominus præsens patitur, alterum suum negotium agere. l. 18. mand. aut quoniam mulier permittit causas suas marito. l. 21. h. aut quoties jussum vel literas accipiens, non contradicit. l. 65. h. t. Item, in diem, sub conditione: generaliter, specialiter. l. 60. h. t. cum libera. d. l. & l. 63. c. 4. §. si ego. lib. 6. eod. Item, vel in judicio, vel extra judicium.

Quomodo in judicio?

Ex parte agentis, si dominus mandatum actis insinuet, hoc est, literas mandati offerat judici, aut mittat, & ad acta redigi curet: aut si ipse coram judice procuratorem eligat, ejusq; personam confirmet, et se ratum habiturum *(quæ promissio ratihabitionis necessaria est) quidquid ille gesserit, polliceatur ac caveat. l. 65. ubi Barth. & Dd. h. t.*

Quomodo extra judicium?

Aut coràm notario, & testibus: aut si is haberi nequit, privato, vel literis (quod firmius est) publico sigillo consignatis. d. l. ubi Bar. n. 3. Quo casu cùm de mandato constet, non cogitur procurator cavere, Rem Rat. hab. l. unic. J. de satisd.

Quid si nullum exhibere mandatum posset?

Tunc ne offerens quidem cautionem, invito adversario, nisi pro conjuncta persona recipitur. l. 35. h. t. l. 12. 21. h. Sin autem probabiliter dubitetur, utrum quis mandatum habeat, nec ne, hoc casu cum cautione de rato admittitur. §. si verò in pers. Inst. de satisd. Cuiac. obs. 7. c. 26. ut si proferat in judicio mandatum, aliquo modo mutilum, aut insufficiens. Ita communiter gloss. & Dd. distinguunt in l. 1. h.

Quomodo Procurator rei constituitur?

Eodem modo: sed adhibita cautione Iudicatum solvi. *l. 6. judic. sol. eoq; nomine hypothecam suorum bonorum supponere pignori reus debet. l. 46. h. t. §. sin autem. Inst. de satisd. Quod si ipse principalis hanc satisdationem non præstiterit, ad eam indistinctè compellitur pro-*

curator, nec antè recipitur, quàm caverit de judicato solvendo. l. unic.].de satisd. etiamsi apud acta fuerit constitutus. Spec. de procur. §. ratione. nu. 4. Nec enim rectè cautum est adversario Si à neutro talis satisdatio præstetur. Unde Regula: Neminem in re aliena idoneum fore defensorem, nisi qui satisdet de judicato solvendo. *d. l. 46. §. 1. Barth. in l. 65. nu. 1. ubi addit: Etiamsi mandatum habeat idoneum procurator, tamen ad hanc satisdationem teneri, nisi dominus ipse satisdederit. per l. unic.]. de satisd.*

Quæ est forma instrumenti procuratorii?

Continere debet nomen constituentis & procuratoris constituti, contra quem, in qua causa, coram quo judice, & ad quos actus eligatur. Spec. in d. § nu. 10. Solent item præcipui actus exprimi, puta ad agendum, offerendum, recipiendum libellum, excipiendum, litem contestandam, producendum testes, audiendam sententiam.

Súntne quæ speciale mandatum requirunt?

Quidni? ut juramentum deferre, referre, præstare. l. 18. §. fin. de jurejur. transigere, pacisci, petere in integrum restitutionem. Ideò qui plenè vult mandare, aliquod horum exprimere debet. Concedo potestatem jurisiurandi deferendi *etc. Ac posteà subjicere generalem clausulam:* Et omnia reliqua agendi, quæ ipse dominus præsens agere possem. *c. 4. eod. n 6. atque omni instrumento procuratorio debet inseri talis clausula,* Ratum haberi, quicquid procurator gesserit. *d. l. 65. ubi Barth.*

Quomodo procuratorium probatur instrumentum?

Aut instrumentis, aut testibus, aut præsumptione.

Instrumentis aut privato, aut publico. c. 9 eod. ut tùm per acta publica, aut instrumentum à notario aut domino confectum de mandato doceatur. d. l. 65.

Testibus, ut quando coram duobus, vel pluribus testibus nuncupatur procurator, qui posteà de mandato, testimonium perhibent. Barth. in d. l. 65. nu. 3.

Præsumptione, si fuerit procurator ex sanguine conjunctis. l. 35. Item, si constet dominum esse præsentem, neque contra dicere agenti. l. 18. Si proferantur ab eo instrumenta principalis negotii. Bald. in l. si mulier. 11. nu. 2.]. de pact. con. quæ nemo alicui sine mandato cessurus præsumitur. Bald. d. l.

Quis

Quis est effectus suscepti procuratorii mandati?

Hic est, ut qui suscepit, cogatur etiam invitus exequi & absolvere auctoritate magistratus. l.8. §.fin. l.35.§.fin. nisi justissima causa se excuset, ut ob valetudinem, necessariam peregrinationem, inimicitias inter dominum & procuratorem ortas, aut munus publicè impositum, aut alias repentè incidentes occupationes. Non est aequum, ut ipsi suum sit officium damnosum. l. 7. quemadm.test. aper. Post litis contestationem dominus est litis. l. 22. & l.23. h. & post eam potest suo arbitrio substituere. d.l.23. & omnia gerere, facere, ex bona tamen fide. l.35. §. 2. l.46.§. procurator. h t. quae dominus facere posset. l.35.§ defendere. l.39. h.t. & factum ipsius domino nocet & prodest. c. 1. & 2. de confess. nu.6. Alienare, novare, transigere non potest, nisi sit cum libera. l.16.h. nec tunc quidem donare. l.22.ff. de pact. imò omnes citationes in illum sunt dirigendae, non in dominum. l.1.ff. de sent. & interloc.

Nihilne praetereà ad effectum pertinet?

Omninò: Actiones, quae ultrò citróque inter dominum & procuratorem dantur. Nam actio proprius est obligationis effectus. l.42. §.ca. 2 h.t. Vbi Dd. Atque hinc Directa mandati actio oritur, quam dominus in procuratorem variis ex causis intentare potest.

1. Si mandatum susceptum exequi nolit. l. 8. §. etsi. h. t. l.8. §. etsi mand.

2. Si in officium aliquid detrimenti, per dolum & culpam intulit. l.38. §. si quis de poen.

3. Si per injuriam, aut collusionem, adversarium absolvi passus est. d. l. 8.

4. Vt rationem omnium quae ex mandato consecutus est, sive justè, sive injustè reddat, quaesitásque cedat actiones. l.46. §. 4. l. 8. §. fin. cum ll. seqq. utiles etiam sunt cessione, quia qui per alium, ipse quodammodo contraxisse intelligitur. c. qui facit. de R. I. nu. 6. Contraria competit procuratori.

1. Vt si quid praestitit ex mandato domini, id consequatur. l.31. d. l. 46. §. 4. Aequum est, ut impendia recipiat, siquidem bona fide expendit.

2. Si verò quid extra mandatum utiliter, quod dominus verisimili-

ter insumpturus videbatur, Negotiorum gestorum habet ad id actionem. l. 41. h. t.

3. *Quin & retentione rerum quæsitarum uti potest, nec ante rationes reddere tenetur, quàm sit illi planè satisfactum. l. 25. cum l. seq. h. t.*

4. *Potest etiam petere, si dominus solvendo non sit, ut ipsi (actoris scilicet procuratori) ex judicato satis fiat. l. 30. h. t. Quod de impendiis, idem in salario valet. l. 7. cum ll. seqq. l. 56. §. fin. mand. l. 17. ȷ. mand.*

Declara aliquot regulis, quæ sit interpretatio contractus procuratorii?

1. *Procurator constitutus ad petitorium persequendum judicium, videtur etiam ad præparatoria & possessoria constitutus. l. 58. l. 62. h. t.*

2. *Sic in duplicibus judiciis datis ad agendum, & ad defendendum intelligitur. l. 15. in fin. h. t.*

3. *Procurator datus ad agendum, intelligitur datus sine præfinitione temporis, ut vel statim agat, vel ex intervallo, cùm erit oportunum. l. 57. h. t.*

4. *Procurator omnibus causis suffectus, videtur etiam datus futuris. Spec. h. t. §. ration. for. nu. 8. 9. non tamen criminalibus. idem num. 8.*

5. *In nullum mandatum, quamlibet generale veniunt criminalia, nedum crimen ipsum. l. 60. §. pen. mand. aut donandi potestas. l. 4. ȷ. de novat.*

6. *Quando plures procuratores simul dantur, non intelliguntur in solidum dati, sed pro parte tantùm, ut alter sine altero agere non possit, nisi aliter fuerit cautum. c. si duo. x. h. t.*

7. *Si Procurator generale & speciale mandatum habeat: aut duo diversa mandata: siquidem diversis temporibus sint data, posterius derogabit priori. l. pacta novissima. s. de pact. Si item sit tempus in utroque, specialius antefertur generali. c. non injustè. x. de procur.*

8. *Si quid obscuritatis in mandato sit, putant potiùs pro procuratore interpretandum, quod imputandum domino sit, quod legem instrumenti non dixerit apertius. l. 39. de pact. l. labeo. 2. de contrah. empt.*

Quo-

Quomodò differunt Procurator & Advocatus?

Quicquid filiusfamiliâs ex patrocinio quærit, sibi, non patri, parat, tanquam peculium castrense. l. fin. ℥. de inoff. test. secus in procuratione. quia non est autoramentum alicujus doctrinæ vel ingenij, sed solummodo quæstus communis negotiationis, & mercantiæ. Bald. in l. cum oportet. ℥. de bon. quæ lib. Ideò quo ad usumfructum patri. Procurator tantum communes operas in tractanda seu sollicitanda causa præstat: Advocatus autem navat operam singularis doctrinæ, atque honestissimæ artis in causa aliena ex jure defendenda. Procurator velut administer administrat & servit domino: Advocatus meritis causæ: ille agit nomine litigatoris, hic ex suo officio causam agit, & jus ejus ostendit & defendit, velut justitiæ antistes, auctor & tutor, & vindex. Ideò Procuratoris officium vilius, ut à decurionibus, nobilibus, militibus exerceri non possit. l. 16. l. 34. ℥. de decur. lib. 10. At advocati officium publicum, plenúmque dignitatis, & militiæ privilegiis cohonestatum. l. laudabile. cum ll. seqq. ℥. de ad. divers. jud.

Quid interest inter Notarios & Procuratores?

Notariorum officium magis publicum est. c. quoniam. X. de prob. procuratoris privatum: sed nuncius similior est procuratori. Vnde sæpenumerò promiscuè nuncij & procuratores appellantur. c. 19. de test. ita tamen, ut procurator sit causæ dominus, nuncius nequaquam, sed nudus executor vicem gerens epistolæ, seu vocis, sive organi, sive instrumenti. Spec. in d. tit. de procur. §. ubi autem. nu 5. item affinitatem magnam cum his habent Cognitores, Negotiorum gestores, Vindices, Syndici, Actores.

Quomodò revocatur procuratio?

Regula est: Vnumquodque eodem modo dissolvi, quo colligatum est. l. 38. de pact. l. Nihil tam. de R. I. Re integrâ potest, et ante litem contestatam. l. 16. h. t. l. 5. de jurisd. Id non solùm in judicio, sed etiam extra judiciũ locum habet, aliàs damno afficeretur mandatarius. §. rectè Inst. mand. Item fortunæ mutatione, calamitate, si solvendo esse desierit, vel tacitè extinguitur. l. 38. 82. ubi Barth. de sol.

Possitne igitur post litis contestationem revocari?

Non nisi justis de causis, si ætas procuratoris minus apta negotiis: item

item valetudo, occupationes & reliqua impedimenta, quibus dominus ita distringi procuratorem animadvertit, ut suis negotiis commodè praeesse nequeat. l. 17. cum mult. seqq. h. t. item suspiciones, inimicitiae, affinitates, & amicitia cum adversario. l. 21. cum seqq. h. t. contra & procurator ex iisdem causis petere potest, ut isto onere levetur. l filiusfam. cum seqq. h. t. nec in secunda instantia cogitur operam prabere. l. 17. ubi Dd. hic. finitur etiam morte. Nam quodcunque voluntate, id etiam plerumque morte revocatur. l. 4. in fin. locat. Si dominus moriatur re integrâ, procurator ne haredibus quidem est obligatus. l. 15. h. t. d. §. rectè. Sed mortuo procuratore, etiamsi res desierit esse integra, commoritur obligatio. l. 57. de jud. quod electa videtur esse personae industria. l. unic. §. ubi autem. C. de cad. toll. Objiciuntur & procuratoribus exceptiones, quae à re Procuratoria dicuntur.

Quænam?

Vel dilatoria: quia opponuntur non ut peremptoria post litem contestatam, sed ut dilatoria ante litis contestationem. l. 13. ubi Dd. h. petuntur ista:

1. Vel à defectu causae efficientis, si allegetur esse Falsum mandatum Dolo, Errore, vel Metu expressum: si negetur constituens jus habuisse, ut puta, quia non dominus. l. neque. h. Excommunicatus, c. Fin. filiusfam. Si non Intelligat procurator causam, nec possit tractare commodè. l. 29. h. t. c. in pertractandis. de jur. cal. Reus criminis l. 6. h. Redemptor litis. l. 15. h. Clericus. l. 17. de E. & Cler. Minor, Servus, Miles, C. qui leg. pers. stand. Breviter. Paria sunt vel non esse, vel non legitimo modo esse. § sciendum. 3. de satisd. tit. l. 5. qui satisd.

2. Vel ex defectu materiae, nempe si causa non admittat procuratorem, Criminalis, Popularis. Si non congruat mandatum, ac generale sit, cùm opus sit speciali. c. 6. nu. 6. eod. ut in causa Restitutionis Dd. in l. unic. C. etiam per proc. caus. in integ. Matrimonii & sponsaliorum. c. 1. & 2. de despons. impub. Suspecti tutores. l. 39. §. fin. h. t. Iusiurandi. l. 17. §. fin. h. t. Transactionis. l. 60. h. t.

3. Vel defectu formae: si mandatum Insufficiens, perhibeatur, si nec Clausulas habeat usitatas, aut habeat inusitatas, si nō Ritè, Plenè, Clarè conscriptum, si non Authenticè sigillatum. l. 22. ubi Bald. ff. de E. & Cler. Mutilatum, aut non debita Forma transmissum ad judicem vel adversarium.

Ne liceat potentioribus patrocinium litigantibus præstare, vel actiones in se transferre. tit. 14. const. 2.

Quæ Continuatio?

Videtur pars tituli superioris. Nam vetat potentiores, id est, eos, qui potentiâ gratiâ, opibus, dignitate & eruditione, ac denique quavis excellentiâ pollent, l.1.h. ad agendum procuratores fieri, & nomen suum accommodare. Quia, ut hujus. l. 3. de alien. jud, mut. caus. mediocres & tenues pares potentioribus esse nequeunt. Idq; etiam Pind. expressisse videtur: χαλεπὰ δ᾽ ἔρις ἀνθρώποισιν ὁμιλεῖν κρεισσόνων. *Et Hesiod.* ἄφρων δ᾽ ὅς κ᾽ ἐθέλοι πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν. *Et hoc ipso patrocinio, pars adversa prægraveretur. Et hic est abusus rei salutaris, sic vitia virtutes imitantur, & prætextu licitorum illicita tentantur.*

Quæ origo & occasio hujus constitutionis?

Edictum seu lex Mar. Aurelij Claudij, quâ prohibitum est potentioribus, qui in ordine Advocatorum non sint, patrocinium formidolosum aliis contra alios præstare, vel postulando, vel procurando. l.1. verb. seu procuratores, vel intercessionibus. d.l. defensionibus, suffragiis occultis. Cast. h. n.3. Quare cessante hac causa, licet potentiorem defensorem adsciscere, ut contra vim æquè potentis Cast. l.1.nu.2. per l. cum pater. § filio. in fin. de l.2. Suscipit alienam litem potentior, vel mercede data, ut si quis alienam litem pecunia redimat, ejus, qui actione tenetur, lacessendi, ulciscendi, vexandi causa, quod est odiosum & invidiosum, & merà ἐργολαβία*: vel mercede accepta, ut si quis alienam litem agendam suscipiat quasi suam, sub pactione vel quarta, vel tertia, vel dimidiæ partis, quod leges vetant. l. 20. ÿ. mand. l.litem. ff. de procur. l.5. ff. de post. vid. Cuiac. 8.obs.31.*

Cur prohibitum?

Vt judiciariæ lites suo potiùs decurrant Marte, quàm alienis copiis, aut opibus nitantur, aut corrumpantur. l.1. h. qui vicinis & aliis, obtentu

tentu possessionis alienæ, suæq; dignitatis graves esse non debent. l. milites. 31. l. fin.] locat.

Quæ pœna irrogatur contra prohibitionem facientibus?

Litigatoribus imminet amissio causæ. l. 2. h. damno litis plectuntur, & causâ cadunt, qui vel cedunt potentioribus, litis redemptoribus actiones suas. d. l. 2. vel ab iisdem formidolosum patrocinium accersunt, l. 1. ipsi verò potentiores qui tale quid committunt, arbitrariè, causa cognitâ, puniuntur. l. 1. ubi Bal. h. Eadem ratione curatores & milites prohibentur, titulo conductionis aliena procurare. l. 30. 31. ult.] loc. quod si contrà fiat, nec ex tali contractu nascitur obligatio, nec actio. dd. ll. & militiâ miles, & reditibus locator privatur. d. l. ult. Sunt et affines constitutiones, interminantes eandem ob causam, ut nemo ad patrocinium recipiat rusticanos, vel vicos eorum. t. t.]. ut nemo ad suum. pat. sus. vic. Vocantur hi actionum alienarum susceptores, redemptores, ἐργολάβοι, quadruplatores, sycophantæ, qui compendia sua comparant & consectantur ex aliorum incommodis. (vorare debitorem suum velle is videtur, qui suas in eum actiones potentiori cedit.)

Cur hoc titulo patrocinii nomine procuratio potiùs, quàm advocatio significatur?

Quoniam non minus, imò magis patrocinium litiganti præstat procurator, qui litis dominus quasi rem suam agit, instat, imminet magis rei semper, quàm advocatus.

De his qui potentiorum nomine titulos prædiis adfigunt, vel eorum nomina in lite prætendunt. tit. 15. const. unic.

Quæ Continuatio?

Pergit de potentioribus agere, qui in eadem vel potiùs in graviore causa & pœna hærent, qui litigiosis (de quibus etiam lis timetur) prædiis potentiorum nomine titulos adfigunt. h. ne rei qui conveniuntur suo

tur suo nomine, contradictoriis libellis falsa nomina Senatorum, vel aliorum potentum inserant, ne falsos titulos prædiis, quorum nomine conveniuntur, imponant, qui prædia scilicet adserant potentioribus. Quod plerumque faciunt possessores vel diffidentiâ causæ suæ, vel adversarij perterrefaciendi, aut submovendi gratiâ, dum ita scilicet quodammodo negant suum esse prædium, & adserunt ejus esse, quem titulus commendat. De qua D. Augustinus ps. 21. Ne domum ipsius petat aliquis, ponit ibi titulos potentis, titulos mendaces, ipse vult esse possessor, & frontem domus suæ de titulo alienæ muniri, ut cùm titulus lectus fuerit, conterritus quis potentiâ nominis abstineat à petitione. VV. Cui h. imò non licet etiam sine titulo in litibus potentioris nomen ementiri & prætendere, quod est ἰπφημίζειν, ad deterrendum adversarium, laudantes hunc autorem, possessorem jus habentem, cui tanquam ejus intersit, litem denunciare oportet. l. 2.] . ubi in rem.

Quos vocas hic titulos?

Tituli dicti à tuendo, & indicando, quia tuetur & indicat id qui superscribitur, ne incidat ambiguitas, ut cognoscatur & constet cujus sit: ita significat hoc loco, arma, insignia, nomen potentum, vel signa sive σήμαντρα, σφραγίδας, δείγματα, characteres. quasi horum sit possessio, aut eorum tutela, & (ut nunc loquimur) salva guardia, res commissa sit.

Quâ pœnâ afficiuntur?

Qui hujusmodi titulis scientes connivent, afficiendi sunt publicæ sententia notâ,] . Potens, qui hæc fieri scit & patitur, ipso jure notatur infamiâ, quasi redemptor calumniæ & αὐτομάτως notantur, etjamsi nulla condemnatio intervenerit: Is autem, qui potentum nomine abutitur, causa cadit, vel si injustam causam, plumbatis cæsus damnatur in metallum. l. unic. h. Augustin. in sermon. In ipsis deprecationibus suis titulum Christi posuerunt hæretici, ut prædæ ipsorum defenderentur per titulum potentis. Quid facit Christus? ejicit prædatorum, titulum non deponit, & possidet domum quia invenit titulum suum.

Rectè quidem prohibentur inferendi alteri metus causa, sed quid si depellendi metus & periculi causa, tituli petantur, & concessi affigãtur?

Actus

In quibus causis & negotiis potest adhiberi procurator?

Prohibitorium est edictum. Quodcunque igitur non invenitur prohibitum, in eo intelligitur concedi. l.12. de jud. In judiciis publicis non admittitur, neque ad agendum, neque ad defendendum. l. pen. § fin. de pub. jud. l.2.3. 5. ff. de ijs qui accus. in non publicis, quae tamen criminalia sunt, ut pœna supra relegationem, queat damnato imponi. l. 1. an per ali. caus. appel. Dd. in d.l. pen. nisi absente reo, absentiæ causas reddat. l. 71. h. t. Dd. in d. l.1. aut nisi quis suam suorumq; injuriam persequatur. Barth. in l.42. Maran. part. 4. distinct. 1. num. 41. Mar. d. l. Aut actio criminalis civiliter sit instituta, puta ad pœnam pecuniariam. l. unic. ff. quoad act. cri. ci. pra. Moribus indistinctè procurator. Quia non tenetur ad pœnam talionis, sed ad sumptus & mulctam pecuniariam, si defecerit in accusando. Chil. c.47. Fach. diff. 41.

Númne quoque in famosis judiciis recipietur Procurator?

Negare videtur, l. non solùm. 39. §. fin. h. t. contrà. l. licet. 42. h. t. Verùm ista, distinctione ritè possunt conciliari. Nam ubi certa pœna famosis actionibus præstituta est, aut minor pœna quàm sit relegatio, petitur, hic recipitur. d. l. licet. Vbi arbitraria, sicut de suspecto tutore quæritur: aut cùm agitur actione injuriarũ Prætoria aut in certa pœna petitur, & procurator repudiari potest. Maran. par. 4. dis. nu. 25. & 37. Nam arbitraria coërctio pro ratione circumstantiarum augeri potest, & minui, & usque ad pœnam capitis extendi, ut est communis op l. sacrilegij. ad l. Iul. pec. gloss. & Dd. in §. in summa. verb. extraordinaria. Inst. de injur. Sed objecerit quis illud. Causa famosa capitali comparatur. Respondendum hoc non simpliciter dici, sed secundum quid, puta in delatione juramenti & similibus. Totum illud, de quo antè, non æstimamus qualitate & gravitate causa, sed pœna, quæ ex eadem ratione sequitur.

Quid nónne & in popularibus procuratoris opera utimur?

Distingui solet, ut actor quidem eum dare non posset. Quoniam publica non sua causa est, nisi suam principaliter injuriam persequatur: pro reo autem rectè alius interveniat, quia privatam causam, hoc est,

est, pecuniariam, quæ istis actionibus peti solet, tuetur. l.42. 45.§.2. h.t. l.5. de pop. act. Item in interdicto de Lib. exhibendis, procurator non admittitur ex parte agentis, quia personalis, & soli patri, jure patria potestatis, competit.

Quæ forma est constituendi procuratoris?

Constituitur consensu vel tacito, vel expresso, hoc per pactum. l. 1. nuncium, literas. d. l. 1. in fin. h. t. ratihabitionem l. in causa 27. Myn. obs. 44. cent. 1. Tacito, quando dominus præsens patitur, alterum suum negotium agere. l. 18. mand. aut quoniam mulier permittit causas suas marito. l. 21. h. aut quoties jussum vel literas accipiens, non contradicit. l. 65. h. t. Item, in diem, sub conditione: generaliter, specialiter. l. 60. h. t. cum libera. d. l. & l. 63. c. 4. §. si ego. lib. 6. eod. Item, vel in judicio, vel extra judicium.

Quomodo in judicio?

Ex parte agentis, si dominus mandatum actis insinuet, hoc est, literas mandati offerat judici, aut mittat, & ad acta redigi curet: aut si ipse coram judice procuratorem eligat, ejusq; personam confirmet, et se ratum habiturum *(quæ promissio ratihabitionis necessaria est) quidquid ille gesserit, polliceatur ac caveat. l. 65. ubi Barth. & Dd. h. t.*

Quomodo extra judicium?

Aut coràm notario, & testibus: aut si is haberi nequit, privato, vel literis (quod firmius est) publico sigillo consignatis. d. l. ubi Bar. n. 3. Quo casu cùm de mandato constet, non cogitur procurator cavere, Rem Rat. hab. l. unic. J. de satisd.

Quid si nullum exhibere mandatum posset?

Tunc ne offerens quidem cautionem, invito adversario, nisi pro conjuncta persona recipitur. l. 35. h. t. l. 12. 21. h. Sin autem probabiliter dubitetur, utrum quis mandatum habeat, nec ne, hoc casu cum cautione de rato admittitur. §. si verò in pers. Inst. de satisd. Cuiac. obs. 7. c. 26. ut si proferat in judicio mandatum, aliquo modo mutilum, aut insufficiens. Ita communiter gloss. & Dd. distinguunt in l. 1. h.

Quomodo Procurator rei constituitur?

Eodem modo: sed adhibita cautione Iudicatum solvi. *l. 6. judic. sol. eoq; nomine hypothecam suorum bonorum supponere pignori reus debet. l. 46. h. t. §. sin autem. Inst. de satisd. Quod si ipse principalis hanc satisdationem non præstiterit, ad eam indistinctè compellitur pro-*

curator, nec antè recipitur, quàm caverit de judicato solvendo. l. unic. J. de satisd. etiamsi apud acta fuerit constitutus. Spec. de procur. §. ratione. nu. 4. Nec enim rectè cautum est adversario. Si à neutro talis satisdatio præstetur. Unde Regula: Neminem in re aliena idoneum fore defensorem, nisi qui satisdet de judicato solvendo. *d. l. 46. §. 1. Barth. in l. 65. nu. 1. ubi addit: Etiamsi mandatum habeat idoneum procurator, tamen ad hanc satisdationem teneri, nisi dominus ipse satisdederit. per l. unic. J. de satisd.*

Quæ est forma instrumenti procuratorii?

Continere debet nomen constituentis & procuratoris constituti, contra quem, in qua causa, coram quo judice, & ad quos actus eligatur. Spec. in d. § nu. 10. Solent item præcipui actus exprimi, puta ad agendum, offerendum, recipiendum libellum, excipiendum, litem contestandam, producendum testes, audiendam sententiam.

Súntne quæ speciale mandatum requirunt?

Quidni? ut juramentum deferre, referre, præstare. l. 18. §. fin. de jurejur. transigere, pacisci, petere in integrum restitutionem. Ideò qui plenè vult mandare, aliquod horum exprimere debet. Concedo potestatem jurisjurandi deferendi *etc. Ac posteà subjicere generalem clausulam:* Et omnia reliqua agendi, quæ ipse dominus præsens agere possem. *c. 4. eod. n 6. atque omni instrumento procuratorio debet inseri talis clausula,* Ratum haberi, quicquid procurator gesserit. *d. l. 65. ubi Barth.*

Quomodo procuratorium probatur instrumentum?

Aut instrumentis, aut testibus, aut præsumptione.

Instrumentis aut privato, aut publico. c. 9 eod. ut tùm per acta publica, aut instrumentum à notario aut domino confectum de mandato doceatur. d. l. 65.

Testibus, ut quando coram duobus, vel pluribus testibus nuncupatur procurator, qui posteà de mandato, testimonium perhibent. Barth. in d. l. 65. nu. 3.

Præsumptione, si fuerit procurator ex sanguine conjunctis. l. 35. Item, si constet dominum esse præsentem, neque contra dicere agenti. l. 18. Si proferantur ab eo instrumenta principalis negotii. Bald. in l. si mulier. 11. nu. 2. J. de pact. con. quia nemo alicui sine mandato cessurus præsumitur. Bald. d. l.

Quis

Quis est effectus suscepti procuratorii mandati?

Hic est, ut qui suscepit, cogatur etiam invitus exequi & absolvere auctoritate magistratus. l.8. §.fin. l.35.§.fin. nisi justissima causa se excuset, ut ob valetudinem, necessariam peregrinationem, inimicitias inter dominum & procuratorem ortas, aut munus publicè impositum, aut alias repentè incidentes occupationes. Non est aequum, ut ipsi suum sit officium damnosum. l. 7. quemadm.test. aper. Post litis contestationem dominus est litis. l. 22. & l.23. h. & post eam potest suo arbitrio substituere. d.l.23. & omnia gerere, facere, ex bona tamen fide. l.35. §. 2. l.46.§. procurator. h t. quae dominus facere posset. l.35.§ defendere. l.39. h.t. & factum ipsius domino nocet & prodest. c. 1. & 2. de confess. nu.6. Alienare, novare, transigere non potest, nisi sit cum libera. l.16.h. nec tunc quidem donare. l.22.ff. de pact. imò omnes citationes in illum sunt dirigendae, non in dominum. l.1. C. de sent. & interloc.

Nihílne præterea ad effectum pertinet?

Omninò: Actiones, quae ultrò citróque inter dominum & procuratorem dantur. Nam actio proprius est obligationis effectus. l.42. §.ea. 2 h.t. Vbi Dd. Atque hinc Directa mandati actio oritur, quam dominus in procuratorem variis ex causis intentare potest.

1. Si mandatum susceptum exequi noluit. l. 8. §. etsi. h. t. l.8. §. etsi mand.

2. Si in officium aliquid detrimenti, per dolum & culpam intulit. l.38. §. si quis de poen.

3. Si per injuriam, aut collusionem, adversarium absolvi passus est. d. l. 8.

4. Vt rationem omnium quae ex mandato consecutus est, sive justè, sive injustè reddat, quaesitásque cedat actiones. l.46. §. 4. l.8. §.fin. cum ll. seqq. utiles etiam sunt cessione, quia qui per alium, ipse quodammodo contraxisse intelligitur. c. qui facit. de R. I. nu. 6. Contraria competit procuratori.

1. Vt si quid praestitit ex mandato domini, id consequatur. l.31. d. l. 46. §. 4. Æquum est, ut impendia recipiat, siquidem bona fide expendit.

2. Si verò quid extra mandatum utiliter, quod dominus verisimili-

ter insumpturus videbatur, Negotiorum gestorum habet ad id actionem. l. 41. h. t.

3. *Quin & retentione rerum quæsitarum uti potest, nec ante rationes reddere tenetur, quàm sit illi planè satisfactum. l. 25. cum l. seq. h. t.*

4. *Potest etiam petere, si dominus solvendo non sit, ut ipsi (actoris scilicet procuratori) ex judicato satis fiat. l. 30. h t. Quod de impendiis, idem in salario valet. l. 7. cum ll. seqq. l. 56. §. fin. mand. l. 17. J. mand.*

Declara aliquot regulis, quæ sit interpretatio contractus procuratorii?

1. *Procurator constitutus ad petitorium persequendum judicium, videtur etiam ad præparatoria & possessoria constitutus. l. 58. l. 62. h. t.*

2. *Sic in duplicibus judiciis datis ad agendum, & ad defendendum intelligitur. l. 15. in fin. h. t.*

3. *Procurator datus ad agendum, intelligitur datus sine præfinitione temporis, ut vel statim agat, vel ex intervallo, cùm erit oportunum. l. 57. h. t.*

4. *Procurator omnibus causis suffectus, videtur etiam datus futuris. Spec. h. t. §. ration. for. nu. 8. 9. non tamen criminalibus. idem num. 8.*

5. *In nullum mandatum, quamlibet generale veniunt criminalia, nedum crimen ipsum. l. 60. §. pen. mand. aut donandi potestas. l. 4. J. de novat.*

6. *Quando plures procuratores simul dantur, non intelliguntur in solidum dati, sed pro parte tantùm, ut alter sine altero agere non possit, nisi aliter fuerit cautum. c. si duo. X. h t.*

7. *Si Procurator generale & speciale mandatum habeat: aut duo diversa mandata: siquidem diversis temporibus sint data, posterius derogabit priori. L. pacta novissima. S. de pact. Si item sit tempus in utroque, specialius antefertur generali. c. non injustè. X. de procur.*

8. *Si quid obscuritatis in mandato sit, putant potiùs pro procuratore interpretandum, quod imputandum domino sit, quod legem instrumenti non dixerit apertius. l. 39. de pact. l. labeo. 2. de contrah. empt.*

Quo-

Quomodò differunt Procurator & Advocatus?

Quicquid filiusfamiliâs ex patrocinio quærit, sibi, non patri, parat, tanquam peculium castrense. l. fin. C. de inoff. test. secus in procuratione. quia non est autoramentum alicujus doctrinæ vel ingenij, sed solummodo quæstus communis negotiationis, & mercantiæ. Bald. in l. cum oportet. C. de bon. quæ lib. Ideò quo ad usumfructum patri. Procurator tantum communes operas in tractanda seu sollicitanda causa præstat: Advocatus autem navat operam singularis doctrinæ, atque honestissimæ artis in causa aliena ex jure defendenda. Procurator velut administer administrat & servit domino: Advocatus meritis causæ: ille agit nomine litigatoris, hic ex suo officio causam agit, & jus ejus ostendit & defendit, velut justitiæ antistes, auctor & tutor, & vindex. Ideò Procuratoris officium vilius, ut à decurionibus, nobilibus, militibus exerceri non possit. l. 16. l. 34. C. de decur. lib. 10. At advocati officium publicum, plenúmque dignitatis, & militiæ privilegiis cohonestatum. l. laudabile. cum ll. seqq. C. de ad. divers. jud.

Quid interest inter Notarios & Procuratores?

Notariorum officium magis publicum est. c. quoniam. X. de prob. procuratoris privatum: sed nuncius similior est procuratori. Vnde sæpenumerò promiscuè nuncij & procuratores appellantur. c. 19. de test. ita tamen, ut procurator sit causæ dominus, nuncius nequaquam, sed nudus executor vicem gerens epistolæ, seu vocis, sive organi, sive instrumenti. Spec. in d. tit. de procur. §. ubi autem. nu 5. item affinitatem magnam cum his habent Cognitores, Negotiorum gestores, Vindices, Syndici, Actores.

Quomodò revocatur procuratio?

Regula est: Vnumquodque eodem modo dissolvi, quo colligatum est. l. 38. de pact. l. Nihil tam. de R. I. Re integrâ potest, et ante litem contestatam. l. 16. h. t. l. 5. de jurisd. Id non solùm in judicio, sed etiam extra judiciũ locum habet, aliàs damno afficeretur mandatarius. §. rectè Inst. mand. Item fortunæ mutatione, calamitate, si solvendo esse desierit, vel tacitè extinguitur. l. 38. 82. ubi Barth. de sol.

Possítne igitur post litis contestationem revocari?

Non nisi justis de causis, si ætas procuratoris minus apta negotiis: item

item valetudo, occupationes & reliqua impedimenta, quibus dominus ita distringi procuratorem animadvertit, ut suis negotiis commodè praeesse nequeat. l. 17. cum mult. seqq. h. t. item suspiciones, inimicitiæ, affinitates, & amicitia cum adversario. l. 21. cum seqq. h. t. contra & procurator ex iisdem causis petere potest, ut isto onere levetur. l filiusfam. cum seqq. h. t. nec in secunda instantia cogitur operam prabere. l. 17. ubi Dd. hic. finitur etiam morte. Nam quodcunque voluntate, id etiam plerumque morte revocatur. l. 4. in fin. locat. Si dominus moriatur re integrâ, procurator ne haredibus quidem est obligatus. l. 15. h. t. d. §. rectè. Sed mortuo procuratore, etiamsi res desierit esse integra, commoritur obligatio. l. 57. de jud. quod electa videtur esse personæ industria. l. unic. §. ubi autem. J. de cad. toll. Objiciuntur & procuratoribus exceptiones, quæ à re Procuratoria dicuntur.

Quænam?

Vel dilatoria: quia opponuntur non ut peremptoria post litem contestatam, sed ut dilatoria ante litis contestationem. l. 13. ubi Dd. h. petuntur ista:

1. Vel à defectu causæ efficientis, si allegetur esse Falsum mandatum Dolo, Errore, vel Metu expressum: si negetur constituens jus habuisse, ut puta, quia non dominus. l. neque. h. Excommunicatus, c. Fin. filiusfam. Si non Intelligat procurator causam, nec possit tractare commodè. l. 29. h. t. c. in pertractandis. de jur. cal. Reus criminis l. 6. h. Redemptor litis. l. 15. h. Clericus. l. 17. de E. & Cler. Minor. Servus, Miles, J. qui leg. pers. stand. Breviter. Paria sunt vel non esse, vel non legitimo modo esse. § sciendum. 3. de satisd. tit. l. 5. qui satisd.

2. Vel ex defectu materiæ, nempe si causa non admittat procuratorem, Criminalis, Popularis. Si non congruat mandatum, ac generale sit, cùm opus sit speciali. c. 6. nu. 6. eod. ut in causa Restitutionis Dd. in l. unic. J. etiam per proc. caus. in integ. Matrimonii & sponsaliorum. c. 1. & 2. de despons. impub. Suspecti tutores. l. 39. §. fin. h. t. Iusiurandi. l. 17. §. fin. h. t. Transactionis. l. 60. h. t.

3. Vel defectu formæ: si mandatum Insufficiens, perhibeatur, si nec Clausulas habeat usitatas, aut habeat inusitatas, si nō Ritè, Plenè, Clarè conscriptum, si non Authenticè sigillatum. l. 22. ubi Bald. J. de E. & Cler. Mutilatum, aut non debita Forma transmissum ad judicem vel adversarium.

Ne liceat potentioribus patrocinium litigantibus præstare, vel actiones in se transferre. tit. 14. const. 2.

Quæ Continuatio?

Videtur pars tituli superioris. Nam vetat potentiores, id est, eos, qui potentiâ, gratiâ, opibus, dignitate & eruditione, ac denique quavis excellentiâ pollent. l.1.h. ad agendum procuratores fieri, & nomen suum accommodare. Quia, ut hujus. l. 3. de alien. jud, mut. caus. mediocres & tenues pares potentioribus esse nequeunt. Idq; etiam Pind. expressisse videtur: χαλεπὰ δ' ἔρις ἀνθρώποισιν ὁμιλεῖν κρεισσόνων. *Et Hesiod.* ἄφρων δ' ὅς κ' ἐθέλοι πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν. *Et hoc ipso patrocinio, pars adversa prægraveretur. Et hic est abusus rei salutaris, sic vitia virtutes imitantur, & prætextu licitorum illicita tentantur.*

Quæ origo & occasio hujus constitutionis?

Edictum seu lex Mar. Aurelij Claudij, quâ prohibitum est potentioribus, qui in ordine Advocatorum non sint, patrocinium formidolosum aliis contra alios præstare, vel postulando, vel procurando. l. 1. verb. seu procuratores, vel intercessionibus. d.l. defensionibus, suffragiis occultis. Cast. h. n.3. Quare cessante hac causa, licet potentiorem defensorem adsciscere, ut contra vim æquè potentis Cast. l.1.nu.2. per l. cum pater. § filio. in fin. de l.2. Suscipit alienam litem potentior, vel mercede data, ut si quis alienam litem pecunia redimat, ejus, qui actione tenetur, lacessendi, ulciscendi, vexandi causa, quod est odiosum & invidiosum, & mera ἐργολαβία*: vel mercede accepta, ut si quis alienam litem agendam suscipiat quasi suam, sub pactione vel quartæ, vel tertiæ, vel dimidiæ partis, quod leges vetant. l. 20. ʃ. mand. l.litem. s̄. de procur. l.5. s̄. de post. vid. Cuiac. 8.obs.31.*

Cur prohibitum?

Vt judiciariæ lites suo potiùs decurrant Marte, quàm alienis copiis, aut opibus nitantur, aut corrumpantur. l.1. h. qui vicinus & alius, obtentu

tentu possessionis alienæ, suæq; dignitatis graves esse non debent. l. milites. 31. l. fin.] locat.

Quæ pœna irrogatur contra prohibitionem facientibus?

Litigatoribus imminet amissio causæ. l. 2. h. damno litis plectuntur. & causâ cadunt, qui vel cedunt potentioribus, litis redemptoribus actiones suas. d. l. 2. vel ab ijsdem formidolosum patrocinium accersunt, l. 1. ipsi verò potentiores qui tale quid committunt, arbitrariè, causa cognitâ, puniuntur. l. 1. ubi Bal. h. Eadem ratione curatores & milites prohibentur, titulo conductionis aliena procurare. l. 30. 31. ult.] loc. quod si contrà fiat, nec ex tali contractu nascitur obligatio, nec actio. dd. ll. & militiâ miles, & reditibus locator privatur. d. l. ult. Sunt et affines constitutiones, interminantes eandem ob causam, ut nemo ad patrocinium recipiat rusticanos, vel vicos eorum. t. t.]. ut nemo ad suum. pat. sus. vic. Vocantur hi actionum alienarum susceptores, redemptores, ἐργολάβοι, quadruplatores, sycophantæ, qui compendia sua comparant & consectantur ex aliorum incommodis. (vorare debitorem suum velle is videtur, qui suas in eum actiones potentiori cedit.)

Cur hoc titulo patrocinii nomine procuratio potiùs, quàm advocatio significatur?

Quoniam non minus, imò magis patrocinium litiganti præstat procurator, qui litis dominus quasi rem suam agit, instat, imminet magis rei semper, quàm advocatus.

De his qui potentiorum nomine titulos prædiis adfigunt, vel eorum nomina in lite prætendunt. tit. 15. const. unic.

Quæ Continuatio?

Pergit de potentioribus agere, qui in eadem vel potiùs in graviore causa & pœna hærent, qui litigiosis (de quibus etiam lis timetur) prædiis potentiorum nomine titulos adfigunt. h. ne rei qui conveniuntur suo

tur suo nomine, contradictoriis libellis falsa nomina Senatorum, vel aliorum potentum inserant, ne falsos titulos prædijs, quorum nomine conveniuntur, imponant, qui prædia scilicet adserant potentioribus. Quod plerumque faciunt possessores vel diffidentiâ causæ suæ, vel adversarij perterrefaciendi, aut submouendi gratiâ, dum ita scilicet quodammodo negant suum esse prædium, & adserunt ejus esse, quem titulus commendat. De qua D. Augustinus ps. 21. Ne domum ipsius petat aliquis, ponit ibi titulos potentis, titulos mendaces, ipse vult esse possessor, & frontem domus suæ de titulo aliena muniri, ut cùm titulus lectus fuerit, conterritus quis potentiâ nominis abstineat à petitione. VV. Cui h. imò non licet etiam sine titulo in litibus potentioris nomen ementiri & prætendere, quod est ἐπιφημίζειν, ad deterrendum adversarium, laudantes hunc autorem, possessorem jus habentem, cui tanquam ejus intersit, litem denunciare oportet. l. 2.]. ubi in rem.

Quos vocas hic titulos?

Tituli dicti à tuendo, & indicando, quia tuetur & indicat id qui superscribitur, ne incidat ambiguitas, ut cognoscatur & constet cujus sit: ita significat hoc loco, arma, insignia, nomen potentum, vel signa sive σήμαντρα, σφραγίδας, δείγματα, characteres. quasi horum sit possessio, aut eorum tutela, & (ut nunc loquimur) salvæ guardiæ, res commissa sit.

Quâ pœnâ afficiuntur?

Qui hujusmodi titulis scientes connivent, afficiendi sunt publicæ sententiæ notâ,]. Potens, qui hæc fieri scit & patitur, ipso jure notatur infamiâ, quasi redemptor calumniæ & αὐτομάτως notantur, etjamsi nulla condemnatio intervenerit: Is autem, qui potentum nomine abutitur, causa cadit, vel si injustam causam, plumbatis cæsus damnatur in metallum. l. unic. h. Augustin. in sermon. In ipsis deprecationibus suis titulum Christi posuerunt hæretici, ut prædæ ipsorum defenderentur per titulum potentis. Quid facit Christus? ejicit prædatorum, titulum non deponit, & possidet domum, quia invenit titulum suum.

Rectè quidem prohibentur inferendi alteri metus causa, sed quid si depellendi metus & periculi causa, tituli petantur, & concessi affigãtur?

Actus

Actus à suis finibus distinguuntur, illo casu permittuntur. l.53.de fin. Adeò ut liceat etiam universitatibus se suaq; in potentioris alicujus, quamvis non superioris ordinarii, tutelam & protectionem dedere. c. recipimus. c. ex parte. de privileg. titulos principis, & salvam guardiam, quæ prædijs, villis, ædibus adfigantur, impetrare. Barth. & Bal. in l. sanctum de R.D. Ioannes de Plat. l. cum sæpè.]. de erogat. mil. ann. lib. 12. Vbi tamen dicit, Etiam Præsides dare salvaguardias speciales, hoc est, locales, licet non generales. Chass. in cons. Burg. Rub. 1. §. 4. verb. & sur les hommes. nu. 65. 66. Qui nunc etiam à ducibus & comitibus in suo territorio conceduntur.

Vt nemo privatus titulos prædiis suis, vel alienis imponat, vel vela regia suspendat, tit. 16. Const. 2.

Quæ Continuatio?

De titulis etiam hic agitur non tam potentiorum, ut titulo superiore: sed principis nomine aut regalia suspendere, aut sacrarum necessitudinum principis, ut additur in No. Theod. ne quis eos sine auctoritate judicis imponat prædiis suis, etiamsi sit injustus possessor & prædo is, qui ea tenet: vel etiãsi in ea causa sint prædia, ut fisco vindicari debeant. Cuiac. h. debent ea esse à Principe impetrata, aut jure & sententiâ evicta, aut usu immemoriali, qui privilegii loco est, præscripta. c. 1. §. 1. de V. S.

Quid vela & Regia?

Quid velum navis nemini obscurum, hinc pandere, attollere, subducere vela ventis, velificari, dare vela, deducere & legere vela, i. e. dimittere Item, Carbasa substringere, colligere, contrahere: obliquare sinus velorum. Vel appellabantur etiam quæ in ædibus vel umbræ gratia, vel arcendi frigoris, ventiq; excludendi causa, obtendebantur. l. 17. §. quæ picta. de act. empt. l. 41. § item, hoc. de leg. 1. l. 12. §. si domus. Vnde Martial. lib. Epig.

Sit

Sit licet & ventus, te tua vela tegent.

Regia vela appellat Ambros. etiam cortinas regias. 5. epist. 33. Halaricus apud Cassiod. publicos titulos: Theodoricus apud eund. Fisci titulos. Gregorius ad Constantiam Augustam queritur 4. epist. de Stephano quodam Chartulario, quòd nomine fisci loca singulorum invaderet, & titulos imponeret indicta causa.

Quæ pœna infligitur in hanc const. peccantibus?

1. Omne id publico juri est deputandum, cui nomen dominicum præscribitur. l. 1. h. t. Nam qui id ausit, donare censetur. Fab.

2. Eum verò, qui alieno prædio titulum principis imposuerit, si plebeius est, quasi ex causa criminis extremi, extremo adfici supplicio, si honestior, plecti maxima capitis diminutione.

3. Tabulas titulósve impunè disjici & frangi à quolibet, quantumvis licet nomine principis inscriptos, sine metu calumniæ, vel accusatione: prædium non publicari, cui inscio domino, vel possessore alius titulos regios imposuerit.

4. Judices, eorúmque officia tricenis libris auri mulctandos, si talem accusationem, vel admittant, vel depositum scribi concedant. l. 2. h. Denique judicum esse, titulos adfigere prædiis nomine principis redactis, aut redigendis in fiscum, ut l. 3. J. de bo. vac. l. 2. J. de aquaduc. non procuratorum, non privatorum, actorum; conductorúmve prædiorum principalium.

Licétne alio fine insignia principis addere prædiis, & portis?

Quid ni? ut in signum subjectionis, per quæ superioritas etiam probatur. Bart. in tract. de insig. & arm. ut hinc colligere possit, urbem imperialem haberi, in cujus portis, aut ædificiis publicis, insignia imperatoris longissimo tempore suspensa fuerint, nemine ea evertente. D. D. Gothofr. h.

Ut nemini liceat sine judicis auctoritate signa imponere rebus, quas alius tenet, tit. 17. const. 2.

Quæ Continuatio?

Superioribus titulis egimus, cum de titulis potentiorum, tùm etiam regiis, hoc verò titulo de titulis propriis: & quemadmodum ad alterius invidiam, terrorem, injuriam non licet titulos & insignia prædiis suis, vel alienis imponere: sic multò minus permittitur, ut quis sua signa (quæ signacula vel sigilla, l. 1. §. si pecunia. depos. parvaq́; statuæ) vel titulos rebus ab alio possessis, mobilibus vel immobilibus, in quas jus habet ut proprias, aut quas sibi debitas aut obligatas esse contendit, ante sententiam judiciśq; auctoritatē juris alicujus adserendi causa imprimat aut apponat, vel titulos sui nominis adfigat, l. 1. & 2. h.

Quare id ne quidem litigiosis suis & propriis licet?

Quia hoc ipsum suspectum est, ut quis judicet in sua causa, vel jus sibi dicat. l. unic. J. ne quis in sua. Non enim est singulis permittendum, quod publicè per magistratum fieri debet, ne sit occasio majoris tumultus faciendi. l. non est. de R. I. Quia idcirco juris vigor, judiciorúmque publicorum tutela videtur in medio constituta, ne quisquam sibiipsi ausit permittere vindictam. l. 14. I. de jud. & rectè ad Rom. 13. Paul. Non sine causa gladium gestat. Dei enim minister est: vindex in iram ei qui malè agit. V. l. 7. de vi pri. l. 15. quod met. caus.

Quâ pœnâ adficiuntur contumaces contemptores h. Const?

Vt omnibus ipsorū rebus publicatis tituli fiscales apponantur, quæ est pœna. Novell. 17. imò & extremum supplicium. Nov. 164. Post sententiam, si obtinuerit, licet cuique, rei suæ titulum, signum, notam, vel aliud indicium apponere.

Ne fiscus, vel respubl. procuratorem alicui, patrocinii causa, in lite præstet, tit. 18. const. 4.

Quæ Continuatio?

Et quia non temerè de fisco dicitur: Quod non capit Christus, rapit fiscus: item de Republic. cedendum multitudini, & ne Hercules ad-

les adversus duos: τῶ πλειόνων ψῆφος νικᾷ: id est, plurium calculus vincit: ita meritò Fiscus & Respub. inter potentes numerantur. & aliis terribiles, præsertim in litigando videntur. Quare rectè vetatur, ne rebus alienis (suas possunt curare) vel causis patrocinentur, aut procuratores præstent in perniciem privatorum, nimium vel prægravarent adversarios, vel suos clientes sublevarent. Quia non modò opibus, sed etiam gratia & potentia antecedunt.

Quid igitur de Fisco & Republica hoc titulo cavetur?

Ne alienas actiones in se transferant, vel litigantibus patrocinium præstent, non id propter debiti remissionem suscipiant, nec in defensionem rei conventi etiam prætextu debiti sui prosiliant. l. 3. & 4. h. ideò nec actio litigiosa, vel dubia ex causa donationis, vel titulo aliquo oneroso fisco cedi debet. l. 1. & 2. h. & quemadmodum donatio non recipitur, ita neque mandatum, si debitor fisci, mandet fisco actionem adversus debitorem suum.

De negotiis gestis, tit. 19. con. 24.

Quæ Continuatio?

Hactenus de procuratoribus, qui mandato domini agunt, vel curant. Accidit interdum ut etiam ignorantes & sine mandato obligentur, idque utilitatis causa receptum est; ne absentium, qui subita festinatione coacti, nulli demandata negotiorum suorum administratione, mox credituri peregre profecturi essent, desererentur negotia, quæ sanè nemo curaturus esset, si de eo, quod impendisset, nullam habiturus esset actionem. Inst. de oblig. quæ ex quas. cont. l. 5. in pr. de O. & A. Quæ res tanti momenti Prætori visa fuit, ut de his quoque edixerit: Interest enim hominis, hominem beneficio affici.

Recita edictum?

Si quis negotia alterius, sive quis negotia quæ cujus cum is moritur, fuerint, gesserit: judicium eo nomine dabo. l. 3. in princ. h. t.

Qui possunt negotia gerere?

Etiam mulier, etiamsi à procuratione judiciali arceatur. d. l. l. 2. de R. I. Pupillus, prodigúsque: quatenus locupletior res, in ipsos ex re actio est. d. l. 3. & l. 46. de act.

Quot modis dicitur alterius negotium?

Multis: vel quia verè res cujusquam est jure dominii, vel quasi, l. 5. h. t. Vt cùm exigis à debitoribus meis, vel creditoribus solvis. l. 45. §. 2. l. 43. h. t. Vel quia contemplatione mei gestum est, curâ, solicitudine, re, gestúq; ipso. l. 6. § 5. h. t. Vel quod ratum habui. d. l. 6. §. 8. Quæ duo postrema obtinent, cum verè & in consequentiam negotium pertineat ad eum, cujus respectu gestum est, aut qui ratum habuit. d. l. 6. §. 5. cum seq. illis competit hæc actio, quorum interfuit negotium esse gestum. l. 46. h. t.

Cur necessum fuit edicere de tempore illo, quo quis post mortem alicujus negotia gessit?

Quia neque testatoris jam defuncti, neque hæredis, qui nondum adiit hæreditatem, res gesta videtur. l. 3. §. hæc verba. Sed quia damnosum erat inchoata morientium negotia deseri, quod ne facere quidem debet gestor. l. 21. ideò qui hæreditaria curat, videtur sibi quodammodo hæreditatem, quæ defunctum repræsentat, l. 15. de usur. l. 22. de fidejuss. séque ei obligare. Nec mirum, cùm id æs alienum, & hæc actio, sicut cætera onera hæreditaria etiam ad pupillum transeat. l. 3. §. hæc autem. l. 20. h. t.

Quid hîc gerere significat?

Omnem rem sine verbis, hoc est, absque promissione & conventione factam. l. 19. in fin. de V. S. l. 20. de A. H. etiamsi gerere & facere æquivocè sumantur. l. licet. 58. de V. S. Quare qui citra mandatum, alterius negotia sponte administrat, gerere propriè dicitur. l. 1. 2. 24. h. t. l. 5. §. gessisse. de A. T. Significatio aliàs verbi gerere est varia, ut gerit se pro cive, studioso, hærede: gerit negotium: Vnde qui per alium gerit, per se gerere videtur. l. ita tamen. §. gessisse. de administ. tut.

Quare sponte & nulla necessitate cogente?

Nam qui coactus gerit, ut tutor posthumi. l. 29. h. t. hæredes tutoris, curatorísve, qui inchoata perficere coguntur. l. 1. ʒ. de hæred. tut. vel necessitatis suspicione, ut qui falsò se existimat mandatum, curámve suscepisse. l. 17. h. vel justam servitutem mandanti servire. l. 19. §. si libero, cùm alienum negotium gerere non videatur, qui suum gerit, sibiq; consulere vult, ex verbis edicti directò non tenetur, Vtile tamen judicium negotiorum gestorum datur. d. l. 17. h. l. quidquid. ʒ. arb. tut. l. 5. l. 36. quod quidem effectu idem est. l. antepenult. h. t. Nam &

hæc ex

hac extraordinaria & sine solenni forma Prætoris ex edicto concipiebatur. Theop. inst. de succ. subl.

Quæ actiones ex hoc quasi contractu descendunt?

Directa & Contraria. Diligendus est proximus, & charitatis officia exercenda, succurrendum periclitantibus absentis amici rebus: verùm non sic se alienis negotiis ingerere debet, ut fraudandi, rapiendi, furandi ansam arripiat, aut rursus, ne etiam se suáque cum suo detrimento inserviendo aliis insumat: novit enim legislator hominem intus & in cute, novit avaritiam, ingratitudinem, mores denique omnes. Huic igitur functioni hæc temperamenta & remedia sunt præscripta, alias homo homini in hoc mundo maxima pernities foret atq; crux.

Quid directâ postulatur?

Vt actus sui rationem reddat. l. 2. & eo nomine condemnetur, in id, quod vel non gessit, vel non ut oportuit gessit, puta dolo. l. 6. §. sed si quis. aut culpa quamvis levi. d. l. 6. §. videamus. cum ll. sequentibus. l. 20. h. Naturalis & civilis ratio suasit, ignorantis & inviti, nos conditionem facere posse meliorem: deteriorem non posse. l. 39. h. t. Sed & id in actionem venit, ut gestor restituat, quidquid ex gestu, quocunque modo est acquisitum. l. 8. §. 2. unà cum usuris l. 19. § fin. l. 31. § 3. & fructibus. d. l. 8. §. 1. De casu inopinato & eventu non tenetur, sed sufficit utiliter inchoasse. l. 10. §. 1. nisi in culpa hæreat. l. 11. h. t. Non infamat scripto iure, condemnatus tamen non plus frontis habere potest apud bonos viros, quàm convictus mandati. Old. h.

Quid petitur contrària actione?

Hæc competit gestori, quamvis compensationis etiam beneficio uti possit. l. 3. §. pupillo. h. t. l. 8. §. 2. quâ quidem actione consequetur quicquid impendit vel amisit, ratione gestionis: item ut liberetur ab obligatione: ut indemnitas rerum administratarum, & quicquid abest, vel eo nomine absuturum, præstetur. d. l. 2. in fin. l. 19. §. pen. cum ll seqq. Iniquum enim esset si suum officium damnosum existere l. qua utiliter. 45. § fin. h. t. l. 7. quemad. test. aper. Quam utilitatem non affectione & opinione gerentis, sed communi hominum iudicio & ex bona fide metiri oportet, juxt. l. 7. h. t. alioqui cavillosus dominus, semper dicet, ne cogatur solvere impensas, sibi semper inutile esse. Vtilitas itaque ex eo colligetur, quod in commune solet prodesse in simili negotio.

Quæ Continuatio?

Superiore titulo de negotiis gestis, & videntur etiam juris conditores gesta traxisse ad gesta vi metúsve causa: illa Prætor tuetur datis ultro citróque actionibus: hæc verò rescindit. Cùm etiam, qui vi metúve cogitur, consentiat. l.21. §.pen. quia eligit ex duobus malis, quod minus est, & mavult contrahere, quàm interfici. Aristotel. lib.3. Ethic. vel gravius quid pati. Ideo contractus metu factus, jure civili quasi consensu initus valet: nec de eo quidquam antiquis legibus cautum erat: ut extraordinario Prætoris auxilio fuerit opus: quod in rebus politicis & civilibus etiamnum suum usum habet: in spiritualibus non spectatur, sed simpliciter vi gesta, pro nullis habentur. Panor. in c. de muliere. c. cùm locum. c. veniens de spons. Edicti verba sunt: Quod metus causa gestum erit, ratum non habebo. *l. 2. h.t. Olim ita dicebatur:* Quod vi metúsve causa.

Quid est vis?

Est majoris rei impetus, qui repelli non potest. l. 2. h.t. ut cum inevitabili violentia pecunia, chirographum &c. eripitur. Hujus enim fiebat in edicto mentio, propter necessitudinem impositam, contrariam voluntati, quæ multum differt ab his, quæ metu coacta voluntate geruntur. Cùm enim violentia quid extorquetur, principium actionis aliundè & extrinsecus venit: nec magis id dici potest voluntate patientis fieri, quàm volente fit nauta, quoties tempestate navis ad scopulum alliditur. At ubi impendentis violentiæ periculive metu quid fit, puta datur, traditur, conceditur: tum intus in patiente existit actionis origo, quæ à judicio nequaquam impedito, & voluntate minus malum eligente proficiscitur. l.22. de R.N. c. sacris. x. de rest. in integ. quo casu verum est quod dicitur. Voluntatem coactam esse voluntatem. A. lib. 3. E. & rigore juris obligare. l.21. §. si metu. 5. h.t. Dec. lat. in l. velle. 4. de R. I.

Quare detracta est vis mentio?

Quia, inquit Ulp. quodcunque vi atroci fit, metu quoque fieri videatur. l. in fin. Voluntate utique præsenti violentiæ cedente, & eodem modo subvenit, sive quis vim passus sit necessariam & inevitabilem, quæ corpori & locomotivæ vim adfert: sive vim coactionis quæ animum duntaxat invadit, mentémque superat: maximè cùm utrobique metus sit, & populariter cum populo, cui jus redditur, sit agendum: cujus maxima pars inter vim & coactionem voluntatis

seu metum, non satis peritè distinguere novit. Et sanè qui vim infert metum etiam facit. Duplex enim metus est: vel quem facimus, vel quem patimur. Quint. lib.6.c.3. Itaque ICti, qui student brevitati, & quantum arbitror Iulianus, Edicti compositor, detraxit vis mentionem, ut non necessariam, quasi & vim clausula metus contineat. l. 3.

Cujusmodi metum intelligis?

Præsentem. l.9. h.t. & qui in hominem constantissimum, à formidine objectorum cadat. l.5.6.h.t. l.3.§. de transf. ut mortis, vinculorum. *l.7.8.* stupri. *d.l.8.in fin.* carcerum. *l.pen. videlicet illicitorum, & privatorum, quos habere non licet. j. de princ.car. Quod Magistratus jure facit, non habet injuriam: aliàs pro privato habetur. l.32. de injur.* status. *l.4.8 h.t.* servitutis. *d.l.8.* fortunarum. *l.pen. & ibi Barth. num. 5. de cont. ob caus.* pudoris & infamiæ realis. *d.l.4. ibi gloss. nec interest in se, aut in liberis suis vereatur, vel conjuge, de quibus sæpè magis, quàm de nobisipsis laboramus. d. l. 8. Metus reuerentialis in hoc edictum non venit. l. 6. 8. fin.h. nisi accedat alia impressio, neque potentia aut dignitatis suffecerit. d. l. 6. h. non accusationis. l. 10. h. non infamiæ. l.4. h.t. aut minarum. l.9. nisi capitales sint, & is exequi solet. l.7. & fin.h.t gloss. & Dd.in d.l.9. Quem non jactationibus, vel contestationibus, sed atrocitate facti probari convenit.d.9. Quare ubi facto opus est, verba non sufficiunt. l 4. de pecu. multò minus preces, etsi vulgò dicatur, Preces domini esse preceptum. gloss. in l. 1. verb. quemadmodum quod jussu. Item rogando cogit, qui rogat potentior. Interim fatendum est alios esse alius timidiores, quæ ratio ex circumstantiis pendet.*

Potéstne quis uti aliquo remedio adversus minas?

Imò cautionis, quam implorato judicis officio, datis fidejussoribus vel pignoribus. Sal. in l.denunciamus. num.2.§. qui ad Eccl.confu. præstare de non offendendo coguntur, qui minitando terrorem incutiunt. Bart. & Imol. in l.hac autem.

Cui & adversus quos?

In rem loquitur, & ei qui metum passus est, & ejus hæredibus, contra omnes qui metum intulerunt. d. l.9. §. animadvertendum.h. t. (etsi una solutione liberantur. l. 14. in fin. cum seqq.) & omnes omnino, qui lucrum hinc perceperunt. d.l. 9. in fin. cum seq. Sufficit cum quo agitur, eum lucrum consecutum esse ex hoc crimine.

Nonne

Nónne igitur hæc actio sic rem sequitur, ut rei vindicatio?

Non. Nam is qui vim intulit jubetur restituere, etiamsi jam ad alium pervenerit, quia est actio personalis ex delicto nata: is verò ad quem pervenit, quamvis alius metum fecerit, non tàm ratione possessionis, quàm ex æquitate naturali, quæ ex qualicunque crimine emolumentum sperare non patitur. l. 2. de eo per quem. l. 134. de R. I. qua ratione in rem scripta esse dicitur. Cujac. observat. 5. c. 17. l. 4. §. Pedius, & datur in successores, quia est rei persecutoria; in id saltem quod ad eos pervenit: qui scelere non debent ditescere. l. unic. §. quaten. ex dil. dif. h. t. 10. Atque adeò impia lucra sunt heredibus extorquenda. l. 16. 19. 20. h. t. quin & de consumptis tenentur, & sufficit semel pervenisse. l. 16. quamvis interitum & casum non præstent. l. 18. neque solum exceptio, verùm etiam actio competit ex hoc edicto.

Quomodo?

Exceptio, ut si metu promissum necdum solvisset, hac adversus petentes, se defendat: Actione, ut si quid præstiterit, hoc repetat, tradita retradantur, liberatio in pristinam obligationem restituatur. d. l. 9. §. 7. &c. item partus ancillarum, fœtus pecorum, & fructus non solum percepti, sed & qui percipi potuerunt: denique omnis causa. l. 12. h. t. quæ quidem omnia (etiam loco consumptorum æstimatione subrogata. l. 1. h. l. 8. de cond. furt. hac conditione; ut nisi arbitrio judicis restituantur, reus in quadruplum condemnetur. l. 14. §. 1.

Videtur igitur actio hæc arbitraria?

Sic est: quia petitur ut ex æquo & bono arbitretur, quod metu gestum est, ut restituatur in integrum, quod ni fiat in quadruplum concipiatur condemnatio. Iussus igitur arbitrio judicis, & interlocutoria sententia seu decreto rem restituere, licentiam habebit reus, usque ad sententiam definitivam à judice dandam, restitutionem facere: quod si non fecerit, jure meritóque quadrupli condemnationem patietur. l. 4. §. 4.

Iussum hoc judicis estne interlocutoria, an definitiva sententia?

Variè disputant nostri. Dd. in l. 4. h. Interlocutoriam esse plerique sustinent, quia judex damnum metu factum arbitrio suo, hoc est,

ex aquo & bono velut taxaret, & hoc eum qui dedisset illud, resarcire actori vim passo juberet. Ac fortè ne jussum quidem tale interponi IC. semper exigunt, sed id potissimum velle videntur (exempla textus mirificè variant) ut reus habeat facultatem offerendi restitutionem usque ad sententiam. d. l. 14. §. 4. h. t. Atque ita paratus solvere, evitet condemnationem. l. 21. 73 de procur. quod ni faciat & sententia eventum expectet, in quadruplum velut fur manifestus (nam qui vim fecit, fur est improbior Inst. de vi bon. rupt. in princ.) una sententia, juxta libelli petitionem, cui sententia congruere debet, condemnetur Id quod & tum obtinet, cum tertius possessor ex aliena vi convenitur. imputet enim sibi, qui alienum delictum mordicus tuetur, & rem retinet, ratihabitione vim committit. d. l. 14. §. in hac. 3. l. 1. §. dejecisse. ver. cùm autem. de vi & vi. ar.

Ergo hoc casu pœnitentia eluitur & vitatur pœna, si reus ante litis eventum restituat, quod in aliis delictis non procedit. l. 67. de furt?

Sic apparet Quoniam Prætor in hisce arbitrariis ita clementer & benigne cum reo agit, ut det illi facultatem (perinde ut in civilibus causis, ubi de pecunia, non de delicto quaeritur. §. fin. de per. & tem. l. 21. 73. de procur.) pro arbitrio judicis restituendi rem solam, priusquam in pœnam delicto debitam condemnetur. d. l. 14. §. in hoc. 3. Nec statim quadrupli est, sed si res non restituatur.

Quæ natura est hujus actionis?

Vt rem damnúmque persequatur, neque ei datur, cui nihil abest. d. l. 14. in princ. quemadmodum adversus creditorem, qui debitori suo ut solveret, vim adhibuit, non competit, l. 12. §. fin. licet negare non posset. in l. Iuliam de vi eum incidisse. & ex Const. Marci vis crediti eum amisisse. d. §. fin. l. extat. h. t. to. tit. de vi privat.

Quamdiu datur?

Quadrupli condemnatio tum demum locum habet, cùm intra annum agitur. d. l. 14. §. post annum. Nam omnes pratoria pœnales anno utili finiri solent. l. 35. de act. licet civilis injuriarum anno continuo expiret. l. 5. J. de injur. Post annum, in simplum, nec Arbitraria est, nec crescit. sed quia h. de vi quaeritur extraordinaria & rescissoria, & gravat non quidem ipso jure existimationem. l. 1 §. antepenult. Vnde vi, qua olim perpetua, jam (ut sit aliquis litium finis, neque

neq; semper timeantur controversia) 30. annor. spatio extinguuntur. Inst. de perp. & temp. act. l. 3. 4. cum seq. J. de pras. 30. vel 40. ann.

Competúntne alia remedia, volenti parcere famæ rei?

Imò, rei vindicatio in rem per vim ablatam. l. 9. §. 4. h. t. quia res in bonis ejus esse videtur, qui vim passus est. d. l. 8. licet. 6. l. 17. de A P. & personalis actio qua ante competebat, rescissa appellatione, aut liberatione per vim extorta. d. l. §. volentes. quemadmodum & coacto hæreditatem repudiare, utiles actiones dantur, redacta ad nihilum repudiatione. d. l. 21. §. fin. Altera tamen actio alteram tollit. d. l. 9. § licet. Est enim locus interdicto. d. l. 9. §. 1. Unde vi *de possessionibus, item* quod vi aut clam. *& l. Iulia de vi. l. 12. in fin. Nonnunquam etiam solo judicis officio, quod metu gestum est, restituitur, ut si vis sit à magistratu illata, cognitione non habita. l. fin. §. fin.*

Axiomata.

Consensus geminatio tollit metus præsumptionem. l. 4. h. t.

Vim adhibuisse is præsumitur, quo sciente vis illata, vel qui eam submisit. l. 5. h. l. 13. §. 3. h. t.

Vani timoris non est excusatio. l. 146. de R. I. ut si suam umbram, muscámque prætervolitantem metuat.

Meticulosus est, qui rem nullam frustra timet. l. 7. h. t.

Viris bonis metus turpitudinis major quàm mortis esse debet. l. 8.

Affectu parentes magis in liberis terrentur, quàm in seipsis. d. l.

Vis est & tunc, quando quis id quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit. l. 13. eod.

De dolo malo, tit. 21. const. 8.

Quæ Continuatio?

Est etiam causa restitutionis, eáque justissima: & tanquam secunda species, ut si fraude adversarii in damnum inciderit, posset petere restitutionem in integrum: Olim dolus tantum tribus casibus l. 12. tab. vindicabatur.

Quibus?

1. *Quando in tutela commissus erat:*
2. *Ex l. Lectoria, aliàs Lætoria circumscriptis adolescentibus.*
3. *Sine lege, in judiciis, quibus ex bona fide addebatur. Cic. lib. 3. Off.*

Offic. Vnde apparet contractus bonæ fidei per dolum contractos non fuisse ipso jure nullos, alioqui nec obligatio, neq; actio, neq; judicium constitui potuissent. l. licet. §. ea. de proc. l. 6. de neg. gest. sed obligationem jure C. constitisse. Quia licebat se contrahentibus invicem decipere. l. 16. in fin. de min. Verùm in judicio bonæ fidei, quod dolo factum esset, solere purgari, aut retractari. l. 5. C de Resc. Vend. Excepto cùm minor contra legem Lectoriam deceptus esset. l. 7. h. t. Talis enim contractus ne inter majores quidem valebat. d. l. 16. Vtpote contra L. factus. l. 5. §. de ll. & ideò totus irritus. Sin dolus ab utraq; parte interveniret, l. 3. pro soc. l. 34. de contrah. empt. contractus bonæ fidei non posset subsistere: quando nulla utrinq; bona fides intercessérit. l. 57. de contrah. empt. In reliquis quæ non sunt bonæ fidei, conventionibus, qui circumscripti erant, efficaciter obligabantur. Et quod iniquum videbatur, non modò dolum impunitum fuisse. l. 4. §. 2. de N. A. verùm etiam cum detrimento alterius quæstuosum. l. 12. h. t. gloss. in l. 2. §. de eo per quem fact. C. igitur Aquilius prætor ætate Cic. æquissimus, de dolo malo coercendo formulas, verissimum omnium malitiarum everriculum primus proposuit, Quæ ad hunc modum habent: Quæ dolo malo facta esse dicentur, si de his rebus alia actio non erit, & justa causa esse videbitur, judicium dabo. *l. 1. in princ. h. t. Ne vel improbis sua sit malitia lucrosa. l. 2. de eo per quem factum. vel bonis sua simplicitas damnosa.*

Quid est dolus malus?

Est Labeoni omnis calliditas, fallacia, machinatio ad decipiendum, circumveniendum & fallendum alium adhibita. l. 1. §. 1. Servius definierat dolum malum machinationem quandam alterius decipiendi causa, cùm aliud simulatur, aliud agitur d. l. 1. §. 1. Pedius alibi iisdem penè verbis. Dolo malo pactum fit, quoties circũscribendi alterius causa aliud agitur, aliud simulatur, l. 1. §. dolus malus. de pact. Labeonis definitio in textu vera pronunciatur, fortè quod angustior esset, neq; cum suo definito convertibilis. Potest & sine dolo malo aliud agi aliud simulari, sicuti faciunt, qui per hujusmodi dissimulationem conservant, & tuentur vel sua, vel aliena. Imò non fuit Prætor contentus Dolum *dicere, sed adjecit* Malum: *quondam Veteres* Bonum *dicebant, & pro solertia hoc nomen accipiebant: maximè si adversus hostes latronemve quis machinetur. d. l. 1. §. 1. hinc illud:* Dolus enim & virtus quis in hoste requirat?

Quo-

Quotuplex est dolus?

Dolus est velatus, simulatus, occultus, & est apertus. Illum in contractibus strui adserunt l. 43. §. ult. de contrah. empt. & in conventionibus nudis. l. 7. §. dol. gloss. in l. 5. J. de inutil. Manifestus dolus in delictis & criminibus apparet. l. 2. §. dolo & seqq. vi bon. rapt. ut hic Leonis, ille Vulpeculæ perhibeatur. Vtrumque alienissimum ab homine, sed fraus odio digna majore. Doctores eam communiter in verum & præsumptum. In illicitis enim dolus præsumitur, licet non probetur. l. 41. ad l. Falcid. in licitis contrà dolus non præsumitur, nisi probetur l. 18. § 1. de prob. l. 4. de injur. Oldendorpius tradit hanc distinctionem magis obscuram quàm utilem esse, quæ nihil nisi excusationem fraudis suppeditat. Addunt & hanc. Quod alius sit perfectus, alius imperfectus. l. 13. §. 1. h. t. Bald. l. etsi. num. 34. S. ex quib. cau. infam. item alia calliditas magna & evidens. l. 7. eod. alia minor. d. l. 13.

Estne alia divisio?

Denique inquit Ramus in suo Enchi. reg. jur. seu potiùs OEcon. dolum vel in faciendo vel committendo consistere, vel non faciendo, sive omittendo. Faciendo, ut dolo facit, qui petit quod est restiturus. l. 134. §. fin. de R. I. & Can. 39. nisi sciat, nec de dolo excipiat. Scienti & consentienti non fit injuria neque dolus. Can. 27. num. 6. In omittendo seu per contumaciam. Ait Iavolenus, Non potest dolo carere, qui magistratus imperio non obtemperat. l. 60. de R. I. Eodem illa. Si quis jus dicenti non obtemperaverit. Si quis in jus vocatus non ierit. Quanquam VVes. dolum potiùs in committendo versari, culpam in omittendo. h.

Quæ requiruntur ut dolus commissus dicatur?

Consilium & Eventus. Vnde Regula, Fraudis interpretatio semper in jure, non ex eventu duntaxat, sed ex consilio quoque consideratur. l. 80. de R. I. Consilio opponitur ignorantia. Nemo videtur in dolo esse, qui ignorat causam cur non debeat petere. l. 138. §. fin. Euentui jus. Vt nullus videtur dolo facere, qui jure suo utitur. l. 56. Nihil creditor dolo facit, qui suũ recipit. l. 7. 72. Postremò & necessitas eximit à doli suspicione, qui mandato & jussu judicis aliquid facit.

Quomodo probatur dolus?

Cùm autem dolus ex certa & scelesta animi destinatione & proposito ad lædendum proximum proficiscatur: & quando solus Deus

est

est scrutator cordium & conscientiarum, neque dolus per se exteriore quidem (unde non esse apertum dolum quis arguat) sensu apprehendi possit: sed per legitima judicia, perinde ut mala arbor ex fructibus cognoscitur & probatur. l. dolum h. l. dolus. ff. de R. vend. Externa enim indicant animum. §. pavonum. de R. D. l. non codicillum. ff. de test. l. his qui. §. 1. de tut. Et ideo quæ argumenta ad probandum eum sufficiant, ex præscripto legis petendum est: id meritò censendum fuerit legitimum & evidens judicium. Old. class. 1. de dol.

Sed quorsum illa, quæ apud interpretes ad ravim ferè inculcantur, de dolo incidente in contractum bonæ fidei, & dante eidem causam: an aliud & diversum sit in contractu stricti juris?

Sentiunt hoc, si quis insidioso & callido consilio inductus sit ad contrahendum, id est, si dolus dederit causam contractui, pronunciant ipso jure nullum esse contractum. l. & eleganter. in verb. nullam esse. h. t. l. 3. pro soc. l. in causa. 2. de min. Quid enim contractui bonæ fidei æquè est contrarium atque dolus? Si verò incidat dolus in contractum bonæ fidei, tunc actione ex ipso contractu, vel exceptione doli, quæ judicio bonæ fidei inest, dolus purgatur, veluti si quis pluris emerit, quàm empturus fuisset, si dolus non fuisset adhibitus. d. l. & eleganter §. non solum. l. 9. h. t. l. Iulianus §. si venditor & seq. de act. empt. In strictis autem juris contractibus, sive dolus det causam sive incidat, contractus ipso jure subsistit, sed actione vel exceptione doli, ipse vindicatur. l. 22. 36. de V. O. d. l. d. §. non solum.

Cur Prætor ita demum pollicetur actionem, si de his alia non erit?

Nam ejusmodi agendi genus, quo perpetua ignominiæ nota condemnato inuritur. l. 1. verb. doli. de his qui not. infam. non temerè debet à Prætore decerni, si sit alia actio, qua quis possit experiri. d. §. 2. l. 1. Breviter quocumque tandem modo quis tutus sit: sive exceptione, sive actione, civili aut honoraria, sive pœnali, vel etiam populari. l. 7. in princ. h. t. denegabitur ex hoc edicto restitutio in integrum, d. l. 1. §. 3. cum seqq. l. 2. 5. 7. §. 1. & 2. §. pen. 8. §. 1. & 2. eod. nisi probabiliter aut alia actio competere possit, dubitetur. d. l. 7.

l.7. §.1. aut nisi alia actio, quæ concurrit, æquè famosa sit: ut est stellionatus. l.3. de cri. stell. vid. gloss. & Dd. nisi sub prætextu. §. de trans.

Quid si voluntista verba, *Et justa causa videbitur?*

Quia tam gravis actio non fuit passim indulgenda. l. 9. §. fin. h.t. quare si modica sit summa, hoc est, ad duos usque aureos, non debebit hæc actio dari d. §. fin. cum l. seq. sed in factum potiùs gloss. & Dd. in d. §. fin. sed & quibusdam personis non dabitur, utputa liberis vel libertis adversus parentes patronosq;, item humili, et plebeio adversus Consularem, prodigo aut alias vili, adversus hominem vita emendatioris, cùm parcendum sit personarum talium existimationi. Ideò in factum temperabitur actio, ut bonæ fidei mentio fiat, concepto in ipsum factum, cui dolus inest, ne fraus alterius alteri noceat.

Quid ista *Iudicium dabo?*

Non modò tribuendo exceptionem l. fin. h.t. sed etiam actionem, ut in eo quod metus causa? à quo distat, quòd in hoc designari oportet, cujus dolo factum sit, quamvis in metu non sit necesse. l. 15. §. pen. l. 17. §. fin. adversus alios non competit, nisi quatenus ad eos pervenit. d. ll. §§.

Sed si quid plurium dolò factum esse dicetur?

Omnes quidem ex suo crimine in solidum obligabuntur: sed quod actio est Rei persecutoria, et bona fides non patitur à compluribus idem exigi, uno rem, vel quanti ea fuit restituente, omnes liberabuntur. l. 17. §. fin. l. Bon. fid. 57. de R.I. Sed & hæc actio hanc affinitatem cum superiore habet, quòd sit Arbitraria in qua fit restitutio arbitrio judicis, quæ ni fiat, sequitur condemnatio quanti ea res est: cujus æstimatio jurejurando in litem actoris committitur. V. t. de lit. jur.

Intervenit semper arbitrium judicis?

Non: quid enim si manifestum sit, non posse restitui? Veluti si servus dolo malo traditus, sit defunctus: ideòque protinus condemnari debeat reus in id, quod intersit actoris. d.l. 18. Neq; verò hic ad quadruplum crescit in contumacem condemnatio: quia dolus non eam quam vis, cum furto habet affinitatem: decepto enim volenti non invito aufertur. Ideòque furti pœna locum non habet.

Quot modis dicitur alterius negotium?

Multis: vel quia verè res cujusquam est jure dominii, vel quasi, l. 5. h. t. Vt cùm exigis à debitoribus meis, vel creditoribus solvis. l. 45. §. 2. l. 43. h. t. Vel quia contemplatione mei gestum est, curâ, sollicitudine, re, gestuq; ipso. l. 6. § 5. h. t. Vel quod ratum habui. d. l. 6. §. 8. Quæ duo postrema obtinent, cum verè & in consequentiam negotium pertineat ad eum, cujus respectu gestum est, aut qui ratum habuit. d. l. 6. §. 5. cum seq. illis competit hæc actio, quorum interfuit negotium esse gestum. l. 46. h. t.

Cur necessum fuit edicere de tempore illo, quo quis post mortem alicujus negotia gessit?

Quia neque testatoris jam defuncti, neque hæredis, qui nondum adiit hæreditatem, res gesta videtur. l. 3. §. hæc verba. Sed quia damnosum erat inchoata morientium negotia deseri, quod ne facere quidem debet gestor. l. 21. ideò qui hæreditaria curat, videtur sibi quodammodo hæreditatem, quæ defunctum repræsentat, l. 15. de usur. l. 22. de fidejuss. séque ei obligare. Nec mirum, cùm id æs alienum, & hæc actio, sicut cætera onera hæreditaria etiam ad pupillum transeat. l. 3. §. hæc autem. l. 20. h. t.

Quid hîc gerere significat?

Omnem rem sine verbis, hoc est, absque promissione & conventione factam. l. 19. in fin. de V. S. l. 20. de A. H. etiamsi gerere & facere æquivocè sumantur. l. licet. 58. de V. S. Quare qui citra mandatum, alterius negotia sponte administrat, gerere propriè dicitur. l. 1. 2. 24. h. t. l. 5. §. gessisse. de A. T. Significatio aliàs verbi gerere est varia, ut gerit se pro cive, studioso, hærede: gerit negotium: Vnde qui per alium gerit, per se gerere videtur. l. ita tamen. §. gessisse. de administ. tut.

Quare sponte & nulla necessitate cogente?

Nam qui coactus gerit, ut tutor posthumi. l. 29. h. t. hæredes tutoris, curatorisve, qui inchoata perficere coguntur. l. 1. ∫. de hæred. tut. vel necessitatis suspicione, ut qui falsò se existimat mandatum, curámve suscepisse. l. 17. h. vel justam servitutem mandanti servire. l. 19. §. si libero, cùm alienum negotium gerere non videatur, qui suum gerit, sibiq; consulere vult, ex verbis edicti directò non tenetur, Vtile tamen judicium negotiorum gestorum datur. d. l. 17. h. l. quidquid. ∫. arb. tut. l. 5. l. 36. quod quidem effectu idem est. l. antepenult. h. t. Nam &

hæc ex

hac extraordinaria & sine solenni forma Prætoris ex edicto concipiebatur. Theop. inst. de succ. subl.

Quæ actiones ex hoc quasi contractu descendunt?

Directa & Contraria. Diligendus est proximus, & charitatis officia exercenda, succurrendum periclitantibus absentis amici rebus: verùm non sic se alienis negotiis ingerere debet, ut fraudandi, rapiendi, furandi ansam arripiat, aut rursus, ne etiam se suáque cum suo detrimento inserviendo aliis insumat: novit enim legislator hominem intus & in cute, novit avaritiam, ingratitudinem, mores denique omnes. Huic igitur functioni hac temperamenta & remedia sunt præscripta, alias homo homini in hoc mundo maxima pernities foret atq; crux.

Quid directâ postulatur?

Vt actus sui rationem reddat. l. 2. & eo nomine condemnetur, in id, quod vel non gessit, vel non ut oportuit gessit, puta dolo. l. 6. §. sed si quis. aut culpa quamvis levi. d. l. 6. §. videamus. cum ll. sequentibus. l. 20. h. Naturalis & civilis ratio suasit, ignorantis & inviti, nos conditionem facere posse meliorem: deteriorem non posse. l. 39. h. t. Sed & id in actionem venit, ut gestor restituat, quidquid ex gestu, quocunque modo est acquisitum. l. 8. §. 2. unà cum usuris l. 19. § fin. l. 31. § 3. & fructibus. d. l. 8. §. 1. De casu inopinato & eventu non tenetur, sed sufficit utiliter inchoasse. l. 10. § 1. nisi in culpa hæreat. l. 11. h. t. Non infamat scripto iure, condemnatus tamen non plus frontis habere potest apud bonos viros, quàm convictus mandati. Old. h.

Quid petitur contraria actione?

Hæc competit gestori, quamvis compensationis etiam beneficio uti possit. l 3. §. pupillo. h. t. l. 8. §. 2. quâ quidem actione consequetur quicquid impendit vel amisit, ratione gestionis: item ut liberetur ab obligatione: ut indemnitas rerum administratarum, & quicquid abest, vel eo nomine absuturum, præstetur. d. l. 2. in fin. l. 19. §. pen. cum ll seqq. Iniquum enim esset si suum officium damnosum existere l. qua utiliter. 45. § fin. h. t. l. 7. quemad. test. aper. Quam utilitatem non affectione & opinione gerentis, sed communi hominum judicio & ex bona fide metiri oportet, juxt. l. 7. h. t. alioqui cavillosus dominus, semper dicet, ne cogatur solvere impensas, sibi semper inutile esse. Vtilitas itaque ex eo colligetur, quod in commune solet prodesse in simili negotio.

Quæ Continuatio?

Superiore titulo de negotiis gestis, & videntur etiam juris conditores gesta traxisse ad gesta vi metúsve causa: illa Prætor tuetur datis ultro citróque actionibus: hæc verò rescindit. Cùm etiam, qui vi metúve cogitur, consentiat. l.21. §.pen. quia eligit ex duobus malis, quod minus est, & mavult contrahere, quàm interfici. Aristotel. lib.3. Ethic. vel gravius quid pati. Ideo contractus metu factus, jure civili quasi consensu initus valet: nec de eo quidquam antiquis legibus cautum erat: ut extraordinario Prætoris auxilio fuerit opus: quod in rebus politicis & civilibus etiamnum suum usum habet: in spiritualibus non spectatur, sed simpliciter vi gesta, pro nullis habentur. Panor. in c. de muliere. c. cùm locum. c. veniens de spons. Edicti verba sunt: Quod metus causa gestum erit, ratum non habebo. *l. 2. h. t. Olim ita dicebatur:* Quod vi metúsve causa.

Quid est vis?

Est majoris rei impetus, qui repelli non potest. l. 2. h. t. ut cum inevitabili violentia pecunia, chirographum &c. eripitur. Hujus enim fiebat in edicto mentio, propter necessitudinem impositam, contrariam voluntati, quæ multum differt ab his, quæ metu coacta voluntate geruntur. Cùm enim violentia quid extorquetur, principium actionis aliundè & extrinsecus venit: nec magis id dici potest voluntate patientis fieri, quàm volente fit nauta, quoties tempestate navis ad scopulum allidítur. At ubi impendentis violentiæ periculive metu quid fit, puta datur, traditur, conceditur: tum intus in patiente existit actionis origo, quæ à judicio nequaquam impedita, & voluntate minus malum eligente proficiscitur. l. 22. de R. N. c. sacris. x. de rest. in integ. quo casu verum est quod dicitur. Voluntatem coactam esse voluntatem. A. lib. 3. E. & rigore juris obligare. l. 21. §. si metu. 5. h. t. Dec. lat. in l. velle. 4. de R. I.

Quare detracta est vis mentio?

Quia, inquit Ulp. quodcunque vi atroci fit, metu quoque fieri videatur. l. in fin. Voluntate utique præsenti violentiæ cedente, & eodem modo subvenit, sive quis vim passus sit necessariam & inevitabilem, quæ corpori & locomotivæ vim adfert: sive vim coactionis quæ animum duntaxat invadit, mentémque superat: maximè cùm utrobique metus sit, & populariter cum populo, cui jus redditur, sit agendum: cujus maxima pars inter vim & coactionem voluntatis

seu metum, non satis peritè distinguere novit. Et sanè qui vim infert metum etiam facit. Duplex enim metus est: vel quem facimus, vel quem patimur. Quint. lib.6.c.3. Itaque ICti, qui student brevitati, & quantum arbitror Iulianus, Edicti compositor, detraxit vis mentionem, ut non necessariam, quasi & vim clausula metus contineat. l. 3.

Cujusmodi metum intelligis?

Præsentem. l.9.h.t. & qui in hominem constantissimum, à formidine objectorum cadat. l.5.6.h.t. l.3.§. de transf. ut mortis, vinculorum. *l.7.8.* stupri. *d.l.8.in fin.* carcerum. *l. pen. videlicet illicitorum, & privatorum, quos habere non licet.* ¶. *de princ.car. Quod Magistratus jure facit, non habet injuriam: aliàs pro privato habetur. l.32. de injur.* status. *l.4.8 h.t.* servitutis. *d.l.8.* fortunarum. *l.pen. & ibi Barth. num. 5. de cont. ob caus.* pudoris & infamiæ realis. *d.l.4. ibi gloss. nec interest in se, aut in liberis suis vereatur, vel conjuge, de quibus sæpè magis, quàm de nobisipsis laboramus. d. l. 8. Metus reverentialis in hoc edictum non venit. l. 6. 8. fin.h. nisi accedat alia impressio, neque potentia aut dignitatis suffecerit. d. l. 6. h. non accusationis. l. 10. h. non infamia. l.4. h.t. aut minarum. l.9. nisi capitales sint, & is exequi solet. l.7. & fin.h.t gloss. & Dd.in d.l.9. Quem non jactationibus, vel contestationibus, sed atrocitate facti probari convenit. d.9. Quare ubi facto opus est, verba non sufficiunt. l.4. de pecu. multò minus preces, etsi vulgò dicatur, Preces domini esse preceptum. gloss. in l. 1. verb. quemadmodum quod jussu. Item rogando cogit, qui rogat potentior. Interim fatendum est alios esse alius timidiores, quæ ratio ex circumstantiis pendet.*

Potéstne quis uti aliquo remedio adversus minas?

Imò cautionis, quam implorato judicis officio, datis fidejussoribus vel pignoribus. Sal. in l. denunciamus. num.2.§. qui ad Eccl.confu. præstare de non offendendo coguntur, qui minitando terrorem incutiunt. Bart. & Imol. in l. hac autem.

Cui & adversus quos?

In rem loquitur, & ei qui metum passus est, & ejus hæredibus, contra omnes qui metum intulerunt. d. l.9. §. animadvertendum.h. t. (etsi una solutione liberantur. l. 14. in fin. cum seqq.) & omnes omnino, qui lucrum hinc perceperunt. d.l. 9. in fin. cum seq. Sufficit cum quo agitur, eum lucrum consecutum esse ex hoc crimine.

Nonne

Nónne igitur hæc actio sic rem sequitur, ut rei vindicatio?

Non. Nam is qui vim intulit jubetur restituere, etiamsi jam ad alium pervenerit, quia est actio personalis ex delicto nata: is verò ad quem pervenit, quamvis alius metum fecerit, non tàm ratione possessionis, quàm ex æquitate naturali, qua ex qualicunque crimine emolumentum sperare non patitur. l. 2. de eo per quem. l. 134. de R. I. qua ratione in rem scripta esse dicitur. Cujac. observat. 5. c. 17. l. 4. §. Padius, & datur in successores, quia est rei persecutoria; in id saltem quod ad eos pervenit: qui scelere non debent ditescere. l. unic. ∫. quaten. ex dil. dif. h. t. 10. Atque adeò impia lucra sunt hæredibus extorquenda. l. 16. 19. 20. h. t. quin & de consumptis tenentur, & sufficit semel pervenisse. l. 16. quamvis interitum & casum non præstent. l. 18. neque solum exceptio, verùm etiam actio competit ex hoc edicto.

Quomodo?

Exceptio, ut si metu promissum necdum solvisset, hac adversus petentes, se defendat: Actione, ut si quid præstiterit, hoc repetat, tradita retradantur, liberatio in pristinam obligationem restituatur. d. l. 9. §. 7. & c. item partus ancillarum, fœtus pecorum, & fructus non solum percepti, sed & qui percipi potuerunt: denique omnis causa. l. 12. h t. quæ quidem omnia (etiam loco consumptorum æstimatione subrogata. l. 1. h. l. 8. de cond. furt. hac conditione; ut nisi arbitrio judicis restituantur, reus in quadruplum condemnetur. l. 14. §. 1.

Videtur igitur actio hæc arbitraria?

Sic est: quia petitur ut ex æquo & bono arbitretur, quod metu gestum est, ut restituatur in integrum, quod ni fiat in quadruplum concipiatur condemnatio. Iussus igitur arbitrio judicis, & interlocutoria sententia seu decreto rem restituere, licentiam habebit reus, usque ad sententiam definitivam à judice dandam, restitutionem facere: quod si non fecerit, jure meritóque quadrupli condemnationem patietur. l. 4. §. 4.

Iussum hoc judicis estne interlocutoria, an definitiva sententia?

Variè disputant nostri. Dd. in l. 4. h. Interlocutoriam esse plerique sustinent, quia judex damnum metu factum arbitrio suo, hoc est,

ex aquo & bono velut taxaret, & hoc eum qui dedisset illud, resarcire actori vim passo juberet. Ac fortè ne in jusum quidem tale interponi IC. semper exigunt, sed id potissimum velle videntur (exempla textus mirificè variant) ut reus habeat facultatem offerendi restitutionem usque ad sententiam. d. l. 14. §. 4. h. t. Atque ita paratus solvere, evitet condemnationem. l. 21. 73 de procur. quod ni faciat & sententia eventum expectet, in quadruplum velut fur manifestus (nam qui vim fecit, fur est improbior Inst. de vi bon. rapt. in princ.) una sententia, juxta libelli petitionem, cui sententia congruere debet, condemnetur Id quod & tum obtinet, cum tertius possessor ex aliena vi convenitur. imputet enim sibi, qui alienum delictum mordicus tuetur, & rem retinet, ratihabitione vim committit. d. l. 14. §. in hac. 3. l. 1. §. dejecisse. ver. cùm autem. de vi & vi ar.

Ergo hoc casu pœnitentia eluitur & vitatur pœna, si reus ante litis eventum restituat, quod in aliis delictis non procedit. l. 67. de furt?

Sic apparet Quoniam Prætor in hisce arbitrariis ita clementer & benigne cum reo agit, ut det illi facultatem (perinde ut in civilibus caussis, ubi de pecunia, non de delicto quæritur. §. fin. de per. & tem. l. 21. 73. de procur.) pro arbitrio judicis restituendi rem solam, priusquam in pœnam delicto debitam condemnetur. d. l. 14. §. in hoc. 3. Nec statim quadrupli est, sed si res non restituatur.

Quæ natura est hujus actionis?

Vt rem damnúmque persequatur, neque ei datur, cui nihil abest. d. l. 14. in princ. quemadmodum adversus creditorem, qui debitori suo ut solveret, vim adhibuit, non competit, l. 12. §. fin. licet negare non posset. in l. Iuliam de vi eum incidisse. & ex Const. Marci vis crediti eum amisisse. d. §. fin. l. extat. h. t. to. tit. de vi privat.

Quamdiu datur?

Quadrupli condemnatio tum demum locum habet, cùm intra annum agitur. d. l. 14. §. post annum. Nam omnes prætoriæ pœnales anno utili finiri solent. l. 35. de act. licet civilis injuriarum anno continuo expiret. l. 5. ȷ̃. de injur. Post annum, in simplum, nec Arbitraria est, nec crescit. sed quia h. de vi quæritur extraordinaria & rescissoria, & gravat non quidem ipso jure existimationem. l. 1. §. antepenult. Vnde vi, quæ olim perpetua, jam (ut sit aliquis litium finis, neque

neq; semper timeantur controversiæ) 30. *annor. spatio extinguuntur. Inst. de perp. & temp. act. l. 3. 4. cum seq. ff. de præs. 30. vel 40. ann.*

Competúntne alia remedia, volenti parcere famæ rei?

Imò, rei vindicatio in rem per vim ablatam. l. 9. §. 4. h. t. quia res in bonis ejus esse videtur, qui vim passus est. d. l. 8. licet. 6. l. 17. de A P. & personalis actio quæ ante competebat, rescissa appellatione, aut liberatione per vim extorta. d. l. §. volentes. quemadmodum & coacto hereditatem repudiare, utiles actiones dantur, redacta ad nihilum repudiatione. d. l. 21. §. fin. Altera tamen actio alteram tollit. d. l. 9. § licet. Est enim locus interdicto. d. l. 9. §. 1. Unde vi *de possessionibus, item* quod vi aut clam *& l. Iuliæ de vi. l. 12. in fin. Nonnunquam etiam solo judicis officio, quod metu gestum est, restituitur, ut si vis sit à magistratu illata, cognitione non habita. l. fin. §. fin.*

Axiomata.

Consensus geminatio tollit metus præsumptionem. l. 4. h. t.

Vim adhibuisse is præsumitur, quo sciente vis illata, vel qui eam submisit. l. 5. h. l. 13. §. 3. h. t.

Vani timoris non est excusatio. l. 146. de R. I. *ut si suam umbram, muscámque prætervolitantem metuat.*

Meticulosus est, qui rem nullam frustra timet. l. 7. h. t.

Viris bonis metus turpitudinis major quàm mortis esse debet. l. 8.

Affectu parentes magis in liberis terrentur, quàm in seipsis. d. l.

Vis est & tunc, quando quis id quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit. l. 13. eod.

De dolo malo, tit. 21. const. 8.

Quæ Continuatio?

Est etiam causa restitutionis, eáque justissima: & tanquam secunda species, ut si fraude adversarii in damnum inciderit, posset petere restitutionem in integrum: Olim dolus tantum tribus casibus l. 12. tab. vindicabatur.

Quibus?

1. *Quando in tutela commissus erat:*
2. *Ex l. Lectoria, aliàs Lætoria circumscriptis adolescentibus.*
3. *Sine lege, in judiciis, quibus ex bona fide addebatur. Cic. lib. 3. Off.*

Offic. Vnde apparet contractus bonæ fidei per dolum contractos non fuisse ipso jure nullos, alioqui nec obligatio, neq; actio, neq; judicium constitui potuissent. l. licet. §. ea. de proc. l. 6. de neg. gest. sed obligationem jure C. constitisse. Quia licebat se contrahentibus invicem decipere. l. 16. in fin. de min. Verùm in judicio bonæ fidei, quod dolo factum esset, solere purgari, aut retractari. l. 5. C de Resc. Vend. Excepto cùm minor contra legem Lectoriam deceptus esset. l. 7. h. t. Talis enim contractus ne inter majores quidem valebat. d. l. 16. Vtpote contra L. factus. l. 5. §. de ll. & ideò totus irritus. Sin dolus ab utraq; parte interveniret, l. 3. pro soc. l. 34. de contrah. empt. contractus bonæ fidei non posset subsistere: quando nulla utrinq; bona fides intercessérit. l. 57. de contrah. empt. In reliquis quæ non sunt bonæ fidei, conventionibus, qui circumscripti erant, efficaciter obligabantur. Et quod iniquum videbatur, non modò dolum impunitum fuisse. l. 4. §. 2. de N. A. verùm etiam cum detrimento alterius quæstuosum. l. 12. h. t. gloss. in l. 2. §. de eo per quem fact. C. igitur Aquilius prætor ætate Cic. æquissimus, de dolo malo coercendo formulas, verissimum omnium malitiarum everriculum primus proposuit, Quæ ad hunc modum habent: Quæ dolo malo facta esse dicentur, si de his rebus alia actio non erit, & justa causa esse videbitur, judicium dabo. *l. 1. in princ. h. t. Ne vel improbis sua sit malitia lucrosa. l. 2. de eo per quem factum. vel bonis sua simplicitas damnosa.*

Quid est dolus malus?

Est Labeoni omnis calliditas, fallacia, machinatio ad decipiendum, circumveniendum & fallendum alium adhibita. l. 1. §. 1. Servius definierat dolum malum machinationem quandam alterius decipiendi causa, cùm aliud simulatur, aliud agitur d. l. 1. §. 1. Pedius alibi iisdem penè verbis. Dolo malo pactum fit, quoties circũscribendi alterius causa aliud agitur, aliud simulatur, l. 1. §. dolus malus. de pact. Labeonis definitio in textu vera pronunciatur, fortè quòd angustior esset, neq; cum suo definito convertibilis. Potest & sine dolo malo aliud agi aliud simulari, sicuti faciunt, qui per hujusmodi dissimulationem conservant, & tuentur vel sua, vel aliena. Imò non fuit Prætor contentus Dolum *dicere, sed adjecit* Malum: *quondam Veteres* Bonum *dicebant, & pro solertia hoc nomen accipiebant: maximè si adversus hostes latronemve quis machinetur. d. l. 1. §. 1. hinc illud:* Dolus enim & virtus quis in hoste requirat?

Quo-

Quotuplex est dolus?

Dolus est velatus, simulatus, occultus, & est apertus. Illum in contractibus strui adserunt. l. 43. §. ult. de contrah. empt. & in conventionibus nudis. l. 7. §. dol. gloss. in l. 5. J. de inutil. Manifestus dolus in delictis & criminibus apparet. l. 2. §. dolo & seqq. vi bon. rapt. ut hic Leonis, ille Vulpeculæ perhibeatur. Utrumque alienissimum ab homine, sed fraus odio digna majore. Doctores eam communiter in verum & præsumptum. In illicitis enim dolus præsumitur, licet non probetur. l. 41. ad l. Falcid. in licitis contrà dolus non præsumitur, nisi probetur. l. 18. §. 1. de prob. l. 4. de injur. Oldendorpius tradit hanc distinctionem magis obscuram quàm utilem esse, qua nihil nisi excusationem fraudis suppeditat. Addunt & hanc. Quod alius sit perfectus, alius imperfectus. l. 13. §. 1. h. t. Bald. l. etsi. num. 34. s. ex quib. cau. infam. item alia calliditas magna & evidens. l. 7. eod. alia minor. d. l. 13.

Estne alia divisio?

Denique inquit Ramus in suo Enchi. reg. jur. seu potiùs OEcon. dolum vel in faciendo vel committendo consistere, vel non faciendo, sive omittendo. Faciendo, ut dolo facit, qui petit quod est restiturus. l. 134. §. fin. de R. I. & Can. 39. nisi sciat, nec de dolo excipiat. Scienti & consentienti non fit injuria neque dolus. Can. 27. num. 6. In omittendo seu per contumaciam. Ait Iavolenus, Non potest dolo carere, qui magistratus imperio non obtemperat. l. 60. de R. I. Eodem illa. Si quis jus dicenti non obtemperaverit. Si quis in jus vocatus non ierit. Quanquam VVes. dolum potiùs in committendo versari, culpam in omittendo. h.

Quæ requiruntur ut dolus commissus dicatur?

Consilium & Eventus. Unde Regula, Fraudis interpretatio semper in jure, non ex eventu duntaxat, sed ex consilio quoque consideratur. l. 80. de R. I. Consilio opponitur ignorantia. Nemo videtur in dolo esse, qui ignorat causam cur non debeat petere. l. 138. §. fin. Eventui jus. Ut nullus videtur dolo facere, qui jure suo utitur. l. 56. Nihil creditor dolo facit, qui suũ recipit. l. 7. 72. Postremò & necessitas eximit à doli suspicione, qui mandato & jussu judicis aliquid facit.

Quomodo probatur dolus?

Cùm autem dolus ex certa & scelesta animi destinatione & proposito ad lædendum proximum proficiscatur: & quando solus Deus

est

l.7. §.1. aut nisi alia actio, quæ concurrit, æquè famosa sit: ut est stellionatus. l.3. de cri. stell. vid. gloss. & Dd. nisi sub prætextu. §. de trans.

Quid si volunt ista verba, *Et justa causa videbitur?*

Quia tam gravis actio non fuit passim indulgenda. l. 9. §. fin. h.t. quare si modica sit summa. hoc est, ad duos usque aureos, non debebit hæc actio dari d. §. fin. cum l. seq. sed in factum potiùs gloss. & Dd. in d. §. fin. sed & quibusdam personis non dabitur. utputa liberis vel libertis adversus parentes patronosq; . item humili, & plebeio adversus Consularem: prodigo aut alias vili, adversus hominem vita emendatioris, cùm parcendum sit personarum talium existimationi. Ideò in factum temperabitur actio, ut bonæ fidei mentio fiat, concepto in ipsum factum, cui dolus inest, ne fraus alterius alteri noceat.

Quid ista *Judicium dabo?*

Non modò tribuendo exceptionem l. fin. h.t. sed etiam actionem, ut in eo quod metus causa? à quo distat, quòd in hoc designari oportet, cujus dolo factum sit, quamvis in metu non sit necesse. l. 15. §. pen. l. 17. §. fin. adversus alios non competit, nisi quatenus ad eos pervenit. d. ll. §§.

Sed si quid plurium dolo factum esse dicetur?

Omnes quidem ex suo crimine in solidum obligabuntur: sed quod actio est Rei persecutoria, et bona fides non patitur à compluribus idem exigi, uno rem, vel quanti ea fuit restituente, omnes liberabuntur. l. 17. §. fin. l. Bon. fid. 57. de R. I. Sed & hæc actio hanc affinitatem cum superiore habet, quòd sit Arbitraria in qua fit restitutio arbitrio judicis, quæ ni fiat, sequitur condemnatio quanti ea res est: cujus æstimatio jurejurando in litem actoris committitur. V. t. de lit. jur.

Intervenit semper arbitrium judicis?

Non: quid enim si manifestum sit, non posse restitui? Veluti si servus dolo malo traditus, sit defunctus: ideòque protinus condemnari debeat reus in id, quod intersit actoris. d. l. 18. Neq; verò hic ad quadruplum crescit in contumacem condemnatio: quia dolus non eam quam vis, cum furto habet affinitatem: decepto enim volenti non invito aufertur. Ideòque furti pœna locum non habet.

quatenus ad eos pervenit. l. 17. in fin. l. 26. cum seqq. h. t. Non solent personæ hæredum ulterius ex alieno delicto obligari. l. 1. de pri. del. l. unica. C. ex delict. Etsi dolo desierint possidere, tamen utilitatis causa receptum, ut nihilominus conveniantur dolo, vel repræsentante possessionem. *Unde Paulus: Qui dolo desierit possidere, pro possidente damnatur, quia pro possessore dolus est. l. 174.* vel ipsam rem. *Unde Ulpia. Semper qui dolo fecit quo minus haberet, pro eo est, ac si haberet: item. parem esse conditionem ejus qui habeat atque possideat, atq; ejus cujus dolo malo factum est, quo minus possideret vel haberet. Eodem pertinet & illud Ulp. Generaliter cùm de fraude disputatur, non quid habeat actor, sed quid per adversarium habere non potuit, considerandũ, ut etiam ad fructus non perceptos teneatur, (distinguunt quidam Barth. & Dd. l. 7. §. sed si fraudandi. §. de pact. ut dolus semper malitiâ & intentione fallendi committatur, fraudem etiam detrimentum dolo contineri, sicut dicimus: Id tibi fraudi non erit.)* vel conditionem. *Idem in Iure Civili receptum est, quoties per eum, cujus interest, non conditionem, fiat, quo minus impleatur, perinde haberi debet, ac si impleta conditio fuisset. l. 122. l. cùm quidam. §. ex quacunque. J. sine de cond. insert. Vel factum. Ait Pomponius. In omnibus causis pro facto accipitur id, in quo quis alium perhorrescit, quo minus fiat. l. 40.*

Axiomata.

Axiomata ex D. & C. Ideò:

Nullam videtur actionem habere cui propter inopiam adversarij inanis est actio. l. 6. h. t.

Nulla actio est, quæ exceptione repellitur. l. 7. § 3. h. t.

Semel dictam sententiam retractari non oportet. l. 24.

Scire enim debet actor: qua in re circumscriptus sit; nec in tanto crimine vagari. l. 16. h. t.

Dolus cum dolo compensatur. l. 36. eod.

De dolo pupillus eatenus tenetur, quatenus factus est locupletior. l. 1. § . an in pup. depos.

Actio de dolo seu famosa adversus patrem ob reverentiam non datur. l. si superstite. hic.

De in integrum restitutione minorum 25. annis. tit. 22. Const. 9.

Quæ Continuatio?

Accidit non raro, ut non solum metu, vi, vel dolo malo in detrimẽtum incidant homines, & fallantur; verum etiam facilitate & imbecillitate ætatis capiantur. Nam cùm inter omnes constet, fragile esse & infirmum hujusmodi ætatum consilium, & multis captionibus suppositum, multorúmque insidiis expositum, prætor naturalem æquitatem secutus, auxilium eis hoc edicto: Quod cum minore, quàm 25. annis, natu gestum esse dicetur; uti quæque res erit, animadvertendum, *pollicitus est, & adversus captiones opitulationem. Nam post hoc tempus virilem vigorem compleri constat: ideò administratio antè committi non debebit, quamvis benè rem suam gerentibus, l. 1. & sequen. de minoribus,*

Quid est restituere?

Est aliquid reddere. l. 75. de V.S. l. 29. l. 68. de R.V. seu in pristinum statum aliquid reponere. l. 2 §. 27. ne quid in lo. pub. vel Restitutio in integrum est pristini juris redintegratio, & causæ amissæ restauratio. Item Restitutio, est remedium extraordinarium, quo Prætor deceptos aut læsos, in eam causam, in qua ante deceptionem vel læsionem erant, ex justa causa reducit.

Quid est restitutio in integrum minorum?

Est auxilium juris prætorij, extraordinarium, favorabiliter tamen & pro quo in dubio pronuncietur: personale, in remtamen, & juri familiæ inhærens, eòque ad hæredem transiens, & cessibile, non etiam in fidejussorem transitorium, aut socium: Unde mixtum videri potest, quo minor ob detrimentum, ætatis imprudentia ex gestu acceptum, adversus id quod damnosè gessit, vel non gessit, quod deberet, implorato nobili officio judicis, in integrum jus suum, quod antè habuerat, reponitur.

Quomodo & quibus mediis quové progressu & ordine restitutio celebratur?

Cùm judex non impartiat officium nisi imploratus, consequitur illud petendum esse. l. 24. §. fin. de min. & eatenus indulget illud, quatenus

quatenus suaserit æquitas, id est, appareat per injuriam alterius dãnum datum esse. l. 1. & 2. de in integrum rest. & res sint majoris momenti. non frivolæ & levidenses. l. 4. & l. pen. h. t. Nam Rescissoriæ actiones (ut sunt restitutionum) quia contra jus civile dantur. l. 35. non temerè, (nam prudenter rem gerentibus non succurritur ob eventum sinistrum) nec ob res leviculas dandæ sunt, juxta illud: Modicum non curat Prætor. l. 10. & 11. h. t. Ad bonum & æquum redigenda, ne magno incommodo adficiantur hujus ætatis homines. Adeò ut etiam affectionis habeatur ratio, l. 35. & nemine cum his propter metum restitutionis contrahere volente, quodammodo commercium eis interdicatur. l. 24. §. 1. ut ista petitio intra legitima tempora proponatur. l. 6. l. fin.]. de temp. in integ. restit. atque ita causa legitimè hoc est, plenè cognita & probata. Mynsing. obs. 48. 49. & 52. cent. 1. citatisque partibus. l. 3. & fin. h. t. restitutio fiat, totáque res arbitrio judicis æstimetur. l. 24. §. 1. cum l. seq.

Quæ est causa, sine qua non competit hoc Rest. beneficium?

Est actus validitas. Nam cùm ipso jure tuti sint minores, ut quia actus gestus planè nullus sit, non opus est ut restituantur, quod per se nullum habet effectum, ideò nec rem minoris immutavit. l. in causa. 17. & t. t. in quibus restit. in integr. non est. necess. Nulla ut sit hic restitutionis causa, læsione nimirum cessante: nec propterea opinãdum est, hoc extraordinarium remedium non concurrere cum aliis actionibus ordinariis: cùm multò sit locupletius & minorum intersit, pluribus actionibus jus suum persequi & obtinere. Et potest esse utilius minoribus, restitui, quàm sumptuosis actionibus atque litibus distringi. l. 16. §. ult. ex quib. caus. major.

Qui petunt restitutionem in integrum?

Minor, vel etiam major, de gestis in minore ætate, intra quadriennium ab ingressu majoris ætatis: item ejus nomine ac jure pater, dominus, tutor, curator, procurator, & illius exemplo Ecclesia, civitas, universitas, harumque nomine OEconomi & Syndici: Furiosi, prodigi, aliique qui in cura sunt aliena, regulariter contra eum, qui cum est contractum, interdum etiam adversus tertium possessorem: non tamen facilè contra minorem, de rebus qualitercunque, non tamen alieno mandatu contractis, vel gestis, quibus tamen læsus sit, etiamsi tutoris, vel curatoris auctoritas intervenerit, atque adeò et-

jam decretum prætoris, non tamen contra statum, aut libertatem: quanquam adversus arrogationem, nec facile contra jusiurandum, nisi alio quoque vitio hoc laboret, neque contra jus commune, conjugium, votum, cæteraque jura spiritualia, neque adversus delictum & pœnam, cui se sua culpa obnoxium fecit. Indigni sunt legis auxilio, qui contra leges peccant. l.37.h.t. Ferè tamen in pœnalibus & ætatis & imprudentiæ habetur ratio. l.108. de R.I.

Sed quid si contractus inciderit in tempus, quo major factus fuerit?

Restitutio cessat: nisi totum hoc dolo adversarii structum, & eo protractum probetur, ut majore illo facto, quod gestum esset, subsisteret. l.3.§.si quis. h.t. Cæterùm de eo, quod in minore ætate gestum est, major jam factus restitutionem petere non prohibetur (nisi ratam alienationem habuerit. t.t.C. Si major fac.) olim quidem intra annum utilem, hodie intra quadriennium. l.fin. C. de temp. in integ. rest. ab ingressu justæ ætatis computandum. Minorem autem accipimus, qui nondum 25. annum perfectè & omnimodò impleverit. Nam à momento in momentum tempus spectamus: adeò ut si postremo die, aut ultima hora, quæ ad complementum 25. ann. deest, captus sit, restitutioni locus relinquatur. l.3.§.minorem. h.t.

Cur ait Prætor ANIMADVERTAM?

Vt causa cognita sicut æquum videbitur, aut largiar beneficium, aut denegem. Cùm autem nullum judicium, aut actionem, sed tantummodo se animadversurum polliceatur, intelligi potest, nullam propriam actionem vel cautionem ex hoc edicto proficisci. Ias. post alios in l.6. num. 4. C. de coll. sed totum id pendere ex cognitione prætoris. l. 24.§ fin. h.t. ejusvè Magistratus, qui prætoria potestate fungitur: ut præfecti prætorio. l. 16. §.fin. cum l.seq. aut minoris etiam per Magistratus. l.18. item in provincia præsidis. l.42.

Restitutione in integrum decreta, quid tunc superest?

Vt unusquisque jus suum integrum recipiat, sumptúsque in rem factos restituat. d. l.24. §.pen. l.27. in fin. unà cum fructibus, usuris, omníque causa tam minori d. l. 24. d. §. d.l.27. quàm majori, qui cum hoc contraxit restituenda. l.40 §. fin h t. Nec enim ita subveniendum est minoribus, ut ex alienis incommodis sua comparent

commo-

commoda. Quare & ipsi, qui cum eis contraxerunt, in eam conditionem, qua ante contractum fuerant, sunt reponendi. l. 39. §. fin.

Axiomata.

Minor curatorem habens non est absimilis ei, cui à Prætore curatore dato bonis est interdictum. l. 3. h. neuter potest sua alienare.

Puberes sine curatoribus suis possunt ex stipulatu obligari. l. 101. de V. O.

Conjuncti sanguinis præsumuntur scire ætatem cognatorum l. 9. Unde cog.

Interest sumptibus & litibus non vexari minores. l. 6. de min.

Delictum nihil commune habet cum venia ætatis. l. 20. eod.

Miseratio ætatis interdum judicem ad mediocrem pœnam potest perducere. l. 37. eod.

De filiofamilias minore, tit. 23. const. 2.

Quæ Continuatio?

Minores 25. annis aut sunt sui juris, aut sunt filiifam. & si in aliquo læsi fuerint, sive sint sui juris, sive alieni: nec refert, sive per extraneum, sive per patrem læsi fuerint, restituuntur & juvantur. Et cùm hactenus in genere, nunc quædam sigillatim & magis speciatim & plenius quàm in Digestis exponentur: idq; primùm de personis, quarum jus omne constitutum est. l. 1. 9. de stat. hom. hoc est, de ijs, qui ut minores, vel jure minorum restitui possunt, vel non possunt.

Quid hîc sciendum & observandum?

Minoribus, non majoribus item, succurri cujuscunque sint dignitatis & status, dummodò liberis (nam servis non datur restitutio, quia nec prodesse ijs potest, sed eorum duntaxat dominis. l. 39. ult. cum l. seq. eod.) non modò patribus, sed etiam filiisfam. l. 1. 2. h. t. nisi in rem patris, jussûne ejus contraxerint, quo casu restitutio non est, sed in solidum tenentur. D. t. t. de in rem verso: quod jussu. ne per latus eorum pater ipse major, cujus res agitur, contra edicti sententiam restituatur. Pater nomine filii restitui potest, non servus & ne filius quidem nomine patris, l. 3. §. 1. §. 4. de min. Filius igitur contra mu-

tuum, non jussu patris, vel contra Senatum. Maced. l.2.h.t. imò etsi pro extraneo, vel denique pro ipso etiam patre, modò eidem non successerit, fidejusserit, restitui potest. l.1.h.t.

Leges.

Filiusfam. ex omnibus causis tanquam paterfam. obligatur, atque ob id agi cum eo tanquam cum patrefamiliâs potest. 39. de O. & A.

Filiusfam. suo nomine nullam actionem habet, nisi injuriarum, & quod vi aut clam, & depositi & commodati. ut Iulianus putat. l.9. eod.

De fidejußoribus minorum, tit. 24. const. 2.

Quæ Continuatio?

Post generalem titulum de restitutione adolescentium, sequuntur speciales sicut superior, ita & hic, & ut patri, ita fidejussori restitutio in integrum reo principalis lubrico juventæ lapso non prodest. l. Stichum. §. quod vulgò. de solut. l. 1. 2. h. nisi salva sit adversario translatio judicij in alium. l. minor. de procur. l. si pupillus. de acquir. hær. vel nisi fidejussor ignoraverit minorem eum esse, pro quo intercessit. arg. l. si Titius. de fidejuss. Cùm sint extra familiam minoris, nec personalibus beneficiis adjuventur. l. 7. de except. d. l. 2. Cast. l. 10. nu. 2. neque creditor decipi debeat, qui sibi per fidejussionem consultum voluit. l. 13. de minor. Restitutio tamen minoris circumscripti dolo aduersarii, etiam fidejussori prodest. d. l. 7. Quia rei cohæret. d. l. Nam decipientibus jura non subveniunt. l. 2. ad SC. Vellei. l. 30. s. de trans. si nihil creditori minoris deperit. l. 89. de acquir. hæred. si minori successit. l. 95. §. 3. de sol. Sed restitutione concessâ minori, númne eadem opera & fidejussori data intelligatur? Nequaquam. Est & illi seorsim nova restitutio impetranda. gloss. h. Ideo nec acta facta in restitutione minoris proderunt huic. Bald. in l. 2. hic.

Datúrne hæredibus minorum restitutio?

Quid ni? l. 6. de in integr. l. 18. §. ult. quamvis majoribus. d. §. ult. aliisq; successoribus. Mynſ. obs. 19. c. 4. quia damnum est familiæ Cast. h. d. l. 1. 2. quæ in hæredem transmittitur. §. ult. de hær. quod.

l.hæ-

l. hereditas. de R. I. ideoque & causa restitutionis inhærens. Cast. in d. l. 6. Nam & tralaticium est, hæredem uti jure defuncti. l. 59. hæredem. Vbi Dec. Cag. & Dd. de R. I. cujus in locum & jus succedit. l. 11. de divers. & temp. præs. & personam repræsentat. §. 1: in Auth. de jur. à min. præst Dec. cons. 262. num. 3. Hoc etiam observandum, quando soli minori datur restitutio, dicitur beneficium Personale, quoties ad hæredes, Reale. VVurms. 1. pract. 15. obs.

Si tutor vel curator intervenerit, tit. 25. const. 5.

Quæ Continuatio?

Hactenus de causa efficiente & personis, quæ restitui possunt: jam de materia & gestis, quæ restitutionem quando admittant, aut respuant, consequenter est agendum.

Quid igitur hîc traditur?

Non tantùm minoribus contra suas ipsorum pactiones ipsis succurri, quas absque curatorum auctoritate iniverunt. l. 101. de V. O. verùm etiam, quæ tutore, curatore, parente, judice, procuratore. l. siquidem. j. de præd. min. l. 1. 2. 3. h. etiamsi ordinaria, tutelæ, mandati, &c. actione ab his indemnitatem, jusque suum consequi possunt. l. 3. l. ult. h. Vtilius enim sæpe illis est, rem suam recuperare. l. 9. in pr. l. si in emptionem. 35. eod. quàm id quod interest. l. 9. cujus plerumque probatio ad minimum reducitur. l. ult. de præt. stip.

Ex quo, nonné evincitur hoc extraordinarium, cum ordinariis concurrere posse?

Omninò. l. 3. h. quia non est famosum, sed civile, rei persecutorium. Cast. & Dd. in l. 1. §. de fid. nu. Cost. ait in l. in causa. 2. 16. quod cum remedium ordinarium contra unum, & extraordinarium contra alium datur, posse simul concurrere, & esse electionem minori, utro potiùs agat. l. 3. & ult. h. neque una electa, aliud consumitur. l. ult. h. Cuiac. h. nisi in judicio læsio fuerit accepta: tunc minor prius tutorē, cujus negligentia lis expiravit, convenire debet, quàm eum cum quo sibi res erat. l. properandum. §. ult. C. de jud. Bald in d. l. ult. h. & longè aliud est, ipso jure tutum esse minorem, ut restitutione opus non

habeat. d.l. 16. aliud verò habere actiones quibus agere posset. d.l. 9. d.l. 3. l.ult. imò ipse dubius litis eventus, sumptus etiam & molestiæ variæ causam adferunt, cur ad hæc evitanda, minor restitui debeat. l.5. tantum abest, ut alia agendi facultas, hoc illi beneficium intervertere debeat. d.l.3.

Si in communi eadémque causa in integrum restitutio postuletur, tit. 26. const. unic.

Quæ Continuatio?

Quemadmodum superiùs dixit restitutionem in integrum minorum, regulariter ipsorum fidejussoribus non prodesse: quod etiam ad plures porrigitur, sicut Imperator id hoc titulo pleniùs persequitur.

Ostendas & illustres hoc exemplo?

Vt ecce, si minor communem habeat causam cum majore, restituitur quidem minor, sed pro sua portione l. unica h. Quod adeò verum est, ut etiam restitutio minoris fratri etiam consorti, & quamvis communis res sit inter eos, non prosit neque commune sit restitutionis auxilium. l. si unus. ff. Si unus ex pluribus, ne contra regulas ad majorem ætatem beneficium minori concessum extendatur: nisi fuerit individuum quid, nec aliter consuli minori posset, præterquam etiam conservato majoris jure. l. si communem. 10 quemad. serv. amit. Cast. l. unic. num. 3 h.

Si adversus rem judicatam restitutio postuletur, tit. 27. const. 5.

Quæ Continuatio?

Sicut ex aliis causis, quando læditur & damno afficitur, sic quoque re judicata restituitur. Et ab hoc titulo incipit, (teste Cuiac.) enumerare causas, ex quibus minoribus dari solet restitutio.

Cur

Cur non dicit adversus sententiam; atque quando sententia nulla est, quæ non meretur nomen sententiæ?

Ideò, quia sententia potest appellatione suspendi. l. 1. & t. t. de appell. Quare non potiùs hac utatur. l. 7. §. pen. de min. vel impetrata ad persequendam appellationem restitutione. d. §. pen. Mynſ. obſ. 20. cen. 4. Si pupillus indefensus condemnatus sit. l. pen. h. t. tunc jure ipso tutus est, l. 4. h. l. acta. §. ult. l. contra de R. jud. ut restitutione non sit opus.

Quare in ea, quæ post appellationis tempora transiit in rem judicatam t. t. de re jud?

Cùm juris sit, ex ea agi posse ad executionem. l. 8. ubi Dd. de R. C. l. 15. de R. jud. & contra quam nulla recipitur probatio. l. 4. eod. nec supplicatio. l. ult. J. ut h. t. pen. & majoribus non succurratur. J. de R. Iud. ne principis quidem rescripto. d. l. ult. quia ipsis imputandum quod non appellaverunt. d. l. ult. Tamen minoribus non modò in gestis & commissis, sed etiam in non gestis & omissis succurritur, l. 36. l. 3. §. etiamsi. l. 7. §. 2. de min. Ideò etiam neglecta appellatione contra sententiam, quæ transit in rem judicatam, sive interlocutoriam sive definitivam (Nam & hac quoad partes in rem judicatam abit, licet non judici Iaſ. & Dd. l. quod jussit. de R. Iud.) ipsis subvenitur. Cast. h. in l. 1. num. 1. per c. coram. ex eod. nedum si inferior, sed etiam Princeps, aut præfectus prætorio vice principis pronunciarit. l. 3. h.

Quid hoc casu aget minor?

Non conqueretur de sententiæ iniquitate, neque petet, ut ex prioribus actis sententia reformetur. Bald. in l. minor autem. num. 4. eo. Verùm illud tantummodo, ut minor se dolo adversarii, vel suæ ætatis imprudentia deceptum amplius audiri, & ad probandum, allegandum, &c. admitti desideret, l. 18. l. 36. eod.

Quid si adversus inferiorum sententiam restitui desideret?

Non solùm ex his causis petet, sed etiam ob solam judicis iniquitatem. l. 1. de appell. ut cum minor ante judicium fecit, quod facere debuit, ideóque postulat, rescissa sententia velut iniqua, ex eisdem actis rectiùs pronunciari. l. 2. h. ubi Cast. l. 16. §. ult. cum ll. seqq. l. 42.

46. eod. nec modò contra rem primò, sed etiam iterum judicatam restituitur minor. d.l. 18. §.1. eod. etiam cùm provocationem omiserit. l.7. §.11 eod. vel allegationem. l. 36. si contumax fuit. l.53. 54. de R. Iud. utrumque à tutoribus defensus fuerit. d.l. ult. Excipitur res judicata propter favorem pro libertate. l. ult. J. si adver. liber. Item quando legitimè defensus est. l.2. J. in quibus cauf. rest.

Si adversus venditionem, t. 28. const. 2. cum Authent. unic.

Quæ Continuatio?

Superiore titulo primam attigit causam, ob quam indulgenda sit restitutio, pergit ad secundam, Quæ est venditio, vel emptio, nedum si eum inita pœniteat. l. 11. §. 4. l 27. §. 1. de minor. sed si eam affectet. l. 35. 38. eod. etiam adversus permutationem. l. 4. J. de præd. & al. reb. mi. quæ mater est quasi emptionis. l. 1. de cont. empt. Quod in uno juris, præsertim propter eandem rationem, id quoq; in altero. Vnde Imppp. In integrum restitutione minoribus adversus commentitias venditiones, & adversus tutorum seu curatorum insidias, sanctionum præsidio cautum esse, dubium non est. *l. ult. h. Debet valere venditio. Nam contra nullam, aut inutilem non opus est restitutione. Interim distingue.*

Quomodo?

Aut vendit ea quæ servando servari possunt, idq; sine decreto, & nihil agit, ipsoq; tutus est jure: aut vendit interposito decreto, & valet nisi sese læsum ostendens, cupiat restitui. l. lex quæ. J. de præd. mi. vel denique vendit, quæ servando servari non possunt: & tum quoq; restituitur propter enorme damnum & fraudis consilium. l. etsi sine. de min,

Quid si juramento muniverint contractum?

De quo in hac verba Alex. Imp. Si minor annis 25. emptori prædii cavisti, nullam de cætero te esse controversiam facturum, idque etiam jurejurando corporaliter] (puta, ait Cujac. h. tactis sacrosanctis Euangeliis, vel manu sublata, ut apud Orpheum ὅρκῳ σημαίνοντες, ἰσημήναντο ἢ χειρὶ, *quod Balsamon vocat* Cωμα-

σωματικὸν ὅρκον) servare confirmasti: neque perfidiæ, neque perjurii me tibi. (*Doctiss. D. Gothofr. affirmat Græcos affirmativè legisse, etiamsi jusiurandum interpositum esset. 10. Eccl. 10. & 12.*) auctorem tibi futurum sperare debuisti. *l.1.h. de quo itidem Freder. Imp.* Sacramenta puberum spontefacta super contractibus rerum suarum non retractandis, inviolabiliter custodiantur. Per vim autem vel justum metum extorta etiam à majoribus (maximè ne querimoniam maleficiorum faciant) nullius esse momenti jubemus. *Auth. Sacramenta h.* [*Imperator denegat jurisiurandi veniam. Quod non servatur ait D. Gothofr. in Gallia. Minor petit dispensationem ab Episcopo, vel ejus vicario, quæ non solet denegari: & posteà literas impetrat à Rege, vel ejus cancellario. Et ita servatur in Curiis omnibus, etiam in restitutione majorum. Bald. multis improbat hanc Authen. & adserit per eam multos in gehennam propter perjuria præcipitari: & idcirco supplicandum Imperatori, ut eam abroget.*

Adversus venditionem pignorum, tit. 29. const. 2.

Quæ Continuatio?

Ostenderunt Imppp. quomodo adversus venditionem simplicem aliarum rerum restituantur, jam declarabunt, quatenus adversus pignorum distractionem defendantur & juventur. Pignus enim utriusque gratia & debitoris & creditoris constituitur, illius ut facilius impetret, quod sibi credi poscat, hujus ut melius consultum & in tuto suum ipsi sit æs. Plus enim cautionis est in rem, quàm in personam. *l. plus. de R. I. Et pignus illud contractum est, vel ex conventione minoris, vel ex aliquo hæreditario contractu: ut illud conventionale, hoc hæreditarium vocari queat.*

Quid juris, si ex conventione ipsius constituunt?

Tum adversus venditionem ipsi, si à creditoribus pignorum prædiorum fiat captio & distractio, subvenitur, si ostenderit sese ex ea distractione magno detrimento enormíque damno affectum esse. l.1.h.

Quid

Quid si hæreditarium fuerit pignus?

Aut creditor bona fide versatus est in eo distrahendo, tùm desiderium propter ætatem postulantium revocari, non habet rationem. Injurium autem fuerit, contra jus alienum in restitutionem dari: nec minores contra jure communi gesta non restituuntur. l. ult. §. de in integr. rest. nisi ob grandem jacturam. l. 9. de Min. d. l. 1. Quod juris, etiamsi minor extraneo successerit: Sin malâ fide, tunc ipsum creditorem, vel tutores, sive curatores suos, qui venundari passi sunt, conveniet minor. l. 2. h. [Baldus ex text. l. fin. adstruit, appellatione contractus non venire propriè distractus. Vnde statuta facientia mentionem contractus, non procedunt in distractibus. Quod Tiraquel. de ll. connub. gloss. 5. num. 6, & 28. in odiosis obtinere sustinet.

Si adversus donationem, tit. 30. const. 2.

Præcedente titulo Impp. egerunt de probabiliore causa. Hic de improbabili, videlicet enormitate donationis. Quod donare sit perdere. l. 7. de don. & hac ætate sit magis dilapidare, quàm administrare, cùm non bono sit minori, neque ullum habeat συνάλλαγμα, atque Largitio non habeat fundum: huc accedit, quod Macedones & Parasiti minorum bona Porsenæ putent esse; cùm & ipsi magis sint promi, quàm condi. Vnde fit & in aliis facilius retractantur acta, in aliis gravius restituantur, quemadmodum in hac ipsa donatione magna est diversitas & varietas propter circumstantias, quid quantum cui, cur, & quomodo donetur, quidve sit juris in rebus, ipsis donatis.

Explica id clariùs?

Vt verbi gratia. Si minor quas res ante nuptias congruenti moderatione præsente etiam curatore, sponsaliorum tempore donaverit, eas non poterit obtentu ætatis, revocare, l. 1. h. ut sibi procæ gratiam conciliat, & sui fiat voti compos. Aliud si nimium. l. 4. §. de præd. min. Nimium est, inquit Paulus, licere tutori, respectu existimationis pupilli, erogare ex bonis ejus, quod ex suis non honestissimè fuisset erogaturus. Cùm tutor non rebus duntaxat (ὕστερον πρότερον) sed etiam

jam moribus pupilli præponatur, in primis mercedes præceptoribus, non quas minimas poterit, sed pro facultate patrimonii, proq́ dignitate natalium constituet: alimenta servis præstabit. solennia munera parentibus cognatisque mittet. Sed non dabit dotem sorori alio patre natæ, etiamsi ea aliter nubere non potuit. Nam etsi honestè, ex liberalitate tamen fit: quæ servanda est pupilli arbitrio. l. 12. §. 2. & seqq. ad Ad. tut. Respondent Vlp. & Iul. non debere tutores pupillo auctoritatem ad donationem causa mortis accommodare, nisi nonnullis casibus, quibus sine reprehensione tutor auctor fit pupillo ad diminuendum, decreto scilicet interveniente, veluti, si matri, vel sorori quæ aliter se tueri non possint, alimenta præstiterit. Nam quis feret de hoc querentes? neque prætermittendum hoc officium, cùm sit bonæ fidei judicium. l. 1. §. 1. & 2. de tut. & rat. Vtrumque enim concurrere oportet, ut mater egena sit, & pupillus in facultatibus positus. d. l. §. 4. Prædiorum donatio non valet ulla ex causa. l. prædia. ℂ. de præd. min. Item datur ei restitutio adversus donationem, si patri donanti alteri res mobiles, jam pridem sibi emancipato donatas, inconsulta ætatis facilitate consensum præbuerit. l. 2 h. Prætereà huc referatur, si liquidum jus remiserit. l. 1 2. ubi Barth. de novat. l. 4. ℂ. eod. ut cum modico contenta filia, etiam auctore curatore opulentæ hæreditati paternæ, in gratiam fratrum renunciant. c. 2. de pact. num. 6. Dd. & Bald. in l. 1. num. 3. h. Qui alienare non potest, non potest alienationi consentire. l. 160. de R. I.

Si adversus libertatem. t. 31. c. 4.

Sequitur jam ordine Quinta causa, videlicet, an restitutioni locus sit, si servum suum manumiserit. In quo hæc observanda sunt, aut loquimur de restitutione quam tribuit Prætor, aut de ea quam Princeps: aut de collata & obtenta libertate, aut de competitura: adeò ut contra sententiam pro libertate latam, non prærogativa ætatis, sed appellatio prodest. l. ul. h.

Evolve & enuclea ista?

Quia sicut libertas res est inæstimabilis, non leviter præstatur, præsertim si non adsit stabilitas judicii. V. tit. Inst. Quibus ex causis man. non lic. ita eadem rebus omnibus est favorabilior. l. libertas. eod.

eod. Unde illud Iustiniani. Semel autem causa approbata, sive vera sit, sive falsa, non retractetur. d.t. Inst. §. 6. Libertas est juris publici l. 53. de fid. lib. quod privatorum juri præfertur. Auth. quæ res.]. Communia de leg. Unde danda impediri potest: data revocari non item, neque similiter ab omnibus. Nam Prætor adversus libertatem non potest restituere, à Principe magna ex causa impetrari potest, ut si temerè actorem bonorum suorum & columellam domus suæ manumiserit, cujus damnum ad totius domus eversionem pertineat. l. 10. de M. Consulitur etiam minori actione perpetua in tutorem vel curatorem, cujus facto per manumissionem servum amisit. l. 1. & 3. h. in manumissum si ejus fraude læsus fuerit ad id quod interest. l. 2. h.

Si adversus transactionem, vel divisionem in integrum minor restitui velit, tit. 32. const. 2.

Quæ Continuatio?

Cumque causis ob quas minor restituitur, enumeratis, subjicit Sextam, nempe Transactionem, & divisionem, quæ & ipsa plerunque transactionis est species. gloss. l. 1.]. communia. utr. jud. & licet transactio Græcè ἀπαρτισμὸς sit, consummatio & finis negotii, adhuc patet ipsi minori aditus ad restitutionem, idq; sive ea intercesserit, sive cùm ipse adversus alium experiretur, sive alius contra ipsum. Atque hæc res distinctione quadam expedienda.

Demonstres illud?

Aut interposita est transactio super his, in quibus alienandis non requiritur decretum, sed solum tutoris vel curatoris auctoritas, vel denique solius adulti sufficit voluntas, si non habeat curatorem. Si verò super his quæ possunt servari, desideratur decretum & tutoris auctoritas. l. lex.]. de admi. tut. l. non solùm.]. de præ. mi. In divisione cum cohærede aut socio autem, id est, si minor habet rem cum alio communem, si talis sit, ut decretum flagitet, minor non poterit provocare socium ad divisionem, sed socius major eum poterit provocare. l. inter omnes.]. & ita interventu decreti procedet divisio. In

hisce

hisce inconsultò deceptus lusúsve minor, implorabit in integrum restitutionem.

Ipso minore restituto, quid fiet de adversariis?

Servandæ æqualitatis gratia etiam iis quibuscum transactum divisúmque est, pristinum jus redintegratur, & ex veteri causa extincta actio resuscitatur, ipsisq́ (ait Azo.h.tanquam Lazarus Mariæ & Marthæ) restituitur, etiamsi acceptilatione prior obligatio ipso jure fuerit sublata. l.1. h. Non minus oportet distractum, quàm contractum claudicare.

Si adversus solutionem à tutore vel à se factam, &c. tit.33.const.2.

Accedit ad Septimam causam, quam causatur solutio minori damnosa, quæ res varia distinctione indiget, & magna diligentia atque cautione peragenda, ne sæpiùs & amplius inquietetur debitor.

Quomodo?

Debebit solutionem celebrare auctoritate curatorum (si habeat) comprobatam; aut si non habeat, eum cogere, ut petat curatores antequam solvat, aut debitum in ædem sacram deponere. l.7.§.pen.verb. quod facere. &c. Si nolit semel liberari, nec ullam molestiam in posterum timere solvat interposita tutoris curatorisve auctoritate, & insuper adhibeatur decretum ceu sententia judicis, atque sic plenissimam consequetur securitatem: Sin aliter solutum fuerit, & pecuniam salvam habuerit, adhuc eandem summam petens exceptione doli mali poterit, submoveri: quod si malè consumpserit, aut furto, aut vi amiserit, nihilominus condemnabitur debitor, quia temerè solvit. Ita ex diverso pupilli, vel minores nihil possunt, sine auctoritate & consensu solvere: quia non fit accipientis, neque ullius rei alienatio ipsis sine autoritate tut. concessa est. l.28.ff. de ad.tut. §.2. Inst. quib. alien. lic. Restituitur etiam minor, si per errorem juris solverit indebitum legatum. l.2. h. existimans valere testamentum, quod nullum erat. l. 11. ff. de test. ma. & sic consulitur minoribus etiam jus ignorantibus. l.5. de l. Corn. de fals.

Quid

Quid agit restitutus adversus solutionem?

Condicit id si consumptum fuerit quod solvit: & agit cum debitore pristina actione, perinde ac si non solvisset. Cuiac. h. imò, si extet pecunia, quia dominium non est translatum, vendicari potest. d. §. Sciendum interim, non præcisè legem restitutionem polliceri, sed an tribuenda sit, per causæ cognitionem æstimari posse.

Si adversus dotem, tit. 34. const. unic.

Octavam causam superioribus addit, dotem scilicet, quæ etsi valdè favorabilis, ejusdémque præcipua quadam prærogativa, quod publicè interest mulieres esse, dotes mulieribus conservari, cùm dotatas esse fœminas ad sobolem procreandam, replendamque liberis civitatem, maximè sit necessarium. *Pomp. l. 1. sol. mat. nihilominus minori, & adversus eam succurritur.*

Dic quid tenendum?

Aut promittit dotem ultra facultates, & nulla est promissio. l. sive generalis. 6. de I. dot. Impossibilium enim nulla obligatio. l. nemo potest. de R. I. nu. 6. atque inanis est actio, quam inopia debitoris excludit. *l. 6. de dol. mal. aut ultra vires patrimonii non detracto ære alieno, ejusdem momenti est. l. 9. §. 1. de min. Non potest plus juris in alium transferre, quàm ipse habet. l. nemo 55. de R. I.* hoc enim cujusque est, quod superest ære alieno deducto. *l. subsignatum. 39. de V. S. Itaque si omnia bona in dotem contulerit, subveniendum erit illi. l. unic. h. si duriorem aliquam conventionem inierit, quàm faceret major. l. 48. §. 2. de Min. veluti, si ex intervallo stipulanti patri soluto matrimonio dotem sibi reddi consensum adhibuerit. l. 3. §. 5. in verb.* quoniam dos ipsius filiæ proprium patrimonium est *eod. Idem servatur in donatione propter nuptias, quia paribus cum dote passibus ambulat. J. de privil. dot. Verùm si machinatione aut fraude huc inducatur, ipso jure tuta est. l. 61. de jur. dot. quemadmodum, si prædia sine decreto & consensu in dotem contulerit, l. 8. J. de præd. min.*

Si

Si adversus delictum, t.35.con.2.

Quæ Continuatio?

Procedit ad Nonam causam, quam præbet delictum, quod coercetur sponte, vel ignorantia contractum. l. 1. de ll. & hinc à Demosthene dicitur: ἐπανόρθωμα τῶν ἑκουσίων, καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων. *l.2.eod. de differentia delictorum & gradibus tàm Theologi, quàm IC. & Philosophi multis agunt. Permagnum est discrimen, utrum quis consultò, judicio & voluntate, vel* ἐκ προαιρέσεως, *an inconsultô, impedita voluntate & judicii errore, id est, sciens volens contra conscientiam, vel ignorantia peccet. Atque ita dicuntur voluntaria & involuntaria delicta: sunt & mixta: quando metu, aut ira, aliquid committitur: causæ, effectus, & circumstantiæ sapè variant delicta. Quæritur, utrum quis sciens & volens, aut per ignorantiam aut coactionem: An in publicum exitium, an privatum alicujus incommodum: denique qualis sit persona delinquens, & læsa. Non est omnium par atrocitas: nec personarum eadem consideratio: juxta illud, duo cùm faciunt idem, non est idem. Præterea Lu. 12. discernuntur gradus.* Servus sciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit plagis multis. Non sciens & tamen delinquens, vapulabit parciùs. *In eandem ferè sententiam Marcianus respondit:* Delinquitur autem aut proposito, aut impetu, aut casu. *l.11.§.3.de pœn.item Paulus:* Propositum & voluntas, ait, delinquentis distinguit maleficia. *l. 53.de fur. Sic Antoni. Imp.* Crimen enim contrahitur, si & voluntas nocendi intercedat. Cæterùm ea, quæ improviso casu potiùs, quàm fraude accidunt, fato plerunque, non noxæ imputantur. *l. 1.ad l. Corn. de sic. eodem pertinet distinctio doli, culpæ & casus fortuiti. l.23. de R. I. Hæc quæstio de duobus nos commonefacit.*

1. De ratione ordinis, de summo jure & ἐπιεικείᾳ, *quæ est probabilis summi juris secundum circumstantias factorum: & pars justitiæ est, exequi pœnas. Id verò in universum fieri oportet, servatis gradibus delictorum.*

2. De utilitatibus hujus loci, quæ triplex est.

1. Vt refutetur Stoicorum paradoxon, qui omnia delicta paria esse contendunt.

2. *Vt formetur judicium de discernendis aliorum dictis & factis in vita communi.*

3. *Vt Magistratus modum servet in puniendis delictis.*

Iure reprehenditur Draco, qui omnibus delictis capitale supplicium statuit. Vnde sermonibus hominum frequentabatur hoc dictum: Leges Draconis non atramento, sed sanguine scriptas esse. Ignorantia aut facti, aut juris: facti aut proprii minùs excusabilis: aut alieni vel privati vel publici: hoc non tam facile toleratur & purgatur, quàm illud. Vnde est vitiosa & affectata ignorantia, accersita, illa & culpanda, est & minus vituperanda, quæ cadit in mediocriter diligentẽ, & hæc probabilis habetur. Iuris ignorantia vel divini, vel naturæ, vel positivi. Hæc etsi omnes scire debent. l. leges sacratissimæ. 5. de legib. tamen mulieres, milites, minores, & rustici interdum excusantur.

Quid puniuntúrne igitur involuntaria?

Affirmat Pap. in d. l. 1. licet pœna mitigetur, & multis legibus elucet, & in diversis speciebus facti, veluti, is, qui per ignorantiam, vel casum lapides finales abstulerit, verberibus coercetur. l. 2. de term. mot. Et ex l. 12. tab. qui ædes struemvé combussit casu quodam, non consultâ operâ, in eum est actio in duplum: vel si non solvendo fuerit extra ordinem punitur. l. qui ædes. de incend. ruin. Si levior culpa ex l. Aqu. agitur. l. qui occidit. 31. §. pen. Ad l. A. & Exod. 22. & Deu. 19. & l. 16. §. eventus. l. 32. eod. Sic aliquando flagitium sine dolo admissum, plectitur: si fortè res sit exemplo perniciosó noccitura. l. si quis. 38. de pœn. sic & bruta rationis expertia. l. 1. si quad. paup. supplicio nihilominus affecta, legimus. Gen. 9. Levit. 30. c. mulier. 15. q. 1. & cædes ab inanimatis factas Athenis in Prytaneo judicatas testatur Demosthenes contra Aristocrat. statua Niconis, auctore Suida, vel Diomedis, si EVsebio lib. 5. περὶ πχραοχιυ. credimus, quod ruens hominem vivum oppressisset & extinxisset, rea cædis ab interempti hæredibus acta, damnata & in mare demersa est. Ridiculum nisi dolorem propinquorum leniisset pœna reddita. Et Plin. lib. 8. na. hist. c. 16. de leonibus urbium depopulatoribus narrat. Obsidere, inquit, Africæ urbes, eaq; de causa crucifixos vidisse se cum Scipione, Quia cæteri metu pœnæ similis absterrerentur eadem noxa. Quint. Decla. 381. Nihil dulcius est ultione læso. Vide Cuiac. 19. observa. 19. Forn. 1. seles. 10.

Iam

Iam audire cupio, quomodo minores ex delictis restituantur?

Vlp. quaerens. Nunc videndum, ait, minoribus utrum in contractibus captis duntaxat subveniatur, an etiam delinquentibus, utputa dolo aliquid minor fecit in re deposita, commodata, vel alias in contractu, an ei subveniatur, si nihil ad eum pervenit? & placet in delictis minoribus non subveniri. *l. 9. §. 1. de min. Sic Tryphonius.* Auxilium in integrum restitutionis executionibus poenarum (vindictae & ultionis, non pecuniae) paratum non est *l. 37. eo. ut est furtum, adulterium, homicidiū, quae ll. antiquis etiam nominatim in impuberibus vindicantur. Cuiac. h.* Neque sit aetatis excusatio adversus praecepta legum, ei qui dum leges invocat, contra eas committit. *d. l. in fin.* Etenim malorum mores infirmitas animi non excusat. *Impp. Seve. & Anton. l. 1. h.* Et quid habet commune delictum cum venia aetatis? *l. 20. de min. Etsi non restituitur ob delictum, tamen imprudentia aetatis ad misericordiam judices commovet. l ferè. de R. I. Neque major factus punitur ob delictum, in minori aetate commissum, si tūm temporis cūm delinquebat in eum animadverti non potuisset. per gloss. & Dd. l. sciant. j. de leg. hared. VVes. h. Sed si ignorantia juris, culpa quoque & non dolo lapsus sit, omittendo aliquid. Vt si mater minor non petierit tutorem suis liberis impuberibus. l. 2. h. vel si eodem errore, contracto matrimonio, incestum jure civili commiserit l. si adulterium. §. si incestum. de adul. Item, cùm ex damno dato confiteri posset ne dupli teneatur, maluit negare, in hoc solùm restituendus sit, ut pro confesso habeatur d. l. 9. §. 2. Et ratio differentiae est, quod his casibus restituatur, superioribus nequaquam. Quia illa dolo malo admittuntur & ex animo veniunt, haec ex contractu. l. 1. h. j. facto & sine delicto involuntario, l. 52. in verb. quoniam ex malo contractu & delicto oritur. de R. Iud. ut in l. 1. h. non sit legendum, pro, sed extra venit ex contractu venit. ut in Basil.* ἀλλ᾽ ὅτι τὸ ἁμάρτημα μὴ ἀπὸ ψυχῆς πονηρᾶς, ἀλλ᾽ ἀπὸ συναλλάγματος ἔσχηται. *Cuiac. h.*

Si adversus usucapionem, tit. 36. const. unic.

Quæ Continuatio?

Transit ad Decimam causam, qua Usucapio traditur; illa ipsa, ut Gaius scripsit, bono publico introducta est, ne scilicet quarundam rerum diu, & ferè semper incerta dominia essent, cùm sufficeret dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spatium. l. 1. de acquir. rer. dom. maximè, cum qui patitur rem suam usucapi, eam alienare videatur. l. 28. de V. S. ut prima fronte res pupillis per leges non videatur usucapi posse. l. 48. in pr. v. nec interest. atque sic non putaretur opus esse restitutione.

Quid igitur sentiendum?

Iustus error facit, ut possit aliquando usucapi ab existimante, eum majorem esse. Etenim justus error facti, prodest acquirere volentibus. l. 2. §. si à pupillo. 15. pro emp. Quia hic plus est in re, quàm in existimatione, quod si scias pupillum esse, putes tamen (*ait Paulus*) licere pupillis res suas sine tutoris auctoritate administrare: non capies usu, quia juris error nulli prodest. *d. l. d. §. Illo igitur casu, quo possunt illorum res usucapi, possunt restitui. Vsucapio enim facilius interrumpitur, quia civilis est. d. l. 1. & pass. Ulp. tit. 19. tum quod ex negligentia causam trahat, adversus quam competit minori restitutio. l. 7. §. ult. cum ll. sequentib. Sed & ea olim contra minores currebat & perficiebatur: quanquam non æquè præscriptio. l. contra. C. de inoff. test. l. 2. C. in quibus caus. in integr. aut renunciatio. l. 30. de min. Hodie verò receptum est, nullam contra minores, ne quidem incipere usucapionem, nisi fortè 30. vel 40. annorum. l. ult. C. in quibus caus. Inchoatam autem contra auctorem, in cujus jus minor successit, dormire, durante pupillari ætate. l. sicut. ubi gloss. verb. servanda. l. cùm notissimi. ubi Bald. num. 1. C. de præs. 30. vel 40. ann. Balb. in tract. præs. 1. part. 6. par. princ. num. 34. Contra puberem rursus currere & continuari, sed beneficio restitutionis ob ætatem rescindi. Cano. in c. constitutus. de in int. rest. Salic. h.*

Si adversus fiscum restitutio postuletur, tit. 37. const. 3.

Quæ Continuatio?

Iam proxima est Undecima causa, quæ suggeritur adversus Fiscu, vel maximis pollentem privilegiis, utputa, qui privatos potest coge-

re ad

re ad edenda instrumenta. l. 2. §. 1. de I. F. detinere rerum publicarum etiam invitos conductores. l. 48. §. jus pignoris. eod. ut si non fuerit ipsi persolutum, aliis atque adeò solutum aufert, & sibi applicat. l. 18. §. fin. cum ll. seqq. eod. Cùm aliàs repetitio cesset, præsertim in eo, qui vigilans sibi suum receperit. l. 14. quæ in fraud. cred. l. 44. de condic. jud.

Quid hîc deciditur?

Fiscum contra minorem (privilegiatus cum privilegiario concurrens suo non gaudet privilegio) uti jure communi, ut ipsius restitutioni præscriptiones quadriennales & quinquennales non obstent. l. 1. 2. 3. h. Et minor contra fiscum non secus, quàm privatum defenditur.

Cujus est hæc notio?

Non solius Prætoris, aut Præsidis, sed & patronus & procurator Fisci adhibentur. d. l. 2. Ibi glossa denique soli hodie id Principi defert.

Si adversus creditorem, tit. 38. const. 2.

Quæ Continuatio?

Adjicit superioribus Duodecimam; quomodo læsus adversus creditorem erigitur & sublevatur. Creditor bifariam accipitur, aut ἐνπλάτει, & generaliter, cui debetur ex quacunque causa & actione, vel persecutione, vel jure civili (sine ulla exceptionis perpetuæ remotione) vel honorario vel ordinario vel extraordinario, sive purè, sive in diem, sive sub conditione. l. 10. de V. S. Specialiter & strictè, si pecunia sit credita & mutua. d. l. & sequenti. Et hic creditorem pro mutuante accipimus. l. 2. §. mutui datio. de R. C. qui in hoc contractu præcipuè credit pecuniam, & alienam fidem sequitur. l. 1. §. illud de separ. qui mutuò dat. Hic propriè credere, qui mutuum contrahit. l. 5. §. sed si dedi. de trib. act. Quo sensu & significatione & hic intelligimus creditum & creditorem.

Quid sibi vult hic titulus?

Sic discernito. Aut minor est filiusfamil. qui mutuam pecuniam accepit, & contra SC. Maced. data est ipsi mutuo, atque ipsi actio, nedum exactio negatur, idque, quia pessimo exemplo. l. 1. D. & J. de

S C. Mac. eodem modo. Si adolescens luxuriosus mandet tibi, ut pro meretrice fidejubeas: idq; tu sciens mandatum, susceperis: non habebis mandati actionem, quia simile est, quasi perdituro sciens pecuniam credideris. l. 12. §. 11. Mand. & meritò, quòd aere alieno obruti, facilè in quodvis flagitium impelluntur, & ad ignaviam desidiámque & luxum irritantur, & invitantur. Verum si paterfam. acceperit pecuniam, & ab bona fidei creditore, rescissa cautione credita pecunia, si non sit versa in rem ejus. l. 1. & 2. h. restituitur: debet se laesum, quod aliàs non praesumitur, probare. l. 5. §. de integr. restit. denique ipsum foenus & usura per se causa satis est. l. 2. verb foenori accepisti. h.

Si Minor ab haereditate se abstineat, tit. 39. const. 2. cum Auth. unic.

Quae Continuatio?

Restat Decimatertia causa, quam subministrat aditio, immixtióque haereditatis, vel agnitio bonorum possessionis, vel restitutio haereditatis ex Trebell. SC. Id non videbatur permittendum. Nam si de parentum haereditate ageretur, in quorum erant potestate, & si proximum locum & gradum in familia tenerent. Sui Necessarij erant haeredes ut sive vellent, sive nollent cogerentur esse haeredes. §. 2. Inst. de her. qual. & diff. Praetor tamen abstinendi fecit copiam, ut defunctus potiùs quàm superstes pateretur. d. §. 2. in fin. Si extranei esset jam ipsa aditione jus acquisitum erat creditoribus haereditarijs, & quasi cum illis contractum. l. 5. de O. & A. quod invitis auferri non debuit. l. id quod. de R. I.

Quid tandem definitur?

Ut sive minor temerè sese haereditati damnosa immiscuerit, sive adierit (immiscent & abstinent Sui, adeunt & repudiant extranei. l. 7. §. ult. de min.) sive se pro haerede gesserit, aut bonorum possessionem agnoverit, debet praesentibus & evocatis creditoribus haereditariis, decretum restitutionis interponi, alioqui (teste Heren. Mod.) ipsis non praejudicat. l. 27. §. ult. de min. Sed si creditores omnes absunt, vel quidam solenniter à judice citentur, quibus intra tres menses non apparentibus, minor sine periculo ab haereditate discedat, judice

dice providente, ubi & quomodo res hæreditariæ (judex quoque nemine petente prospicere potest ex officio, ne res pereant) debeant custodiri, quantitate earum in inventario apud acta (quod Bald. insinuatum vocat) confecto manifestanda. Auth. Omnes. ex Novel. 119. c. 6. & hoc non tantùm propter grande æs alienum in hæreditate, & periculum sit, ne de bonis eorum quid diminuatur, verumetiam quod ipsorum intersit, ne litibus vexētur, & sumptibus exhauriātur. l. 6. de min. Adde casum memorabilem, & dignum consideratione, quem Vlpian. refert. Si, *inquit*, locupleti hæres extitit, & subitò hæreditas lapsa sit, (puta prædia fuerunt, quæ chasmate perierunt, insulæ exustæ sunt, servi fugerunt, aut decesserunt, Iulianus sic loquitur, quasi minor possit restitui; Marcellus apud eundem notat, cessare restitutionem, neque occasio damni inconsultè accidit, aut lubrico ætatis captus est in adeundo locupletem hæreditatem, nec enim eventus damni restitutionem indulget, sed inconsulta facilitas. Ita Pomponius: & quod fato contingit, cuivis patrifamilias, quamvis diligentissime, possit contingere. Sed hæc res adferre possit restitutionem minori, si adiit hæreditatem, in qua multæ res erant mortales, vel prædia urbana, vel æs alienum grave, quod non prospexit posse evenire, ut demoriantur mancipia, prædia ruant: vel quod non citò distraxerit hæc, quæ multis casibus obnoxia sunt. *l. 11. §. 5. eo.*

Quid si sese non immiscuerint, vel adierint?

Factum hic requiritur, quod non præsumitur, nisi probetur. l. asseveratio. ʃ. de non min. pecun. Quare cùm eorum abstinentia in non faciendo consistat, absque ulla verborum testificatione & solenni professione, qua & aditiones & repudiationes fiunt, satis defenduntur, si non probentur. l. Actor. ʃ. de prob. restitutione non habent opus. l. ult. ꞩ. de rest. in integr. imò unius damnosam hæreditatem possunt omittere, & alterius locupletem retinere, utputa, paternam & avitam. l. 2. h.

Axioma.

Fides veritatis adminicula verborum non desiderat. l. 1. h. nisi subjicit. D. Gothofr. in stipulatione, novatione, & nuncupato testamento.

Si ut omissam hæreditatem, vel bonorum possessionem, vel quid aliud acquirat, tit. 40. const. 2.

Quæ Continuatio?

Hanc Decimamquartam suppeditat ratio superiori planè contraria, quando consulitur de acquirenda vel amittenda hæreditate, non deliberatur de vitiosa nuce, cassa glande, vili alga, ficu, frusto panis, aut titivillitio, sed de successione in universum jus, quod defunctus habuit. l. 60. l. 63. de R. I. Et sive sit bonorum possessio, sive hæreditas, omnia commoda & incommoda, onera & lucra, damna & emolumenta, actiones activa & passiva, denique etsi nihil corporale sit. l. 1. & 2. de B. P. continentur & intelliguntur.

Quid habet peculiariter hic titulus?

Quemadmodum minor restituitur, si quid ex propriis bonis amiserit: ita quoque si bonam occasionem acquirendi jus, quod in manibus habuit, neglexerit. ut si intra tempora constituta hæreditatem non adierit, vel bonorum possessionem non agnoverit, & si alio genere, legato, fideicommisso, donatione, delatam non amplexus fuerit, aut repudiaverit. l. 1. & 2. h. l. 7. §. 7. de min, l. 8. §. 6. ĵ. de bon. qua libert. succurritur ipsis. Etsi communiter in damnis faciliùs, in lucris difficiliùs contra jus succurratur. l. 4. & 7. de I. & F. ig. Sicuti graviter & prudenter Scævola resp. Si quis, ait, juvenili levitate ductus omiserit, vel repudiaverit hæreditatem, vel bonorum possessionem, siquidem omnia in integro sint, omninò audiendus est: si verò jam distracta hæreditate & negotiis finitis, ad paratam pecuniam laboribus substituti veniat, repellendus est. l. 24. §. Scævola. 2. de Min. Ut non tantùm lucra percipiant, verùm etiam subeant onera hæreditaria, ita ut & creditoribus, & legatariis, & fideicommissariis hæreditariis satisfacere cogantur, juxta ll. hæreditas. hæredem, qui in alterius locum, in alterius jus dominiúmque. ff. de Reg. Iur. nisi cum beneficio inventarii adierint, secund. l. scimus. final. ĵ. de jur. deliber. Minor tamen etiamsi se pro hærede gesserit, vel bonorum possessionem agnoverit, propter ætatem, cui subveniri solet, in integrum restituitur. l. 1. Imò unius parentum damnosam omittere hæredita-

reditatem, alterius lucrosam obtinere potest. l.2. tantum, dum restitutio postulatur, à judice vocentur creditores, aut illis absentibus, judex pravideat, ubi & quomodo custodiri debeant res, & quantitas illarum in acta redigatur. Auth. si omnes creditores. eod. atque hinc titulus : Si minor se ab hæreditate abstineat.

Hoc titulo agitur, ut non tantum succurratur minori, cum certet de damno vitando, sed etiam juvetur, cùm captet lucrum, veluti ut omissam hareditatem acquirat, vel bonorum possessionem, restitui potest in integrum, quod & tùm procedit, cùm tutorum vel curatorum authoritate omiserit vel repudiaverit; Nam aliàs est ipso jure tutus. Huc pertinet titulus: Si ut omissam hæreditatem vel bonorum possessionem.

In quibus causis in integrum restitutio necessaria non est, tit 41. const. 5.

Quæ Continuatio?

Sciendum est quoque, minorem non semper restitui, quod innuerunt illa edicti verba, Uti quæque res erit, animadvertam. *Hinc titulus*: In quibus causis restitutio in integrum necessaria non est.

In quibus non est necessaria?

Pro regula hic observandum: Quando communi jure munitus est, & ipso jure tutus, tum hoc subsidario & extraordinario remedio non est opus. l. in causa. 16. ff. de minorib. id est, quando ei integra causa, & integrum jus servatur. l. 2. h. t. veluti si contractum nullum gessit si nihil accepit, si nulla obligatio intervenit. d. l. in causa. in princ. §. 3. Si res mobiles sine consensu curatoris: immobiles sine decreto. Si res judicata sit contra indefensum. In his verbis, Et generaliter probandum est, ubi contractus non valet, pro certo Prætorem se non debere interponere. *Unde vulgò dicitur; Quod nullum est, nullum parit effectum. l. 1. C. de condict. ob caus. Item ubi nulla læsio est, ibi & restitutio non requiritur. l. & eleganter. ff. de dolo malo. Cessante enim causa cessat effectus. Breviter melius est intacta mino-*

rum jura servare, quàm post vulneratam, remedium quærere. l. ult. h. t. Exempli gratia. Vt si sententia contra illum lata nulla sit. l. pen. Item si patris interfecti necem non fuerit ultus. Nam eo casu majori, ut indigno, aufertur hæreditas, quod officium pietati debitum omiserit. l. 1. ∫. de indign. Si quinquennium effluxerit, adhuc querela inofficiosi datur, quia minori illud tempus non labitur. l. 2. h. l. Regula de I. & F. Si tutor vel curator (non tamen testamentarij) sine satisdatione administraverint, quia quæ ab illis gesta sunt, ipso jure irrita sunt. l. 3. & l. ult. ∫. de tutoribus & curatoribus. qui sat. non deder. Nec in exceptione non numeratæ pecuniæ, nec in usucapione, trium, decem, vel viginti annorum præscriptio ei nocet, quamdiu minor est. l. ult. Sed 30. & 40. annorum præscriptio contra minorem valet: non tamen contra pupillum. Item, si repetere condictione potest, quod solvit, quorsum restitutio l. 25. de Min.

Quid, itáne accipienda. l. 16. de Min. quasi minor, cui ordinaria competit actio, non possit poscere restitutionem?

Iam demonstravimus idoneam esse causam, si ob id restituatur, ne cogatur litigare. l. 6. de Min. de qua Hesiod.

——————— ——————— Ἔρις.
Σχετλίη· οὔπις τήν γε φιλεῖ βρότος, ἀλλ' ὑπ' ἀνάγκης
Μηδέ σ' Ἔρις κακόχαρτος ἀπ' ἔργου θυμὸν ἐρύκοι.
Νείκε' ὀπιπτεύοντ', ἀγορῆς ἐπακουὸν ἐόντα.
Νήπιοι, οὐδ' ἴσασιν, ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός.

Et hanc habet sententiam, quando causa ei integra communi iure servatur. l. 2. h. redintegratione restitutionis non sit opus. d. l. 6. §. 1. privatio enim habitum præsupponit. l. decem. de V. O.

Estné hîc præterea aliquid observandum?

Quid ni? minor debitor in contractibus bonæ fidei, legatis, & fideicommissis non constituitur in mora, simulatque cessat præstare, quod debeat; sed tum demum, cùm interpellatus fuerit. l. in mora. 31. de Vsur. Sed debitor pupilli & minoris etiam non interpellatus constituitur in mora, quæ irregularis dicitur & tenetur ad usuras. l. 3. & l. 5. de min. Testamenta stricti juris sunt, & tamen hic petuntur usuræ ex mora. Vnde colligunt, magis considerari privilegium, quàm naturam propriæ actionis. l. 3. §. 2. de adm. leg.

Tit.

Tit. 42. const. 2.

Quæ Continuatio?

Hic traditur, quomodo restitutio cesset non propter res, de quibus superiore titulo, sed personas, tam illas, quæ petunt restitutionem in integrum, quàm illas, contra quas petitur, atque hinc titulus, Qui & adversus quos restitui non possunt.

Quomodo negatur restitutio in integrum propter personas petentium, id est, minorum?

Vlpian. lib. 11. ad edict. respondit, Non restitui in integrum, qui sobriè rem suam administrans, occasione damni non inconsultè accidentis, sed fato velit restitui. Neque enim eventus (eventus enim non potest prospici. Vnde illud:

——————— careat successibus opto
Quisquis ab eventu facta notanda putat.)

damni restitutionem indulget, sed inconsulta facilitas. l. verùm. §. 4. ff. de minoribus. Item lib. 5. opinion. Non omnia, ait, quæ minores 25. annis gerunt, irrita sunt: sed ea tantum, quæ causa cognita ejusmodi deprehensa sunt, ut vel circumventi ab aliis, vel sua facilitate decepti, aut quod habuerunt amiserunt, aut quod acquirere emolumentum potuerunt, omiserunt, aut se oneri, quod suscipere non licuit, obligaverunt. l. non omnia. 44. de min. Quo etiam pertinet illud Alexand. Imperatoris rescriptum. Non restituendum minorem, si publicis actibus se industrium esse docuerit, ut lapsum eum per ætatem, verisimile non sit. *l. 1. h. neque tamen obesse ei debet, quod urgentibus patriæ necessitatibus (quæ non habent legem) decurio creatus sit, vel proroganda soboli, liberorum educatione prospexerit. d. l.*

Quomodo negatur restitutio propter personas contra quas petitur?

Ad hanc quæstionem in hæc verba rescripsit Iustinianus, Ut maneat in omnibus honor parentibus & patrono illibatus, sancimus nullo modo neque adversus parentes utriusque sexus, neq; patronum patronamve restitutionem dari. *Nam personarum reverentia*

verentia eis omnem excludit restitutionem. cùm procul dubio sit etiam ipsas personas cavere, ne quid sua opinioni contrarium existat. l. 2.h. Indignus militia judicandus, qui patrem & matrem, à quibus se educatum dixerit, maleficos appellaverit. l.1.§.fin. de obs.in lib.par. Liberto & filio semper honesta & sancta patris & patroni videri debet.l.9.eod.

Pulchrè & utiliter hîc quæritur ab Ulpiano, an minor quoq; adversus minorem restituatur?

Pomponius simpliciter scribit, non esse restituendum. Puto autem inspiciendum à Pratore, quis captus sit. Proinde si ambo capti sunt. verbi gratia, Minor minori pecuniam dedit, & ille perdidit: melior est causa, secundum Pomponium ejus, qui accepit, & vel dilapidavit, vel perdidit. l. 11.§.pen.

Sed hæc constitutio videtur parentum injurias erga liberos fovere?

Non prorsus; De dolo quidem propter verecundiam, etiamsi liberi immodicè læsi fuerint, non datur actio: sed in factum. l.si superstite. J. de dolo. Quinetiam & liberi adversus matres secundo nubentes, restituuntur, adeò ut eis acceptilatione seu apocha rerum ab ijs gestarum condicant, ne spoliatis liberis prioris matrimonij, vel se, vel maritos secundos ditent, vel liberos ex posteriori matrimonio natos. N.155. c.1. Rescripsit Imperator Iustin. & graviter, Reverentiam, honorem & obsequium, quidem parentibus conservandum, dùm tamen nihil ab ipsis in illorum detrimentum fiat. d.N. Cuiac. omnium illorum adversus quos restitutio postuletur, pudorem suggillari, & gravari opinionem: & olim forsitan famosa fuit actio, de circumscriptione adolescentis ex l.Latoria, Uti ne propter te, fraudemve tuam, captus fraudatúsve siem. *Quia, qui cum alio contrahit, vel est, vel esse debet non ignarus conditionis ejus. l.20. de R.I.*

Tit. 43. const. 4.

Quæ Continuatio?

Superioribus titulis recensuit Imperator duos casus, quibus restitutio in integrum cesset, nempe propter causas & personas: hoc verò titulo

titulo & sequentibus agit, quomodo ob dicta & facta minorum restitutio negetur. Quo pertinet titulus, Si minor se majorem dixerit, vel probatus fuerit.

Ostende quomodo hoc accedat?

Primùm, mendacio, quod ubique in jure nostro punitur. l. ult. ff. de rei vindict. & N. 18. Ita & hic. Veluti cùm tu detrectares cum eo, quem tu minorem esse existimabas, contrahere, ille fallaci ætatis majoris mendacio & prætextu te decipiat, se majorem asseverando, talis non restituitur; Quia non decipientibus, sed deceptis & circumventis, læsisque leges subveniunt. l. 2. Unde in SC. Velleiano hujusmodi extat Severi rescriptum; Infirmitas fœminarum, non calliditas auxilium sumit. l. 2. §. 3. ff. ad SC. Velleianum. Deinde, si ipso aspectu & facie se majorem probare conatus fuerit, Malitia enim hic supplet ætatem. l. 3. h. Denique si jurisjurandi religio, quod major sit, in instrumento interponatur ab illo. d. l. 2. v. l. 32. ff. de minorib.

Quomodo probatur ætas?

Testibus & instrumentis. l. 2. J. de his qui vend. velut tabulis professionum. l. 2. de excus. quæ plerunque à patre conficiuntur natis liberis: & matris & avi testimonium. l. 16. de probat. libris censualibus. l. 3. de censib. moris erat publicè ætatem profiteri. d. l. ab obstetricibus. l. 3. §. 6. de Carbon. Ex eo potissimùm anni computantur, ex quo præcipuam fidem ea in re constare, credibilius est, l. 13. de prob.

Sed quid, si ipse inductus & deceptus ab alio, se majorem esse crediderit?

Si minor oblatis tabulis ætatem deceptus, quasi major probaverit, poterit nihilominus in integrum postulare restitutionem. l. 1. Idem obtinet, si alia quacunque alterius injuria, & dolo vel circumventione acciderit. l. 2. Postremò, si errore, falsáque opinione hallucinatum fuit in probando annorum numero, poterit hic apud Præsidem provinciæ exponere, ut, veritate cognita, subveniat læso. l. 3. Ratio enim horum omnium est: Ne alterius factum aliis præjudicet, aut noceat, nec ulli sua simplicitas obsit. *l. 1. ff. de dolo.*

Axiomata.

Malitia minoris, justam ætatem repræsentat. l. 3. h.
Errantibus, non fallentibus subvenitur. l. 3.

Plus

Plus est corporaliter.(hoc est, tactis sacrosanctis Euangeliis) quàm instrumento, aut nuda voluntate jurare. l.3.

Tit. 44. const. 3.

Quæ Continuatio?

Ex facto itidem ipsius minoris negatur ipsi restitutio, Veluti, si semel agitatam & negatam restitutionem in integrum, repulsámque passus, iterum desideret, hujusmodi enim repetitio in jure odiosa est, quemadmodum in una eadémque causa, non licet tertiò provocare, neque duas sententias retractare. ℑ, ne liceat in una ead.caus. Hinc Titulus: Si sæpiùs in integrum restitutio postuletur. *Aliter quàm in armata militia, ubi vir fugiens denuò pugnat, victûsque semel, posteà sæpè victor evadit.*

Quid igitur consilii pupillo læso?

Iuvatur vel appellationis beneficio, si sententia, qua rejecta fuerit restitutio, displicuerit. l.1. vel causa ipsius novis defensionibus instructa, iterum poscere potest restitutionis auxilium. l.2. & 3.

Axiomata.

Appellare debent, quibus sententia displicet. l.1.h.

Nova defensio, novam facit causam. l.2.

Denegata semel restitutio, non est ampliùs petenda, nisi ad aliud, vel ad idem ex nova causa. l.3.

Tit. 45. const. 4.

Quæ Continuatio?

Accidit prætereà, ut sua ipsorum culpa sibi minores beneficium restitutionis præripiant, veluti, si adhuc minores hoc agant, ut in omnibus negotiis, quæ gerunt, pro majoribus habeantur. Hinc titulus de his, qui veniam ætatis impetrarunt. *Nec est, de quo querantur, cùm damnum, quod sua culpa sentiunt, sibi imputare debeant. l.quod quis.202. ff. de Reg. Iur. & l.scienti. eod. Alioqui si restituerentur, cum his contrahentes circumvenirentur authoritate Principis. l.1. attamen hæc ætatis venia, non cuivis temerè indulgetur,*

tur, adeò ut aliud in maribus, aliud in fœminis spectetur & observetur.

Quid in maribus?

Vt ij, qui patrimonia cupiunt gubernare, & ætatis veniam impetrare, vigesimum annum (completum non incœptum) impleverint, & non solùm annorum numerum probent, sed idoneis testibus morum instituta, probitatémque animi & testimonium vitæ honestioris doceant. l. 2.

Quid in fœminis?

Vt illæ, quas morum honestas, mentisq; solertia commendat, cùm decimum octavum annum egressæ (celerior est cursus prudentiæ muliebris) fuerint, veniam ætatis impetrent, neque se propter pudorem & verecundiam publico cætui demonstrare coguntur: sed vel procuratore misso, quinque testibus vel instrumentis probent illam ætatem, & ipsæ habeant tale jus, quale mares, ita tamen, ne prædia sine decreto alienent. d. l. 2.

Possuntné igitur mares alienare sine decreto?

Imò ne hypothecam quidem rerum immobilium sine interpositione decreti constituere possunt. Olim illis sine decreto venditio & pignoratio permissa erat, donatio nullo modo. l. ultim. ℑ. si ma. fac. alie. rat. hab. l. tutores. §. ab eo. de adm. tut. ut in hac parte sit similis minorum omnium conditio, sive petita, sive non petita sit ætatis venia. l. 3. Aliàs, ut Cassiod. ait, dùm opinioni præstare volumus, publicam utilitatem lædamus.

Axiomata.

Vbi requiritur examinatio personæ, procurator non admittitur. l. 2. Gothofr.

A personali comparatione fœminæ excusantur. ibidem. l. ultim. de arbit.

Ætatis venia non confert potestatem alienandi immobilia. l. 2. 3.

Non continuò pro majore habetur, qui Senatoriam dignitatem adeptus est. l. 2.

In dubio perfecta ætas intelligitur, ætas 25. naturaliter impleta, non beneficio principis, aut fictione indulta. l. 4. l. 50. de leg. 3. l. ult. de cond. & demonst.

Tit. 46. const. 2.

Quæ Continuatio?

Eodem pertinet ratihabitio eorum, quæ minor gesserit. quæ à majore nunc interposita, aufert remedium restitutionis, cui renunciasse judicatur. Quod enim majori jam semel placuit, id non poterit prætextu imperfectæ ætatis ampliùs displicere. l. quod semel. ff. de Reg. Iu. Durum quippe est fidem fallere. l. 1. ff. de constitut. pecun. Sic dicitur ratihabitio retrotrahi, & quod infirmum erat eo tempore, quo gerebatur corroborare & reconciliare, quasi jam tunc valuisset. arg. 61. vers. de R. I. c. 10. eod. num. 6. Vnde hic Titulus. Si major factus ratum habuerit.

Quomodo hæc ratihabitio interposita intelligitur?

Duobus potissimùm modis, Expressè & Tacitè. Nihil interest, inquit Paulus. sent. 1. facto, an silentio ratum habuerit.

Quomodo expressè?

Vel scripturis, vel sine scriptura. l. 1. Vel ipso facto, veluti si major pretium rei venditæ petierit, vel emptori obtulerit, vel pro evictione caverit: vel dicto sive verbis, ut si major se ratum habere pronunciaverit. l. unic. 5. de contr. jud. l. 20. 88. de A. Har.

Quomodo tacitè?

Silentio sive lapsu quadriennij continui jure novo; anni utilis jure veteri incipientis à majore ætate, quo præterito non auditur cupiens in integrum restitui. Extraordinarium juris beneficium est restitutio, & contra jus conceditur. l. ult. de temporibus. in integr. rest. Vigilantibus enim jura scripta sunt. l. pupillo. in fin. ff. quæ in fraud. credit. Ordinaria, quæ secundum jus dantur, ut quando decretum aliquando diutiùs durent. l. ult. si ma. fact. alie. rat. hab. nempe quinquennio. d. l. ult. de cond. Iud. vel decennio.

Tit. 47. const. 3.

Quæ Continuatio?

Cùm

Cùm hucusque de personis & causis, ob quas restitutio permittatur, aut non, egerit subjicit jam aliam inspectionem, nempe de actionibus & judiciis, ubi & quo in foro, et apud quem quæstio in integrũ restitutionis agitanda sit. Hinc titulus: Ubi & apud quem restitutionis cognitio agitanda sit.

Ubi igitur agitanda?

Imploranda est in foro ipsius adversus quem petitur: sive major sive minor eam petat, secundum axioma, ut actor sequatur forum rei. *l. 2 & l. ult. Et unumquodque eo modo est solvendum, quo est colligatum. l. nihil. ff. de R. I. Debet itaq; ibi peti, ubi adversarius domicilium habet. d. l. 2.*

Apud quem agitanda est?

Coram competente judice, id est, apud illum, qui ordinariã & contentiosam habet jurisdictionem. secund. l. 3. & tit. J. de his, qui non competent. iudic. & non tantùm pro tribunali apud magistratum urbanum & provincialem: sed etiam apud judicem à Principe datum, vel à magistratu ordinario, specialiter in hanc ipsam rem, vel in aliam, in quam quæstio restitutionis incidat. Unde apparet, esse misti imperij, & ideò cuilibet mandari posse, mandatoq; generali contineri. d. l. 3. Ex quo colligitur, restitutionem in modum contradictionis obijci posse. Cui. h.

Apud quem non potest expediri?

Apud Municipalem, nisi mandato præsidis. l. ea. quæ ff. ad Municipal. neq; judicem compromissarium, neq; arbitrum à partibus electum, neq; à Pedaneo datum, habente tantum notionem non jurisdictionem. d. l. 2. & l. 3. § si.

Tit. 48. const. unic.

Quæ Continuatio?

Sciendũm est non solùm minorem læsum in integrum restituendũ esse, sed aliquando refutationes id est compensationes, ut Accurs. vel (ut Azoni placet) restaurationes fieri in judicio: Unde Titulus. De refutationibus vel potiùs reputationibus, quæ fiunt in judicio.

Quid sibi volunt istæ refutationes?

Quandoquidem natura æquum non est, quenquam locupletari cum alterius injuria. l. 14. ff. de condict. indeb. Ne hoc accidat, rectè hic agitur de refutationibus, i. ut cùm pupillus propter restitutionē in integrum non sentiat damnum, ne etiam lucrum percipiat ex alterius detrimento. l. 1. ut et dicitur, Restitutio prius jus redintegrat, nullū addit novum. l. quod si. 24. §. Scævola. ff. de mino. Et profectò omnis restitutio in integrum est reciproca, aut iniquissima, si ex uno tantum latere restituat rem: excepto casu. l. pen. s. tit 20.

Illustra hoc exemplis?

Veluti, si minor cupiat sibi fundum cum fructibus restitui: ille vicissim debet pretium cum usuris offerre. Similiter adjutus adversus transactionem, debet reddere quod accepit, ut recipiat quod dederit. v. l. unic. h. t. aut quod percipere potuit. Paria sunt locupletiorem esse & in dolo hærere. Dolus enim pro possessore est. l. 174. de R. I. & quod hinc ad tertium pervenit, reddendum. l. alterius. de tut. & rat.

Tit. 49. const. unic.

Quæ Continuatio?

Sunt causæ, quæ per procuratorem agi non possunt, veluti criminales. l. ult. s. de procurat. l. ult. j. de injur. Ita etiam dubitari possit de causa restitutionis, an in ea procurator intervenire posset, cùm ætas hic probanda sit, & videatur requiri præsentia minoris, cùm ætatem plerunq; ex aspectu judicemus & æstimemus, juxta dictū: Facies computat annos. Unde hic Titulus: Etiam per procuratorem causam in integrum restitutionis agi posse.

Quomodo igitur causa per procuratorem agi potest?

Tùm demum & utilitatis causa receptum est, quando ei nominatim mandatum est, sive quando ad illud speciale mandatum habet. l. illud. 55. §. si tales. ff. de minorib. & l. Pomponius. in princ. ff. de procurat. Quia restitutio est extraordinarium remedium, quod generali mandato non continetur. d. l. illud. nisi sint tales personæ, à quibus mandatum speciale non exigatur.

Qua-

Quales illæ sunt personæ?

Puta tutorem, cognatum & affinem: OEconomus, *similesq; administratores, cui id specialiter mandatum non sit, sicut nec opus eo habent, posse petere nomine minoris restitutionem in integrum, nisi nominatim à minore prohibiti fuerint. l. patri. 27. ff. de minorib.*

Tit. 50. const. 1.

Quæ Continuatio?

Quemadmodum res litigiosa, id est, de qua lis pendet, in alium transferri nequit, vendensq; illam, nihil agit l. 2. J. de litigios. & appellatione interposita, sive ea recepta sit, sive non, medio tempore nihil novari, id est, attentari, & ad executionem perduci oportet, ff. nihil novari. Ita etiam flagitata in integrum restitutione, omnia in suo statu manere debent, nec quidquam fieri in alterius præjudicium, donec res finiatur. L. unic. Vis enim restitutionis est, ut negotij vires suspendat, l. 32. S. de transact. Vnde hic Titulus: In integrum restitutione postulata, ne quid novi fiat.

Tit. 51. const. 8.

Quæ Continuatio?

Postquam diligenter fideliterq; restitutiones, quæ minoribus competunt, persecutus est, jam quomodo majores & hæredes eorum ex ipsorum persona restituantur, ne scilicet ob justam causam injustè, ut legationem vel absentiam lædantur, tradit. Nulli enim publicum officium damno esse debet, l. videlicet. ff. ex quibus caus. majores. Quo pertinet Vlpiani Regula: Absentia ejus qui Reipublicæ causa abest, neque ei neque alii debet esse damnosa. *l. absentia. de R. I. qui non ob damnum, nisi dimidium justi pretij excesserit. l. 2. J. de resc vend. ut discant cautius mercari. l. 2. J. de fur. Vnde hic Titulus:* De restitutionibus militum, & eorum, qui Reipublicæ causa absunt.

Quem intelligis absentem?

Absentem (ait Vlpianus) accipere eum debemus; qui non est

in loco, in quo petitur. Non enim trans mare absentem desideramus. v. l. absentem. 199. ff. de verb. signific. aut ad personam refertur absentia, aut ad rem. Ad personam relata, duplici modo accipitur, aut animum intuemur, aut corpus, aut utrumq;: Ad rem tripliciter: per rei possessionem, formæ imitationem, rei interitum. Doctissim. Gœd. l. 499. & l. 14. de V. S. rursus de act.

Quotuplex est absentia?

Quintuplex vulgo traditur: Necessaria & probabilis simul: probabilis tantùm: necessaria tantùm. voluntaria sine contumacia: voluntaria cum contumacia. v. interpp. Inst. §. 5. de act.

Quis Reipubl. causa abest?

Reipubl. causa eos (sicut Vlpianus respondit) solos abesse intelligimus, qui non sui commodi causa, sed coacti absunt. l. Reipubl. 38. ff. ex quibus &c. et tàm diu Reipubl. causa abesse videbatur, quam diu alicui officio præest, quod si finitum sit officium, jam desinet Reipubl. causa abesse. l. si cum. 36. §. tamdiu. eod. Limitata causa, limitatum producit effectum. Respublica est cœtus multitudinis hominum, utilitatis & salutis communione sociatus, communibus utens legibus, & quidem consensu vel unam, vel plures inhabitant urbes. Dana. lib. 1. polit. Christ. c. 3.

Videris innuere, quod ii tantùm, qui necessitate Reipub. causa impediti absunt, restituantur?

Non tantùm: Nam addit Prætor, Si qua mihi alia justa causa videbitur, in integrum restituam. *qua causa necessariò Edicto est inserta; Multi enim casus evenire potuerunt, qui deferrent restitutionis auxilium, nec singulatim enumerari potuerunt, ut quoties æquitas restitutionem suggerit, ad hanc clausulam est descendendum. l. 1. in fin. l. sed etsi 26. §. Item, inquit Prætor, 9. eod. Veluti si quis legationis vel studiorum causa absit. l. 28. in princ. eod. Hinc facile est intelligere favorem studiosorum, ne qua injuria illis inferatur; Quia horum scientiâ totus illuminatur mundus ad obediendum Deo: & vita subditorum informatur ad obtemperandum magistratibus Dei ministris. Auth. habita. ʒ. ne filius pro patre.*

Enumera aliquot casus & exempla, quibus hic titulus clarescat & pateat?

Sive

Sive qui sint in militia occupati præsidiis & stativis, sive qua alia ratione absunt Reip. bono, sive dolo malo, interim res eorũ usucaptæ sint, aut venditæ à creditoribus; aut tempore amissæ actiones, quæ eis competebant: vel etiam tempore amissa bonorum possessio hæreditásve, & restituuntur hodie intra quadriennium continuum. l, supervacuam. C. de temp. in integ. rest. rescissa usucapione, venditione bonorum, distractione pignorum, præscriptione (ut si fiscus res alienas citra debiti causam vendidissent, earũ domini intra quadriennium fisco litẽ movere possunt, post quadrienniũ non possunt. §. ult. Inst. de usuc. nisi causa absuerint. l. 5. h.) Reip. temporis, restitutoq; dominio rerum restituta bonorum possessione, restitutis actionibus. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

Id non injuria quæritur hoc loco, num restitutiones fiant sanciente jure Civili, an contra Ius Civile?

Neutrum obtinet; Nam si lex ipsa sanciret, quorsum opus extraordinario remedio. l. in causa. Neq; eas disertè lex prohibet. Quoniam Prætor Iuris Civilis custos, id, quod lex vetat indulgere non debet, veluti in delictis. l. auxilium. 38. Vbi Triphonius, Non est (ait) ætatis excusatio adversus præcepta legum eis, qui dum leges invocat, contra eas committit. l, ult. in fin. ff. de Minoribus.

Quid igitur?

In iis casibus, de quibus lex principaliter non loquitur, mitigat asperitatem Iuris Civilis. v. l. nec non. 28.

Ob quam causam hæc rubrica peculiariter meminit militum?

Cùm illi arma magis quàm jura scire debeant. l. scimus. ult. C. de jur. deliber. & jugiter signis suis adhærere, ut defendant Rempublicam à qua aluntur. l. Militem, C. de locat. neq; ab iisdem sine periculo absint. d. l. multaq; pro Republ. sustineant. juxta l. 1. ff. de milit. & C. de militar. testam. Vt etiam non contemnendis privilegiis exornentur, videlicet quod non alibi possunt conveniri, quàm apud magistratum militum: Item quod ignorantia juris omissas exceptiones quoq; post sententiam, ante tamen executionem, proponere possunt. l. 1. C. de jur. & fact. ignor. Quod torqueri ob crimina nequeant milites: quod non sint astricti solennitatibus in testamentis ordinandis. t. t. ff. & C. de milit. testam. Ita hoc titulo restitutionis

auxilium intra annum utilem conceditur illis. l. 1. h. t. in expeditione, inquam, & castris, non domi desidentibus.

Tit. 52. const. 8.

Quæ Continuatio?

Accidit autem non rarò, ut milites in expeditionibus uxores comitentur. quæ etsi nullo Reipublicæ munere fungi possunt. l. 2. ff. de R. I. & in multis juris articulis maribus, utpote fœminæ sint deteriores. l in multis. ff. de stat. hom. tamen his ad exemplum & in consequentiam subvenitur. arg. c. accessorium. de R. I. in 6. Quibus officium publicum damno esse non debet, nec eorum uxoribus esse convenit. maximè cùm inter conjuges sit societas tam adversæ quàm prosperæ fortunæ, & individua vitæ consuetudo. Inst. de patr. potestat. Et juris omnis communicatio. l. 1. ff. de ritu nupt. Vt una caro, eademq; censeantur persona, c. debitum. x. de bigamis. & c. 2. 32. q 10. dicunturq; uxores maritorum radiis coruscare. Vnde etiam his non officit longi temporis præscriptio. l. 1. 2. h t. Hinc titulus: De uxoribus militum & eorum qui Reipubl. causa absunt.

Tit. 53. const. 7.

Quæ Continuatio?

Hic titulus communis est tam majoribus, quàm minoribus, & agit de temporibus restitutionum, neq; temerè. Quia Prætor omnibus olim annum utilem præstituerat. Constantinus deinde minoribus qui in urbe essent, post legitimam ætatem quinquennium; in Italia quadriennium; in provinciis triennium continuū definivit. Quam locorū diversitatem & differentiam, vt in aliis, ita & hic Iustinianus abrogavit, & non solùm minoribus, sed promiscuè etiam majoribus, & utrorūq; hæredibus consuluit. l fin. de reput. hæred. Vnde hic titulus: De temporibus in integrum restitutionis tam minorum, & aliarum personarum, quæ restitui possunt, quàm hæredum eorum.

Quid igitur Iustinianus constituit?

Vt nul-

Ut nulla observata differentia locorum vel ætatum, causa restitutionis ageretur & perageretur. l. ult. h. t.

Quando incipit istud labi quadriennium?

Ex primo die anni 26. in diem extremum anni 29. vel ex die quo insinuaverunt veniam minoris ætatis. l. 5. A militibus verò ex die missionis. l. 1. sicut & aliis Reipublicæ causa absentibus, ex die reditus.

Et cur ita extremus computatur?

Agitur de auxilio & præjudicio minoris. Ideo Ulpianus. Minorem autem 25. annis natum, videndum, an etiam die natalis sui adhuc dicimus, ante horam qua natus est. Ut si captus sit, restituatur. Et, cùm nondum compleverit, ita erit dicendum, ut à momento in momentum tempus spectetur l. 3. §. 3. de Min. ut in excusationibus tutelæ. l. 74. in fin. Ad Trebell. Proinde & si bissexto natus sit: sive priore sive posteriore die, Celsus scripsit, nihil referre. Nam id biduum pro uno die habetur, & posterior dies Kalendarum intercalatur. d. 6. aliter in testamentis. Ubi quærit Ulpianus utrum excessisse quis debeat 14. annum, ut testamentum facere possit? an sufficit complesse? propone aliquem Cal. Ianuariis natum, testamentum ipso natali suo fecisse quarto decimo anno, an valeat testamentum? dico valere. plus arbitror: etiamsi pridie Kal. fecerit post sextam horam noctis, valere testamẽtum. Iam enim complesse videtur annum quartumdecimum, ut Marciano videtur. l. 5. qui test. fac. Et l. 134. annum incipiente die, non exacto, civiliter non ad momenta temporum numerat. de V. S. & quasi hypothes. l. 74. ad Treb. in manumissionibus. l. 1. de manumiss. & honoribus. d. l. 74. & l. 8. de mune.

Quid de hæredibus eorum qui restituuntur?

Hic quædam distinctio observanda. Nam aut minor succedit minori: aut minor majori, aut major minori, aut major majori.

Quid juris cùm minor minori?

Tùm illi ex edicto datur, post suam legitimam ætatem ex defuncti persona non spectata tamen, aut computata ætate defuncti, totũ quadriennium. l. interdum. de minorib. & d. l. 5. §. 1.

Quod si minor minori hæres existens nomen militiæ dederit, majorque redierit?

Ex die reditus ad restitutionem in integrum habes, itemque si minor

minor redisti, post legitimam ætatem. l. 2. h.

Quod si majori nondum exacto quadriennio ipse minor, vel intra quadriennium constitutus, hæres extiterit, ac militiæ nomen dederit?

Tunc reverso cedet tempus, quod defuncto supererat. statim si major, vel post completam ætatem legitimam, si minor redisti. d. l. 2.

Quid consilii minori circumscripto, qui in militia annos viginti novem vel triginta exegerit?

Ipsi tempora restitutionis in integrum non computantur, nisi ex die missionis. l. semper. §. si quis. Reip. v. nam etsi quod vi aut clam. Quia ipso jure continuatur beneficium restitutionis. l. 3.

Quid si major temporalem aliquam actionem habens, nomen militiæ dederit?

Actionis tempus ei cedit: sed reverso causa cognita per restitutionem remittitur præscriptio temporis. l. 1. de rest. mil. & ita accipienda est pars prima. d. §. Si quis Reipubl. exemplo scilicet & argumento ejus. § qui præcedit. hæc Cujac.

Quid, si majori minor?

Tum si nondum fuerit completum quadriennium, non datur post legitimam ætatem hæredi totum quadriennium: sed ex persona defuncti id duntaxat tempus, quod defuncto supererat. d. l. interdum §. 5. & d. l. . §. quod si majoris. puta annus, si defunctus vixerit annis viginti octo.

Quid si major minori?

Eo casu statim hæredi ab adita hæreditate quadriennium conceditur, idq; ex persona defuncti. l. 4. l. 5. §. ult. l. minor autem. §. ult. ff. de minorib. l. 4. ff. de integr. restitut.

Quid si major majori?

Tum statim id conceditur hæredi tempus, quod defunctus habuit. arg. l. nemo plus juris. ff. de Reg. I.

Tit.

Tit. 54. const. 5.

Quæ Continuatio?

Cùm hactenus sparsim Imp. interseruerit quædam de majoribus, jam generali titulo disertè & ex professo agit de eisdem, atq; cùm non semper tam facilè restituantur, quàm minores, fit ut hic titulus, quemadmodum D. ita inscribatur; Quibus ex causis majores in integrum restituantur. *Et huc pertinent etiam illa Edicti verba:* Si qua mihi alia justa causa videbitur, in integrum restituam. *Quia majores non solent regulariter restitui adversus gesta, sed ob neglecta. Maximè in actionibus bonæ fidei. l. 3. h. In strictis, Stricta & angusta est potestas judicis: in Bonæ fidei etiam judex delegatus cognoscit de causa restitutionis, quæ incidit in eam rem cui principaliter judex addictus est, venitq; in contradictionis modum. l. ult. S. ubi & apud quem rest.*

Da igitur aliquot causas, ex quibus restituantur?

Veluti, si legatus civitatis (quæ minorum jus & locum tenent) absens condemnatus fuerit, instaurato judicio ex integro defensionibus uti potest. l. 1. Item si quis jussu Præsidis sub militari custodia fuerit detentus. l. 2. Item si ex contractu bonæ fidei lædatur. l. 3. Etiamsi Respubl. læsa fuerit. l. 4. Similiter juvatur, qui captus ab hostibus cum parentibus, & illis defunctis, legis Corneliæ beneficio reversus fuerit. l. ult.

Tit. 55. const. unic.

Quæ Continuatio?

Cùm sæpè reperiantur homines ea malitiâ & nequitiâ, ut quando ipsi suos adversarios lædere aut ulcisci nequeant, id tentent per alios, ut scilicet suæ vindictæ cupiditatem expleant & exerceant, alios scilicet subordinando, qui vexent & exagitent illos, cum quibus illis lis est: quapropter omnibus id agitur Iure Civili modis, ne cujusq; causa ex facto alieno deterior fiat, duriore videlicet opposito adversario, in quam etiam rem ita prospectum est, ut si quis alienando rem ali-

um nobis adversarium suo loco substituerit, idq; data opera in nostrā fraudem fecerit: tanti nobis in factum teneat-r, quanti nostra intersit, alium adversarium non habuisse. Atque hinc Titulus: De alienatione judicii mutandi causa facta.

Quid complectimur alienationis verbo?

Alienatum propriè id dicitur, cujus dominium in alterum transit, l. alienatum. 67. ff. de verb. signifi. sed ἐν πλάτει non solùm ad dominij translationem, sed etiam ad possessionis per calumniam amissionem. l. 4. §. non solùm. ff. eod. Item alienare intelligitur. qui rem alienam vendidit. l. 8 §. alienare. 2. Item alienationis verbum usucapionem continet: Nam (ut Paulus ait) vix est, ut non videatur alienare, qui patitur usucapi l. alienationis. 28. ff. de verb. signific.

Quæ igitur alienatio hîc est prohibita?

Quæ dolo malo fit, ut judicia imminentia evitentur. fieri enim non potest. ut quis judicij mutandi causa alienet sine dolo. Non debet ex alieno facto alterius conditio fieri deterior. l. 1. eod. Ideóque Prætor hoc remedium introduxit, ut nec huic actioni locus non sit, videlicet si quis ob valetudinem, aut ætatem, aut occupationes necessarias litem in alium transtulerit, vel si omiserit duntaxat possessionem, Prætor ejus factum improbat, qui tanti habuit re carere, ne propter eam sæpius litigarent. Hæc enim verecunda cogitatio ejus, qui lites execratur, non est vituperanda: sed ejus duntaxat, qui cùm rem habere vult, litem ad alium transfert, ut molestum, difficilem & morosum vitiligatorem, adversarium pro se subijciat, ut negotium faciat (haut rara avis hac nostra tempestate) passim. l. 4. eod.

Cujusmodi judicium hic intelligitur futurum, an præsens?

Futurum, quia judicio jam cœpto res fit litigiosa. Rei litigiosæ alienatio nullius est momenti, nec indiget ista actione. l. 2. l. ult. J. de litiga. nisi tamen judicium sit cœptum non de dominio, vel quasi, sed de alio quodam iure, quod actor habet in re. juxt. Novell. 1. de litig. Nā tunc locum habet perinde, ac si ante judicium alienata fuisset. arg. l. si posteà. de pecul. Oldend. 1. act. 11. Unde vulgò & rectè dicitur. Quod omnia attentata pendente judicio, debeant sine mora restitui in integrum, anteaquam procedatur in causa. Atque officio judicis revocantur attenta & expeditur restitutio, sine ulla solennitate judiciaria, & sine libello. idem ibid. aliter in spolio: c. olim. de rest.

Ostende

Ostende quomodo molestior subjiciatur adversarius?

Nempe si alterius provinciæ hominem aut potentiorem, ditiorem, fori præscriptione, aut moribus, qui potiùs centum in litem expenderet, quàm pateretur decem à se evinci, duriorem, privatum tamen: aliàs si Magistratu, aut potestate præditum, alienatio ipso jure nulla est. nobis opposuerit Antagonistam d. l. 1. in fin. Quia (ut Cajus ait) etiã si cum eo, qui alterius provinciæ sit, experior, in illius provincia experiri debeo: & potentiori pares esse possumus. l. 3. Sed et si hominem, quem petebamus, manumiserit, durior fit nostra conditio: Quia Prætores favent libertatibus.

Ad quid competit hæc actio?

Si quis rem, ne secum ageretur, venundedit ac tradidit, in eum tanquam possessorem competit & vendicatio, & restitutoria. Cuiac. lib. 10. c. 3. Prætoria. l. 24. §. 1. com. divid. Et agitur in factum contra eum, qui in fraudem alienavit. In id quanti interest, alium adversarium non habuisse: proinde si res non fuit petitoris: aut si is, qui alienatus est, sine culpa discessit, cessat judicium, nisi quid actoris præterea interfuit. Ita non est pœnalis, sed rei persecutionem arbitrio judicis continet. Quare & heredi dabitur, quamdiu competit. in heredem autem, vel similem post annum non dabitur. quia pertinet ad rei persecutionem. l. 4. in fin. 5. 6. 7. eod.

Tit. 56. const. 6. cum unic. Auth.

Quæ Continuatio?

Fit etiam non rarò, ut cùm reus nullo modo possit effugere & evitare judicium, neque demonstrare rem, de qua contenditur, ad suscipiendum judicium non idoneam: tum superest, ut utriusq; partis consensu compromittatur in arbitrum, à quo lis minore molestiâ, & sumptu etiam ante judicium componatur. Fit etiam aliquando, ut reus excipiat de recepto arbitrio, ad quod absolvendum satius est arbitrum compelli, quam novam litem, novumq; judicium excitari & moveri. Unde hic Titulus: De receptis arbitris.

Quid est recipere?

Recipere inter alia etiam significat promittere & suscipere, quemadmo-

admodum hic; Vt & Vlpian l 1.§.8 ff.nautæ, caupones, in his verbis: Et puto eum omnium recipere custodiam. *Item Paulus: Qui fundum vendidit, pomum recepit, nuces, ficus, & uvas.l.qui fundū. 265. ff.de verb. signific. Et Iustinian. receptum interpretatur compromissum.l. 12.in verb.ex recepto. J. de jud.*

Quid est arbitrium recipere?

Is dicitur arbitrium recipere, qui quasi vir bonus receptus, patitur curam & solicitudinem finiendæ cōtroversiæ privatim in se transferri, cùm alioqui non teneretur. Vel (ut Pedius dicit lib.8.) qui judicis partes suscepit, finemq; se sua sentētia controversiis impositurum, pollicetur.l.idem Pomponius.14.§.7. ff.eod.

Quid significat & quid est arbitrium?

Arbitrium significat opinionem & sententiam boni viri ex æquo & bono delibatam. l.in personam.23.§.1. de R.I l.8.de contr.empt. non astrictam juris formulis ac angustijs. Vnde judicium bonæ fidei arbitrium dicitur.l.2.3.J arb tut. Est facultas dicendæ liberè ex æquo & bono, inter controvertentes sententia, privato consensu, non autē publica authoritate, tributa, ut omnibus animi viribus explorata controversia, litigatores sine magno utriusque detrimento dirempta lite in gratiam redeant. Vnde arbitria dicuntur ad similitudinem judiciorum redacta: & ad lites finiendas pertinere. l.1.ff.eod. Et idem inde etiam dicitur compromissum, quod litigatores pœnam invicem per stipulationem. l.sciendum de V.O. (sine qua non constat arbitrium.l. 1.eod.) compromittere soleant, ni sententia arbitri steterint. l.1.4. 5. h. t.

Quid est compromissum?

Compromissum est simultanea illa partium promissio, quæ sua spōte ad alicujus boni viri arbitrium, suam remittunt controversiam, adjecta plerunque per stipulationem pœna ab illo præstando, qui non steterit arbitrio, quod non est perpetuum. l. diem proferre. Hinc ad aliquem ex compromisso ire. l. 76. pro soc. nec dicitur ante acceptationem judicis. Bald. in l. Si cum dies eod. Compromissum etiam interdum sententiam arbitri significat. l. 2.eod. quam vulgò laudum vocant. Bald.l ult §.sed etsi.ò.communia de legat ἐν πλάτει quodlibet arbitrium. l.27.§.ult eod. Bifariam compromittebatur. Aut de omnibus rebus controversiisq;. l. de rebus eod. aut de re & lite certa, quæ

sola

sola in compromisso exprimebatur. l. quod tamen. §. plenum. eod. Vide Briss. in for lib. 6. pag. 559.

In quibus conveniunt Arbitria & Iudicia?

1. *Quod in utrisque libellus sit offerendus, lis contestanda, jurandũ de calumnia, &c.*
2. *Interdiu ferri sententia.*
3. *Quot in quibus casibus mulier potest esse judex, in iisdem potest & arbitrix, & contrà.*
4. *Vtrobique propter contumaciam potest denegari audientia.*
5. *Iudicandum sit ex allegatis & probatis secundum veritatem et legum dispositionem.*
6. *Poterit pronunciari adhuc toto illo die, quo sententia lata est de principali, de accessorijs, puta fructibus & litis expensis.*
7. *Victus victori (nisi subsit ratio compensandi) in expensas condemnatur.*
8. *A neutro excommunicato sententia lata valet.*
9. *Vterque debet esse certus.*
10. *Vterque malè judicando vel negligendo facit litem suam.*
11. *Vtriusque sententia continens expressum juris errorem, ipso jure nulla est.*
12. *Vbique servanda est æqualitas.*
13. *Eodem modo opponuntur exceptiones, quæ in judicijs non habent, eadem nec in compromissis valent.*
14. *Neutrobi judici esse licet in propria causa.*
15. *Neuter servus.*
16. *Præparatoria stipulatio pœnalis non committitur, nisi intersit.*
17. *Vterque potest tanquam suspectus recusari ex causa superveniente, & antea quidem orta, sed nunc primùm detecta.*
18. *Confessio in processu facta, probationem inducit.*
19. *Per sententiam transfertur dominium.*
20. *Delegato judicum & arbitrorum uno mortuo, extinguitur potestas.*
21. *Coram utrisque fit præscriptionis interruptio.*
22. *Per sententias eorum inducitur consuetudo.*
23. *Quemadmodum à re judicata non appellatur: ita nec à laudo homologato.*
24. *Perit instantia causæ, lapsu triennij.*

25. *Neuter debet citationem decernere, nisi actor caverit de persequenda lite, & sarciendis impensis.*

26. *Argumentum à contrario sensu in utroque habet locum.*

27. *Vterq; etiam post sententiam ex intervallo potest interpretari, & declarare suam sententiam. Vide de his Ever. in loc. à jud. ad arbitria.*

Dixisti arbitria redacta ad similitudinem judiciorum, nihílne inter hæc interest?

Id dicitur non respectu causæ efficientis, qua debet esse liberum, & pronunciationis: sed processus & ordinis, & his potissimùm distant. Vnum est, quod arbitrium incipiat à consensu partium, & dat notionem quandam. l. diem proferre. 27. §. stare autem ff eod & l. non distinguemus. 32. §. de officio eod. Alterum quod arbitrium exigat pœnam. l. litigatores. §. arbitrium. & §. fin eod. & l. 1 h. t. Iudicium non æquè, quia habet ordinariam jurisdictionem, vel authoritatem mandatam cum potestate coercendi. l 1. & 3. ℑ. de jurisdict. omnium judic. Vnde condemnatus sententiâ judicis, compellitur judicatum facere. l. item veniunt. 20. §. item rectè. ff. de petit. hered. l. actori. 8. ℑ. de reb. eredit. Arbitrio verò non tribuitur tanta vis, ut scilicet inter privata arbitria, & judicia publica discrimen retineatur. Iudex sua sententia potest impedire dominij translationem, arbiter non potest: Iudex potest contra absentem contumacem pronunciare, arbiter nequit: ante sententiam latam, potest pactum interponi de non appellando, in laudo id non obtinet: maior 18. ann. potest consensu partium judex delegatus designari, at minor 20. ann. non poterit arbiter. l. cum lege. & ibi Alb. de arb. vid. Ever. d. l. Denique hæc pendet ab ipsis personis, quarum respectu aut dicuntur arbitri, aut arbitratores.

Qui sunt arbitri?

Qui secundum juris ordinem procedunt. l. 1. ff. eod. & ex compromisso adeuntur, id est, ex pœnæ repromissione, si sententia eorum non sit paritum: Nam nisi compromissum intervenerit, sententiam ferre non coguntur l litigatores. § arbitrium. ff. eod. & l. non distinguemus. 32. § 1. ff. eod. Hi enim sive æquum sive iniquum fuerint arbitrati, ratum est arbitrium, nec retractatur ex iniquitate. l. societatem. 76. § arbitrorum. ff. pro socio. & l. diem 27. §. stari. ff. h. t. Tum demùm hoc obtinet, nisi quid dolo stipulantis actum fuerit, ne quis doli præmium

mium ferat. l ita demum. 31. eod. ac sic evidens gratia, aut sordes arguantur arbitrorum. l. 3. h. t.

Qui sunt arbitratores?

Hi vulgò appellantur amicabiles compositores, & transactores, qui nullo juris ordine observato, nec ex jure, sed de facto disceptant, sine aliqua figura judicij, & similitudine, quorum sententia, si iniquitatem contineat, ad boni viri arbitrium redigitur, d. l. societatem. § arbitrorum. & ibid. Dd. In dubio tamen magis in arbitrum intelligitur compromitti, quia & contrahentes intelliguntur se juri potiùs voluisse conformare per l. si prius. 17. § 1. de aq. plu. arc.

Qui possunt compromittere?

Omnes qui non prohibentur, Iudai, filiusfam. vasallus, pralatus, tutor & curator, & quilibet administrator, cui libera administratio rerum commissa est, l 58. de procu. Contrariorum enim eadem disciplina. Prohibentur enim vel ob dementiam, vel ob infirmitatem atatis, aut ob statum, ut servus, aut ob sexum, ut mulier in aliena causa, propter intercessionem. d. l. non distinguemus. §. 2.

Quomodo dividuntur arbitraria?

Aut sunt voluntaria; aut necessaria ex judicis commissione. l. omnes 9.). de ferijs. l. apertissimi. 14.) de judicijs. Aut statutaria. Panorm. in c. directionis. 6. x. eod. Aut familiaria. Mynsing. observat. 68. centur. 4. A materia. Aliud generale, (ut s) Aliud speciale, A forma, aliud conventum, aliud stipulatum, aliud deniq; juratum. l. 4. h. Ab eventu. Aliud appellatione suspensum. Aliud homologatum. l. 4. §. ult. l. 5. h.

In quos potest compromitti?

Hic eadem regula, qua superius teneatur: Itaque non potest compromitti in servum, pupillum, furiosum, surdum, mutum l. sed etsi nona (Cuiac. 15. obs. 22. putant mulieribus integra fama id licuisse, Nam & Homer, Odys. 8. Areta uxor Alcinoi dicitur etiam inter viros disceptasse lites.) Neque in minorem 18. annis I. civili, jure Pontificio 20. c. 41. ibi Dd. de offic. deleg. l. 41. sed neque in mulierem, l. ult. h. t. nisi jurisdictionem habeat ordinariam. c. 4. eod. Non tamen sit ordinarius causa, de qua compromittitur, judex. l. 9. §. si quis. ubi gloss. & Dd.

Sed quid si in plures compromissum fuerit, ne

rit, ne

rit, ne res sine exitu sit, propter hominum facilitatem ad dissentiendum, quid consilii?

Ita utimur, ut aut omnes dicant sententiam, aut nullus. l. item si unus. 19. ff. eod. Verùm si in duos fuerit compromissum, & ipsi dissentiant, tertius adsumatur, cujus authoritati pareatur. Si verò in tres (ut Celsus tradit) fuerit compromissum, sufficit duorum consensus, si præsens sit tertius: alioqui non valere arbitrium, cùm quod in plures fuerit compromissum, tum quod ejus præsentia potuerit eos trahere in suam sententiam l. 20. ff. eod. Vnde in sequenti lege dicitur id demùm ratum esse quod major pars omnium judicaverit, cùm & omnes judicasse palàm est. l. 21. eod.

De quibus rebus potest compromitti?

De quibus non licet transigere, de ijs non licet compromittere. Bart. in l. jus dandi. ff. de tutor. & curat. Veluti de alimentis Ias. in l. de alimentis in princ. C. de trans. De rebus alienari prohibitis. Auth. res quæ. C. de fideicommiss. De causis spiritualibus, veluti de matrimonio, quia magnum vertitur periculum. De rebus pernitiosis Reip. & Ecclesiæ. De criminalibus: De popularibus & liberalibus, quæ debent habere majores judices, d. l. non distinguemus. §. de liberali, 6. & l. si qui. 8. C. de Episcopal. audient.

Quænam obligatio, quod juris vinculum existit ex arbitriis?

Id ex edicto Prætoris patet, quod ita habet: Qui arbitrium pecunia compromissa receperit, eum sententiam dicere cogam, & nisi arbitrio pareatur, qua de re recte compromissum erit, pecuniam compromissam solvi jubebo. *Ex quibus verbis apparet non tantùm arbitrum, sed etiam litigatores teneri.*

Qui tenetur arbiter?

Quemadmodum omnes actiones, omnesq; contractus à cujusq; voluntate pendent. Ita rescripserunt Diocletianus, & Maximianus, invitum comparare vel distrahere desiderium postulantis non justam causam l. invitum. 11. C. de contrah. empt. & l. nec temerè. C. de jure deliber. Ita initio recipere arbitrium, in cujusque est arbitrio. Vnde Vlpian. Tametsi Prætor cogat neminem arbitrium recipere: quoniam hæc res & libera & soluta est, & extra necessitatem jurisdictionis: attamen

ubi quis semel in se receperit arbitrium, ad solicitudinem suam Prætor hanc rem pertinere putat, non tantùm, quod student lites finire, verùm etiam, quoniam non deberent decipi, qui eum, quasi virum bonum disceptatorem inter se elegerint. Finge eum post causam semel atq; iterum tractatam, post nudata utriusq; intima & secreta, arbitrum vel gratiâ dantem, vel sordibus corruptum, vel alia ex causa nolle sententiam dicere, quisnam potest negare Prætorem se interponere debuisse, ut officium, quod in se recepit, impleret. l. 3. §. 1. usq; ad fin. ff. eod.

Interponit igitur Prætor indistinctè suam authoritatem?

Non: nam si pœna non ita sit compromissa, ut exigi possit, aut aliàs non rectè compromissum, non cogit arbitrum. l. litigatores. cum ll. seqq. ff. eod. Quod si eum compelleret ad id, ejus nullus esset effectus. d. l. non distinguemus. § 2.

Quomodo litigatores astringuntur?

Iure Deorum non nascebatur actio, l. 2. ff. eod. sed tantùm ex sententia judicis. l. in judicati §. 1. ff. de re judicata. Iure verò Codicis, non solùm exceptio, sed actio ex arbitrio semel approbato, datur, id est, si sententia silentio 10. dierum fuerit homologata. l. pen. h. t.

Quomodo finitur compromissum?

1. *Morte, nisi aliter actum. l. arbiter de recept.*
2. *Sententia, seu potius laudo pronunciato. l. diem. eod.*
3. *Lapsu temporis. l. si cum dies.*
4. *Mutatione judicij. l. litigatores.*
5. *Si arbiter Magistratus creatus fuerit. l. 3.*
6. *Solvitur acceptilatione, pacto, transactione, rei interitu. l. 1. non distinguemus. §. compromisso.*
7. *Cessione bonorum unius ex litigantibus. l. item.*
8. *Claudicatione compromissi. l. quid tantum.*
9. *Pronunciatione incerta. d. l. idem.*
10. *Manifesta & evidente corruptionis & sordium turpitudine arbitri, ut pro altero responderet. d. l. idem.*
11. *Quando forma & conventio in compromisso præscripta, non sit servata. d. l quod tantum.*
12. *Si alio loco & tempore, ut die feriata. l. omnes. J. de fer. l. si cum dies. §. arbiter. de recept.*

Tit. 57. de satisdando. const. unic.

Quæ Continuatio?

Antequam ad judices post arbitros pergit, tribus sequentibus titulis, quæ antequam judicia inchoentur, fieri necesse est, persequitur, & inprimis de satisdando, cùm nemo idoneus defensor sine satisdatione intelligatur, rectè in initio & in limine judiciorum de hac (ne judicia fiant elusoria) quæritur, & hoc ob levitatem hominum, qui sæpè ludere solent, ac perperam deserere sacrosanctam judicij censuram, simul etiam adversarium frustrari: Suadet igitur publica utilitas, ut aliquo quasi cautionis repagulo constringantur, conventique adsint.

Quid igitur est Satisdatio?

Est actus judicialis, quo datis (qui olim in judicialibus requirebantur) fidejussoribus sive pignoribus idonea de lite cavetur. Dd. in l. 1. de procurat. ubi Caius ait: Satisdatio eodem modo appellatur, quo satisfactio. Nam & satisfacere dicimur ei, cujus desiderium implemus: ita satisdare dicimur adversario nostro: quia pro eo, quod à nobis petit, ita cavemus, ut eum hoc nomine securum faciamus: huc etiam respiciens, ne sit judicium elusorium, inane, & frustratorium.

Quotuplex est satisdatio?

Ea à materia est, vel Civilis, vel Criminalis, vel Iuratoria, quam præstant, vel qui aliter cavere nequeunt, l. 1 §. omnes. ℨ. de assert. tollen. N. 52. Vel quod viri clarissimi sint. l. 12. ℨ. de prox. sacr. scri. Vel Illustres. l. penul & ult. ℨ. de dig. lib. 12. & Magistratus. l. unic. ℨ. ut magist. post. depos. ita tamen ut persona digna vel honesta sint. Auth. cui relicta. ℨ. de indict. vid. tollend. Item à forma, alia dicitur Nuda repromissio. l. sciendum. 11. & l. 3. ℨ de verb. signific. Vnde etiam alia satisdatio dicitur Personalis, alia Realis. Et hic obiter observandum, aliter satisdare ipsum judicem, ipsum actorem, aliter reum, aliter utriusque procuratorem.

Quomodo judex?

Olim in singulis causis jurejurando cavebat. l. 13. cum Auth seq. ℨ. de jud. hodie solum initio officij, non ad singulas causas. Novell. 9. cùm olim electione Prætoris singulis etiam causis judices vel privato dabantur, l. solent. de jurisdict. ut tum opus fuerit in singulas jurari:

ri; hodie non item, mandata quasi universitate officiis. In Authent. de iud. & defens. In Criminalibus hodie interdum adhuc cavet, petentibus litigatoribus præsertim reus; quæ cautio Securitatis, aut Salvi conductus dicitur. Pan. cap. ult. de treug. contra evidentiam facti, non juris. Bart. l. ult. ff. de dig. lib. 12. Continet autem liberam non tantùm accedendi, sed & recedendi facultatem. Bar. d. l. quam tum fragilem cautionem vocat. Menoch. consil. 100. Iudex delegatus partibus cavet per documentum suæ commissionis. l. 24. de rescript.

Quomodo actor satisdat?

Iure veteri non cogebatur satisdare §. 1. inst. eod. & l. unic. h. t. hodie tamen satisdat, se à tempore porrecti libelli intra duos menses litem contestaturum. d. §. 1. & Auth. libellum. de lit. contest. Deinde ad finem usque judicij se in lite mansurum. Speculat. de satisdand. in princ. Tertiò pro expensis, si contingat ipsum succumbere, & in expensas condemnari. Auth. generaliter. Vbi Dd. C. de Episcop. & Cleric. Quanquam (teste eodem Speculatore) hæc satisdatio interdum de consuetudine remittitur, sicut Iure Civili possidenti impossibilia. d. l. sciendum. Nam jure Civili possessor solùm cavet promissione. Prædia enim sunt pro prædibus: si tamen dominus possideat, quem tenet executio. Procuratorem possidere non sufficit, nisi eadem se pro suo principali præbeat. Quamobrem domino possidente procurator à satisdando immunis est, dummodo de mandato constet. Porrò, si in judicio non possideat res soli, cautio quæ exigitur tria habet capita: Vnum de resarciendo damno: Alterum de expensis: Tertium de persequenda usque ad finem lite. Chil. c. 46.

Quomodo reus satisdat?

Cavet judicatum solvi. l. qui propriè. 46. §. qui alium. 2. ff. de Procuratorib. & l. si Barsatorem. l. 5. ff. de fidejussor. Quæ satisdatione, jure novo levatur, si caverit judicio sisti, & se usque ad finem perseveraturum. §. 2. Inst h. t. & tempore sententiæ affuturum. §. alia. ibidem. Quod genus etiam in criminalibus recipitur, sicut & alia de reo præsentando. l. 26. de fidejuss. Qui tamen per procuratorem litigat, judicatum solvi. satisdare debet. §. sin autem. Inst h. & se tempore sententiæ præstò futurum. §. alia. eod. nisi immobilia possideat: quo casu tantum promittit. d. l. sciendum. Ias. ibid. nu. 1. 2. Et qui satisdedit judicatum solvi: ille non tenetur ad aliam judicio sisti. l. filiusfam. 14. Ias. ib. nu. 8. & in l. defunctus. §. fin. de procur. In Cri-

minalibus reus. I. Civili non facilè admittitur ad cautionem, sed potius vinculis & carcere constringitur. l. 1. ubi Barth. & Dd. de cust. reor. etiamsi bona immobilia in loco judicij possideat. Ias. in l. sciendum. In Realibus cavetur de bonis non minuendis. l. 16. de off. præs. interdum arresto res mobiles, vel etiam persona suspecta de fuga præcluditur. l. 7. §. pen. l. pen. in quib. caus. pig vel litig. immobiles cum fructibus sequestrantur. l. unica. ubi Dd. J. de prob. sequend. Nec fugitivi obærati admittuntur ad juratoriam cautionem. in Auth. de exhib. reis. In Personalibus antequam cesserit & venerit debiti dies, si vergat ad inopiam eadem cautio peti potest. l. in omnibus. 41. de jud.

Quomodo actoris procurator satisdat?

Si nullum mandatum habeat procurator, ne cum cautione quidem admittitur. Dd. in l. 1. de procurat. nisi sit conjuncta persona, l. sed hæ. 35. de procurat. & l maritus. 21. quæ tamen nec ipsa admittitur, si de contraria voluntate domini constet. l. Pomponius. 40 §. fin. eod. Nam si de mandato dubitetur, aut si non plenum apparuerit, cogitur de rato cavere. d. l. 1. Vbi Iason de procurat. Non tamen satisdat, si apud acta fuit procurator factus, aut si pro præsente procuret. d. l. unica. in pr. h. t. Quia patiendo, mandasse intelligitur. l. qui patitur. 18. ff. mandati.

Quomodo procurator rei satisdat?

Ille non tenetur dominum rem ratam habiturum. l. exigendi; Nam de suo dependet, si dominus rem ratam non habuerit l. non cogendum. 45. de procurat. Vt qui non admittatur, nisi præstita de judicando solvendo cautione. §. verò. 5. Inst. h. t. Quia secundum veterem regulam Nemo sine satisdatione alienæ rei idoneus defensor intelligitur. *d. §. 5. in fin.*

Quo in loco facienda est satisdatio, vel prædia possideri oportet?

In loco judicij, vel illius territorij vicino. Bart. in d. l. sciendum. ut in excussione debitorum principalis Salic. num. 2. & Dd. in Auth. præsente. J. de fidejussorib.

In quibus interponitur satisdatio?

In Civilibus. l. uni. h. etiam criminalibus saltem levioribus. l. 4. & 1. de cust. reor. In Capitalibus jure civili non admittitur. d. l. etiamsi possi-

possideant immobilia. Ias. in l. sciendum. sed nocentes vinculis, & carceribus adservantur. Bald. in d. l. 1. & 2. Fel. cap. ult. de accus.

Quomodo satisdatur?

Realiter tractanda est. Vbi enim facto opus est, verba non sufficiunt. l. peculium. in fin. de pecul. Satisdans cum sua accessione debet realiter obligari, datis fidejussoribus, idoneis non solùm facultatibus, sed etiam facilitate conveniendi. l. 2. in prin. qui satisd. Breviter. *Talem unusquisque praestat securitatem, qualem potest. l. 1. §. 2. J. de Asi. tol.*

Qui sunt satisdationis effectus?

Qui petit satisdationem, videtur in judicem consentire, facit l. sed etsi. 52. ff. de judiciis. Qui verò offert, non potest in jus trahi, arrestari, carcere (nisi in criminalibus) includi. l. si verò. 5. ff. h. t. Et nemo (*ut Vlpian.*) dubitat solvendo videri eum qui defenditur. *l. 95. de R. I. Alius denique effectus cautionis Personalis, alius Realis.*

Quis est personalis?

Ex eo oritur obligatio & actio personalis. l. 2. & penult. & tot. pass. t. ff. si quis caution. secundum tamen ordinem. Auth. praesente. J. de fidejussor.

Quis est realis?

Ex ea nascitur & hypothecaria obligatio & actio, vel ad poenam certam, si expressa sit: vel incertam (ejus scilicet, quod interest) si nulla expressa sit, l. ult. ff. si quis in jus voc. l. penult. si quis cautionibus. nisi justa excusatione temperetur. l. 2. & tot. pass. tit. si quis cautionibus.

Tit. 58. de formulis, const. 2.

Quae Continuatio?

Quia olim tantum Lege agebatur, id est solenni formula, impetratis, priusquam judex adiretur, solenniter actionibus, apud Magistratum agebatur: quae cùm adeo scrupulosa essent, ut in iis exercendis nemo alieno audiretur nomine. Vnde regula illa Vlpiani. Nemo Lege alieno nomine agere potest. *l. nemo. de R. I. propter rigorem & anxietatem juris Quiritum, quod in civili licebat, alium, quam cujus de re ageretur, actionem impetrare, ne solennia illa judicia prote-*

rerentur, quæ adeò observabantur, ut qui una syllaba deerrasset, lite caderet. Cæterùm cùm utilitas Reipublicæ aliud suaderet, evenit, ut juris illæ formulæ radicitùs amputarentur, impetrationesq; actionum cessarent. Unde hic titulus De formulis. &c. *Vide Zasium in l. 2. ff. de orig. jur. in verb. certas.*

Quid igitur hodie?

Cùm jus (Cicerone authore) in æquitate, non in una litera lateat, jam actiones ex legibus, & ipso jure nobis competunt, nec necesse est eas postulare: sed sufficit eas ipsas rei & proposito negotio competentes proponere. l. 2. h. t.

Súntne igitur hodie amplius in usu formulæ?

Crudelissimus tyrannus pernitiosum hunc errorem obtrusit, ut in exercendis judiciarijs, disceptationibus, causidici plerique (bonos & graves semper excipio) qui sine delectu in foro causas agunt, nullum adhibent modum, nullam rationem. Nam parum curant in quo causarum genere versentur, multò minus quam actionis formulam intendant, tantùm soliciti quo verborum apparatu, in judicium producant causam, quam nec semel cum suis circumstantijs perpenderint rectè Si in doctorum Commentarijs aut Repertorijs unum atq; alterum verbum affine invenerint, statim sibi victoriam spondent. Sic sine certa facti, juris, ceu actionis investigatione, illotis (quod dicitur) manibus ad tractandas causas prosiliunt. Tandemq; præpostero ordine (quod optimum esse debebat) id serò cum Phrygibus intelligunt, scilicet quàm impertinentem actionem proposuerint.

Hîc utique traditur, formulas & impetrationes actionum sublatas esse?

Formulæ verborum, & nimia curiositas antiquata est, qua multi abutebantur ad eludendum judicium. l. 1. & 2. h. quem locum falsò quidem intelligunt. & usus abripuit ad omnem dictandæ actionis inconstantiam, quasi liceat nunc passim sine ulla verborum & rerum cõjunctione & ordine, tumultuanter negotium, utcunq; in buccam venerit, apud judicem effutire. Atque hæc erroris causa, ut incauti nihil referre putent, quomodo proponatur factum. rectiùs Iason Inst. de act. & Barth. in l. edita. §. de edend. docet hodie adhuc dici actionem, & esse formulam, tantumq; cessare verborum aucupationes. Has formulas Constantinus sustulit, imperio in Thraciam translato,

&

& vetus illa superstitio, quam Cicero quoq; exagitat pro Cecinna, minus in Gracia probaretur. Vt & isti fallantur, qui (teste Olden.) referunt hunc titulum ad temp. Rom. Pontificum, à quibus primum impetrabantur actiones. Nam eorum auctoritas, diu ante Constantinum, ad Pratorem translata fuit. Vnde judicium dabo, non dabo.

Cur igitur opus cognitione actionis sive verbis, sive scripto agatur?

Nemo sana mentis negabit, si ex facti serie, quantumvis benè narrata: aut nullam, aut ineptam colligas conclusionem, totus libellus corruit. Caterùm petitio vel conclusio libelli, non potest rectè produci, praterquam ex natura & forma actionum, qua per singulas propemodum earum species variatur jure, ut viderè est ex Titul. Instit. de Act.

Interest etiam & litigatorum & judicis, ne quis anteà ad agendam causam accedat, quàm teneat certò ac nominatim speciem actionis quam intendere velit.

Primùm enim actor ipse qui sciet quibus modis instruenda sit causa sua, si ignoraverit vim ac potestatem actionis quam instituit.

Deinde reus, quomodo intelliget, utrum cedendum illi an contendendum sit, si nescit actionem adversus se in judicio deductam? Vlp. in l. 1. de edend.

Deniq; judex incertus erit quam rationem in cognitione & sententia sua sequatur, nisi ad amussim audiat ab actore, quo jure litigantes aliquid apud se persequantur. Hinc Pomp. in l. 2. §. deinde, de Orig. jur. Quas actiones (inquit) ne populus, prout vellet, institueret, & certas & solennes esse voluerunt. Gravissima sanè ratio, si rectè perpendatur.

Tit. 59. de Juramento Calumnia. Constit. 3.

Quæ Continuatio?

Egit duobus prioribus titulis de ijs, qua in judicio antecedunt. Ita & hoc. Nam (Plinio authore epist. ad Rufum lib. 5.) SCtum. Turpilianum olim extabat, quo, qui quid negotij haberent, jurare coge-

bantur, priusquam agerent. Quia satius est lites opprimi in ipso ortu, ne Magistratus querelis & causis nihili occupetur, neq; cives inter se rixantes pacem turbent, sumptibus exhauriantur, & non necessarijs negotijs impliciti, necessaria relinquant. Vnde Imperator noster ditit, talem curam habuisse, qui jura sustinebant, ne facilè homines ad litigandum procederent, ut etiam olim actores decima parte litis mulctarent temerè litigantes. §. 3. in prin. Inst. de pœn. temer. litig. in cujus locum pœna successit hoc juramentum (licet N. 112. cautio de decima parte litis videatur restituta) calumniæ, ut sit litium expediendarum remedium & compendium, & non solùm lites, verumetiam calumniatores minuantur, cum pro judicijs putabunt homines se sisti in sacrarijs Dei. l. 2. §. 8. & ultim. h. t. Vnde meritò hic Titulus ultimus: De jurejurando propter calumniam dando.

Unde dicitur Calumnia?

A Calvo, calvis, quod significat decipio, sive frustror. Vnde Calumniari, quod est falsa crimina intendere, l. 1. ff. ad SC. & Calumnia quæ accipitur pro omni malitia quomodolibet admissa. In procem. Inst. Ad res verò judiciarias relata designat alicujus in litē per fraudem, versutiam, & mendacium, vexationem, sive agatur, sive excipiatur, sive negotium malitiosè differatur. Ita & Cicero Carneadem notat, quòd optimas causas ingenij calliditate ludificari fuerit solitus.

Calumnia est accusatio instituta adversus absentem & totius rei ignarum, cui fides temerè adhibetur, non auditâ alterius partis defensione. Hac in Ecclesiis & Republica à multis grassatum fuit; Ita Iudæi Christum innocentem falso juris prætextu accusant blasphemiæ, seditionis, violati Sabbathi, intemperantiæ, & aliorum criminum. Omnes Apostoli & Martyres, & nunc homines pii, prætextu pietatis & Religionis, & obedientiæ erga Ecclesiam crudeliter trucidantur. Et multi præstantes viri apud Ethnicos, Aristides, Socrates, Palamedes, Themistocles. Miltiades, & alii per Calumniam oppressi & ejecti sunt, ut verè dixit Socrates, ἡ τῶν πολλῶν διαβολή τε καὶ φθόνος, πολλοὺς, καὶ ἄλλους, καὶ ἀγαθοὺς ἄνδρας ᾕρηκεν, οἶμαι δὲ καὶ αἱρήσειν, οὐδὲν δὲ δεινὸν μὴ ἐν ἐμοὶ στῇ. Lucianus in libello περὶ τοῦ μὴ ῥᾳδίως πιστεύειν τῇ διαβολῇ ita depictam ab Apelle CALUMNIAE imaginem depingit, ut ad VIRUM grandibus & patulis auribus, quem duæ mulieres IGNORANTIA & SUSPITIO circumstent, accedat admodum bella mulier CALUMNIA videlicet, quæ altera manu FA-

CEM

CEM ardentem teneat, altera IUVENEM in cœlum suspicientem, & Deum suæ innocentiæ testem invocantem, capillis trahat. Hanc anteit LIVOR, simul & comitantur pedissequæ INSIDIÆ & FRAUS. A tergo lugubri specie sequitur PŒNITENTIA respiciens VERITATEM accedentem cum PUDORE.

Quare non immeritò Plautus talibus imprecatur.

Homines qui gestant, quique auscultant crimina. Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant, Gestatores linguis, auditores auribus. Quod vulgò dicitur: *Calumniare audacter, quia semper aliquid hæret.* ejus auctor est Medius quidam apud Alexandrum essentatorum & calumniatorum coryphæus. Qui & dicere solitus fuit? Etiamsi Sycophantæ morsu inflictum vulnus sanatur tamen cicatrix manet Neque hoc quoque temerè sermonibus jactatur. Adversus Sycophantæ morsum nullum est remedium nisi καλὸς κἀγαθὸς γενόμενος perseveret. Unde frustra Herculi calumniam struxeris. Et pulchrè Isocrates; εὐλαβοῦ τὰς διαβολὰς κἂν ψευδεῖς ὦσιν· οἱ γὰρ πολλοὶ τὴν μὲν ἀλήθειαν ἀγνοοῦσι, πρὸς δὲ τὴν δόξαν ἀποβλέπουσιν. Delatores facilè evadunt calumniatores; illis primum L. Lapia præmia constituebantur, ut facinora occulta in exitium Reipublicæ perpetrata proderent, adeo ut dimidium multæ illis solveretur. Nero ad quartas revocabat, unde quadruplatores dicti sunt. Tiberii tempore eo impudentię progressi sunt, ut custodes legum haberentur ab ipso, atque ille nemini fidem abrogaret, sive quid veri, sive vani referrent, ut plerique criminis postulati ante judicium supplicium subierint, item fovit hos quæstus gratia Vitellus, Domitianus, Constantinus; Cõtra Vespasianus, Titus Pius, Antoninus, Macrinus, Impp. odio plusquam Vatiniano tanquam exitio publico debitos, persecuti sunt.

Quid est juramentum calumniæ?

Est accusatio, quæ prætextu juris, aliorum famæ, vitæ & famæ insidiatur, & rectè dicta & facta malitiosè depravat, & clanculum quoque de amicis innocentibus falsa crimina & suspitiones ferit: Et jurant litigantes jussu judicis. l. 1. de pupillo. §, qui opus. ff, de operis nov. nuntiat, quod credant (quia non est veritatis, sed tantum credulitatis) se

justam litigandi causam habere ac promittant se nulla tergiversatione usuros, quin interrogati verum, fateantur, nec se dolos in probationibus velle nectere. aut probationem aliquam in fraudem adversarij vel ad litem pertrahendant petere, ac sancte asseverent se neque dedisse, neque daturos cuiquam aliquid, ut suam causam. contra quam mereatur, adjuvet: t, pass t.h.& gloss, c.1, in verb, calumnia. x, de juramento calumnia quod quidem his fere versiculis continetur:

Illud juretur, quod iis sibi justa videtur;
Et si quæretur, verum non inficietur,
Nil promittetur, nec falsa probatio detur.
Vt lis tardetur. dilatio nulla petetur,

Quotuplex est?

Vel est judiciale, vel extrajudiciale.

Quomodo subdividitur judiciale?

In Generale & Speciale.

Qui jurant?

Actor, Reus, Heredes utriusque, Advocati. Procuratores, Tutores, & Curatores, OEconomi, Syndici. l.2, h, t, & Auth. principalis, eod. & c.3. 4, h,, tx.h.t.

Quomodo jurat actor?

Quod non calumniandi animo litem moverit, sed existimando se bonam causam habere, §, Item actores. Inst. h.t, & d l. 2. ad princ.

Quomodo reus?

Quod putans se bona instantia uti §.4. Inst. cod. vel potius conscientia. Nov. 50. pervenerit ad reluctandum d l. 2. vers, reus autem vel contradicendum.

Quomodo jurant Advocati?

Hi semel initio sui muneris tale præstant juramentum, quòd omne virtute sua, omnique ope, quod verum & justum existimaverint, suis clientibus inferre procurabunt: nihil studij relinquentes, quod sibi possibile sit. Cognito autem, quod causa sibi credita, improba sit, vel penitus desperata, ut ex mendacibus allegationibus composita, ipsi scientes prudentésque mala conscientia non patrocinabuntur. Sed etsi certamine procedente tale sibi cognitum fuerit, à causa recedent, ab hujus-

modi

modi communione penitus se separantes l. rem non novam, 14. §, patroni, §, de iudiciis,

Quomodo procuratores?

Non solùm in animam domini, sed etiam suam, maximè si post juramentum Calumniæ deputantur, & si speciale mandatum habeant, d. l. & ibi DD,

Quando jurandum est?

Statim in exordio sive primordio litis. aut saltem post litem contestatam l, 2, in princ, & dd. rem non novam, §, patroni intra tempus sive terminum à judice statuendum d. l. 2, §, 5, Et semel jurasse initio sufficerit. Auth hoc sacramentum, h 1, quia respicit universam litem, & in qualibet litis parte ejus religio exacta videtur,

Estne de substantia ordinis judiciarii?

Non, quia in qualibet litis parte jurari pot est, nec propter omissum in tota causa juramentum calumniæ, judicialis processus, alias factus legitime, non est nullus, neque annullandus,

Quæ pœna actoris & rei detrectantium hoc juramentum?

Si actor noluerit hoc sacramentum subire, & id ligitemè fuerit probatum, non liceat ei penitus ad litem pervenire sed cadat ab instituta actione, quasi improbus litigator, & à judicio quàm longissimè expellatur. Sin reus recusaverit in his quæ narratione comprehensa sunt pro confesso habeatur, & liceat iudice sententiam proferre, quemadmodum ipsa rei ipsi suggerit qualitas l 2. §. 6. h. t.

Potéstne remitti à partibus & judice jusjurandum calumniæ?

Non videtur. De eo enim in hæc verba Iustin, rescripsit. Sed quia veremur ne forsitan quidam collusione utentes remittere videantur inter se huiusmodi sacramentum, & ex dissimulatione nostram sanctionem deludant: sancimus omnes judices, licet ex compromisso cognoscant vigorem suum exercentes (quia non pro commodo privatorum, sed pro communi utilitate præsentem legem posuimus) minimè pati tale sacramentum remitti: sed omni modo ab actore & à fugiente exigi, ne paulatim videatur ejusmodi res defraudari, & sacramentum vel principalium personarum vel ad vocatorum ex quacunque parte mutilari l. 2. §. 4. h.

LIBRI TERTII CODICIS

Brevis & commoda Synopsis.

Liber hic tertius continet duo præcipua capita: Vnum scilicet de Iudicijs: Alterum de actionibus. Illud de Iudicijs in tria deducitur, quorum Primum est de judicijs: Secundum de personis, quæ in judicijs versantur, & sunt aut ministri Iudicum, quos satellites vel apparitores appellamus, ideoq; percipiunt salaria ut judices.

1. *Litigantes in exercitio & executione litium juvent.*

Tit. 2. *Vel Iudices, qui duplices sunt, aut inferiores delegati, sive pedanei.*

3. *Vel ordinarij, qui pro sua jurisdictione alios dant Iudices.*

4. *Ita tamen, ne quis, sive major, sive minor in sua judicet causa.*

5. *Aut litigantes, in quibus tria sunt spectanda: primum, ut habeant legitimam in judicio standi personam.*

6. *Deinde ut nemo invitus agere vel accusare cogatur.*

7. *Postremò ne reus pluribus judicijs distringatur, & omnia ordine instituantur.*

8. *Tertium, Generalis tractatus de judicijs est litis contestatio.*

9. *Ad quam cogendus est reus, nisi justas habeat excusandi causas, ut quia vel plus petatur.*

10. *Vel quia dilationes datæ sunt.*

11. *Vel propter ferias intervenientes.*

12. *Vel quod judex sit incompetens aditus.*

Tit. 13. *Qui est de jurisdictione omnium judicum, in quo notatur forum alicui competere ex varijs causis, veluti, quia agitur contra personam privilegiatam, vel miserabilem, ut pupillum.*

14. *Vel quia agatur de crimine.*

15. *De possessione.*

16. *Vel quod petatur fideicommissum.*

17. *Vel quod conveniatur, qui certo loco promisit.*

18. *Vel quia actio sit in rem.*

19 *Vel quod agatur de hæreditate, & de scriptis hæredibus in possessionem mittendis.*

20. *Vel de ratiocinijs, tum publicis, tum privatis.*

21. *Vel de causa status.*

22. *Vel de causa decurialis, vel cohortalis.*

23. *Vel quod sint Senatores & clarissimi, qui tam criminaliter, quàm civiliter conveniuntur.*

24. *Vel quod agatur de causis militantium.*

25. *Vel de causis fiscalibus, imperatoriæ domus, & hominum ejus.*

26. *Nota interim aliquibus casibus licere unicuique jus dicere, & sine judice vindicare. Secundo capite hujus libri continentur actiones, quæ sunt vel civiles, de quibus usq; ad nonum librum agitur: vel criminales, de quibus libro nono. Civiles actiones sunt vel reales, vel personales, vel mixtæ. Reales item sunt duplices, vel universales, vel singulares.*

27. *Vniversales, veluti querela de inofficioso testamento.*

28. *De inofficiosis donationibus.*

29. *De inofficiosis dotibus.*

30. *Item petitio hæreditatis.*

31. *Singulares actiones dantur, vel pro re corporali, ut rei vendicatio.*

32. *Vel pro re incorporali, tàm de servitutibus personalibus, veluti usufructu, habitatione, ministerio servorum.*

33. *Quàm de servitutibus prædiorum.*

34. *Mixtæ, vel mixtam causam habentes sunt l. Aquiliæ actio.*

35. *Familiæ herciscundæ.*

36. *Communi dividundo.*

37. *Communia utriusque judicij tam familiæ herciscundæ, quàm communi dividundo.*

38. *Et finium regundorum.*

39. *Et quoniam hæ actiones sæpè intentantur, & à pluribus & contra plures, de consortibus ejusdem litis agitur.*

40. *Actio noxalis.*

41. *Actio de alea lusu.*

42. *De religiosis & sumptibus funerum. De personalibus actionibus agetur sequenti libro. Quæ omnia ad hoc monostichon referri posse videntur:*

Tertia jus dicit, queritur, servit, petit, occat.

Pro-

Protheoria quædam in sequen.

ANtequam ad explicationem judiciorum progrediamur, unicâ & alterâ quæstione præmuniendos vestros animos, ut & majore alacritate hanc doctrinam amplectamini, & melius de hac re judicetis, magnorum virorum exemplo censeo.

Primùm igitur quæro, an quis bona conscientia, judicio præesse, & interesse posit?

Imò, etiam cum maxima laude apud pios & prudentes viros hanc provinciam sustinere potest: Tantum abest, ut judicia interdicta sint vel judices contempti, ut Deus etiam eos communione sui nominis dignetur. adeò ut in psalmo octavo, Dij salutentur. Item Iosaphat. 2 Paralip. cap. 19. hortatur judices ad rectè judicandum: Videte (*ait*) quid faciatis, non hominis exercetis judicium, sed Domini. Et quodcunque iudicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Non est enim apud Deum Dominum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec δωροφαγία. Breviter: *Deus non solùm approbat in exemplo: sed quoque commendat in genere.*

Quid respondes ad locum Pauli, qui extat 1. Corinth. 6. vers. 1. & sequent. ubi ait: Itaque si judicia habeatis de iis, quæ ad huius vitæ usum pertinent, eos, qui minimi in Ecclesia fiunt, in subselliis collocate. Si tales vult Paulus judiciis præfici, non leve argumentum eius auctoritas, quod fungi officio judicis non satis deceat Christianum. Quorsum igitur de judiciis, eorumque observationibus inquiremus, si comprobentur ea indigna Christianis?

Interpretes ita intelligunt hunc locum Pauli, ut malit Paulus quemvis Christianum, & contemptissimum inter pios & fideles judicem agere, quàm apud impios & prophanos litigare, non quod ille infimum quenque præficiat: sed ut declaret, quàm sit alterum indecorum, & ideò mox sequitur, Ad verecundiam & pudorem vestrum

dico. Loquitur enim Paulus de ijs, qui nullo pacis studio cum offendiculo proximorum litigant. Non improbat forenses controversias: Nam licet cuique jus suum tueri præsidio legum & pij Magistratus, modo absit omnis vindictæ cupiditas. Adeò illa verba ita accipienda sunt, ut AVgustinus affirmet se ex hoc loco Pauli, ad suscipiēda judicia cogi, cùm esset Episcopus.

At opposuerit quis, litigans in foro odit adversarium suum, quod est mortale peccatum?

Verè à Melanchthone respondetur, A causa per accidens, non valet consequentia. Accidit litiganti odisse adversarium, & potest mens bona litigare sine odio. Est enim litigare honesta disputatio, & inquisitio veritatis divinitus instituta, non solùm ad pacem tuendam: sed etiam propter disciplinam: & in benè moratis multas virtutes complectitur. Bona mens litigans subijcit se legibus, judicijs, & Magistratibus: Horum vocem antefert suæ cupiditati, agnoscit ordinem politicum esse Dei opus, nec vult conturbatione ordinis politici Deum offendere. Hæc obedientia virtus est egregia: Accidit in bonis ingenijs amor veritatis: sed in malè moratis per accidens concurrunt multa vitia, avaritia, odium adversarij, studium calumniandi, &c. Aurea sanè doctrina & Melanchthone digna.

De Iudiciis, titulus I.

const. 18. cum Auth. 5.

Quæ Continuatio?

Expositis primo libro Iurisprudentiæ initijs, & secundo ijs, quæ antequam judicium inchoetur, fieri oportet, subijcitur Titulus De Iudiciis. *l. 2. §. 2. ff. de orig. jur. Etsi & hic titulus de judicijs inscribatur: continet tamen & alia communia judicum datorũ à Principe vel Magistratu cum ipsis magistratibus. l. 12. 13. 14. atque etiam ipsis arbitris.*

Quid significat iudicium?

Variè accipitur vocabulum hoc, pro discretione, consilio, dexteritate, prudentia, & solertia; Vnde impubes & furiosus dicitur judicio destitui. Item pro jurisdictione. c. forus. x. de verb. signific. pro Actione. ut judicium famil. hercisc. pro Vltima voluntate. passim ff. C. & N. de Vltimis voluntatibus. pro opinione, sicut in sermonibus dici consue-

consuevit, meo judicio &c. Item modus tractandorum judiciorum jure scripto traditus, aut consuetudine observatus, quem processum juris vocant. Postremò pro actu personarum trium, Iudicis, Rei, Actoris. d. c. forus. quemadmodum in hoc argumento.

Quid interest inter arbitria & judicia?

Id Cicero pro S. Roscio paucis tradit: Aliud (inquit) est judicium, aliud arbitrium. Iudicium est pecunia certa: arbitrium incerta. Ad judicium hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus, aut omittamus: at arbitrum hoc animo adimus, ut neq; nihil, neq; tantum, quantum postulamus, consequamur. Ejus rei ipsa verba formula testimonio sunt.

Quid est in judicio?

Directum, asperum, simplex.

Quid in arbitrio?

Mite, Moderatum.

Quis unquam ab arbitrio, quantum petiit, tantum abstulit?

Nemo: quantum enim æquius esset sibi dari, hoc petijt. Quo etiam alludit Seneca, lib. 3. de beneficentia. Melior videtur conditio bonæ causæ, si ad judicem, quàm ad arbitrum mittatur: quia illum formula includit, & certos, quos non excedat, ponit terminos: hujus libera, & nullis constricta vinculis religio est. Item arbitria sunt privata & privatorum constant consensu: Iudicia publica, & publicam potestatem, & Iurisdictionem habent. Litigantes compromittunt se staturos arbitrio sub pœna: Nihil tale in judicijs. Arbitria sine jurejurando peraguntur: Iudicia non excercentur nisi juramento à judicibus præstito. In arbitriis non habet locum appellatio, sed reductio ad boni viri arbitrium. Iudicia appellatione rescinduntur.

Quid est judicium?

Est legitimus actus duarum personarum principalium Actoris videlicet & Rei, vel per se, vel per suos advocatos, vel procuratores, apud Iudicem de sua controversia contendentium, ut finis liti sententia imponatur. Bald. h. de judic. & Abbas x. de judic. Licet Fabianus & quartum in judicio requirat, dicens, in judicio quatuor personas esse oportet, Iudices nempe, Accusatores, Defensores, & Testes. Iudices (inquit) uti debent æquitate: Testes veritate: Accusatores amplificatione: Defensores extenuatione. c. 1. 4. q. 4. Aliter. Iudicium est

investigatio secundum juris ordinem instituta à Iudice ad eliciendam veritatem, & eam elicitam custodiendam. Immol. x. de Iudic.

Quomodo dividuntur judicia?

1. *Alia sunt Ecclesiastica, alia Secularia.*

2. *Alia Temporalia, alia Spiritualia.*

3. *Alia Civilia, alia Prætoria.*

4. *Alia Publica, alia Privata, quæ in simplum, duplum, triplum, quadruplum competunt.*

5. *Alia extraordinaria, alia ordinaria.*

6. *Alia Civilia, Criminalia, alia Mista. Criminalia sunt vel Capitalia, vel non capitalia. Civilia rursus vel rei persecutoria, quæ dicuntur realia, vel personalia, vel pœnalia. Realia sunt iterum vel petitoria, vel possessoria. Petitoria aut sunt universalia, aut generalia, aut particularia.*

7. *Alia Simplicia, alia duplicia.*

Postremò alia sunt principalia, alia præjudicialia. Maranta his plures divisiones addit.

Quásnam igitur ille addit?

Vt sint conventionalia, alia reconventionalia. Alia competentia, alia incompetentia. Alia ordinaria, alia prærogata. Alia Iuredictionalia, alia arbitralia. Alia delegata, alia subdelegata. Alia valida, alia invalida. Alia voluntaria, alia necessaria. Alia denique principalia, alia appellationis.

Quæ dicis ordinaria?

In quibus exacta processus observatio requiritur, & legitima plenaq; causæ cognitio, ut si quid eorum, quæ ad ordinem & formam desiderantur, omissum fuerit, judicium ipso jure reddatur nullum, quēadmodum in criminalibus probationes luce meridianâ debent esse clariores, & testes omni exceptione majores. l. fin. ℑ. de probation.

Quæ appellas extraordinaria?

In quibus non ita strictim, neq; præcisè secundum judiciorum formam proceditur, quæ etiam de plano sine strepitu & figura judicij appellantur; ubi necessariò libellus non exigitur, neq; litis contestatio, neq; feriæ observantur, in quibus repelluntur exceptiones, & appellationes dilatoria, & frustratoria, testiumq; superflua multitudo. jux. c. sæpè. in clemen. in 6.

Quæ forma judiciorum?

Hæc proficiſcitur à tribus objectis, nimirum à perſonis, à rebus, & ab ipſis actionibus.

A quibus perſonis?

Ab actore, reo & judice, ut ſcilicet hæ perſonæ rectè conſtituantur, & diſtinguantur, ne judicium claudicet, aut confuſis partium officiis confundantur, veluti ne quis ſit in ſua cauſa teſtis. l. 10. ff. de teſt. neq; quiſquam in ſua cauſa judex. J. t. 5. (& ut verbo dicam) accuſatores & judices non iidem ſint, ſed per ſe accuſatores, per ſe judices, per ſe teſtes, per ſe rei, unuſquiſque in ſuo ordine. Ita traditur. c. nullus. 4. q. 4. l. nullus. 17. S. de Iudæis.

Quomodo à rebus?

Veluti ut ante petitorium poſſeſſorium agatur. l ordinarii. J. de rei vendic. prius de incidente quæſtione, quam de principali. l. 3. & criminalis antevertat civilem. l. ult. J. de ordin. cognit.

Quomodo ab ipſis actionibus?

Hic obſervandæ ſunt partes judicii.

Quotnam illæ ſunt?

Tres communiter conſtituuntur, ita ut ſingula ſua habeant membra.

Quæ igitur continet prima pars?

Hæc, videlicet citationem, contumaciam, libelli oblationem, reconventionem, authoris laudationem, poſſeſſoris nominationem, ſatiſdationem, exceptionem dilatoriam, litis deniq; conteſtationem.

Quæ ſunt ſecundæ partis?

Iuramentum calumniæ, terminus ad probandum, poſitiones, & articulorum exhibitio, teſtium productio & inſtrumentorum, & juramenti præſtatio, actorum editio, proceſſus publicatio, falſi quæſtio, teſtium reprobatio, tortura, concluſio in cauſa, allegationes juris.

Quæ tertiæ partis?

Sententia, Appellatio, Executio, quæ ab aliis ad octodecim capita rediguntur.

Quænam ſunt illa?

1. *Vt adeatur judex competens.*
2. *Citetur reus à judice.*
3. *Reo comparente offeratur libellus ab actore.*

4.

4. *Induciæ dantur reo ad deliberandum.*

5. *Quibus finitis judicio se sistit.*

6. *Et si habeat exceptiones contra judicem vel actorem eas opponit.*

7. *Si verò non respondere cogitur, affirmando vel negando. hinc litis contestatio.*

8. *Interim etiam satisdatur.*

9. *Interim pervenitur ad probandum.*

10. *Exhibentur articuli ab actore.*

11. *Conficiuntur interrogatoria per partem, contra quam inducuntur testes.*

12. *Producuntur & examinantur testes.*

13. *Excipitur contra dicta & personas testium, vel contra instrumenta.*

14. *Fit publicatio attestationum.*

15. *Concluditur in causa.*

16. *Fertur sententia definitiva, à qua, si iniqua videtur, appellatio conceditur intra 10. dies.*

17. *Si non fuerit appellatum, progressus fit ad executionem.*

18. *Initur taxatio expensarum.*

Quis est finis judiciorum?

Vt aut distrahant controversias, aut puniant maleficia. & oppressi juris sui legitimum & publicum habeant præsidium. l. 45. de his qui ad Eccles. confug. Cuiq; jus suum publica authoritate tribuatur. Huc pertinent l. nullus. 14. C. de Iudæis. & l non est singulis. de R. I. & l. si quis in tantùm ȷ̃. Vnde vi. & tit. ff. de vi privat. item C. ne quis in sua caus. jud. vel jus sibi dicat.

Qui sunt effectus?

Quod reddantur judicia in invitum, id est, reum l. inter. 82. §. 1. ff. de verb. oblig. Nemo enim invitus agere vel accusare initio cogitur. t. t. ȷ̃. Vt nemo agere &c. nisi post litis contestationem. Auth. qui semel ȷ̃. quomodo & quando judex. Quia ei illa quasi contrahitur. l. 5. §. idem scribit. ff. de pecul. inducit obligationem. d. §. novationem. l. l. aliam. de novat. jurisdictionem. l. sed etsi, ff. de judic. Et graviter Cicero, Vim, ait, volumus extingui, judicia valeant necesse. Subijciam hic aliquot judiciarias quæstiones, quæ inprimis ad illustrandam doctrinam de judicijs faciunt, ut studiosi rectè de ijs sentientes, pluris etiam eam & totam eorundem ordinationem faciant.

Númne liceat Christiano scriptis legibus Ethni-

ni-

nicorum ad jus suum exequendum in judicio uti?

Quemadmodum EVangelium, doctrina nimirum, de vita æterna & spirituali vitam corporalem non abolet: ita nec leges, neque ordinationes politicas. Prohibet autem vindictam privatam non publicam, quæ à Magistratu ex authoritate publica legum exercetur. Denique EVangelium non imponit gentibus Mosaicam legem, neq; ad eam Christianos astringit, nisi quatenus ipsa natura communis est omnibus hominibus. Actor. 5.

Estné opus scriptis legibus?

Vsqueadeò necessariæ sunt scriptæ leges, ut certò statuendum sit, ne ipsas quidem πολιτείας conservari sine scriptis legibus, aut subsistere posse. Homines enim sunt fragiles, facilè fallere & falli possunt. Ideò non est tutum, omnia ita committi Magistratui, ut pro arbitrio potiùs statuant, quàm ex præscripto legum, quæ omnibus eadem voce sine aspectu & affectu loquuntur. Id se velle Deus vivo demonstravit exemplo, legibus suo populo, quem maximè felicem & florentem volebat, editis & promulgatis, quemadmodum videre est, Deut. 4. ubi Moses eas mirum in modum commendat. Interest porrò tam ipsorum Magistratuum, quàm subditorum leges esse certas, ut illi sciant, quomodo & quid imperare & judicare debent, hi quatenus obtemperare.

Quid, utrum secundum jus scriptum, an secundum æquitatem est judicandum?

Vtrumque simul conjungendum est: quia nec scripto jure neglecta æquitate, neque æquo & bono ad jus scriptum non exacto respondere oportet. Nam æquitas ex scripto jure profluit, & verum est, scriptas leges secundum casum quem definiunt, summa æquitate latas esse. Sed ubi non idem casus, neque eadem circumstantiæ, neque omnia per omnia sunt similia. Hic tres gradus honestatis circa æquitatem sunt observandi.

Quis est primus?

Primum locum apud omnes ab origine mundi gentes sibi religio vendicat, quoties concurrunt plures diversæ sententiæ, semper præfere tur illa, quæ ad religionem propius accedit. Summa est ratio, quæ pro religione facit. Hinc illud, Deo magis obtemperandum quàm ho-

minibus. Actor. 5. Id quotidiè oramus, ut illius voluntas fiat. Vitanda ubique, quæ Religioni obstant, quia iniqua & impia.

Quis secundus?

Hunc sibi Respublica vendicat. Semper enim existimandum est, id æquius, quod ad publicam utilitatem spectat. Vnde Fabius Maximus ea optimis auspicijs geri prædicabat, quæ pro Republica gererentur. Vnde & Apostolus optat pro salute multorum anathema fieri. Rom. 9. ad Corinth 10. Vnde aliquando facinorosi ultimo supplicio dignissimi servantur, si hoc Reip. profuturum speretur. l. ad bestias. ff. de pœn. Hinc illud Iustiniani: quod communiter omnibus prodest, rei privatæ utilitati præferendum est. l. 1. §. ult. J. de caduc. toll. Vnde Cicero: Ortus nostri partem primam, asserit, vendicare sibi Patriam, quæ una omnium charitates complexa est.

Quis est tertius?

Est rerum privatarum, in quibus hæc absolutissima æquitatis norma & regula observanda, ut quod quisque juris in alterum statuerit, eo ipse utatur. Quo refert, quod Christus Math. 7. præcepit: Omnia quæcunque volueritis, ut faciant vobis homines, eadem facite & ipsis. Sed his quædam sunt generalia præcepta ad æqualitatem exercendam observatu digna, quæ ad quatuor redigi possunt.

Quodnam primum?

Vt ubi æquitas confligetur cum æquitate, inferior cedat majori, & semper eligendum, quod minus habet iniquitatis. l. quoties. ff. de Regul. Iur.

Quodnam secundum?

Quoties ex facti extremis, nimium elicitur durus in utramque partem sensus, toties mediâ viâ oportet colligere æquitatem.

Quod tertium?

Vt unusquisque faciat quod sibi non noceat, prosit alteri. Exemplum est in l. summa. §. idem variis. ff. de aq. pluv. Vnde Cicero: Quicquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur cuique vel ignoto. Hujus generis sunt omnia, quæ utilia sunt accipienti, danti non molesta.

Quod est quartum?

Vt naturæ & sanguinis ratio in censura æquitatis habeatur. Exempla in l. 15. ff. de inoff. testam. & 1. ad Tim. 5. ubi dicitur, qui negli-

negligit domesticos, fidem abnegasse, & infideli deterior. & 2. ad Corinth. 12.

Sed quia hîc passim attigisti ipsam æquitatem, quid vocetur, sitque æquitas, & quid summum jus, item quomodo equitas & summum jus differunt, ostendas. Quid igitur dicitur æquitas?

Æquum & bonum, ἐπιείκεια, id est, æqualitas, & justa rerum proportio, apta locis & temporibus, & personis, bona fides, germana justitia, verum jus, simplicitas legum, æqua lanx, humanitas, gubernativa sapientia, arbitratus boni viri, ipsa juris naturalis medulla, religio, quæ semper judici ante oculos esse debet, religio judicantis: quo pertinet illud Papiniani: Veruntamen (adserentis) quod legibus omissum est, non omittetur religione judicantis. l. 17. ff. de Testam.

Quid vocatur summum Ius?

Ius simpliciter in genere consideratum sine ullis causarum circumstantiis, apex juris, inflexibile jus, idem in omni negotio sine temperamento, perpetua & generalis definitio, prædurum jus, ἀκριβοδίκαιον, strictum propriè: & falso & alieno respectu summa injuria.

Quid est æquitas?

Est judicium animi ex vera ratione petitum de circumstantiis rerum ad vitæ honestatem pertinentium, cùm incidunt, rectè discernens, quid fieri, aut non fieri oporteat, & stricti juris asperitatem & duritiem mitigat. Vera ars æqui & boni, & non simulata philosophia. l. 1. ff. de just. & jur.

Quid est summum jus?

Certa honestatis sententia, quæ suo officio generaliter in Republic. fungi potest, sive à naturali jure, sive à civili ea petatur, tantum abest, ut debeat censeri summa injuria, donec non torqueatur specialiter ad aliquam facti inconvenientem circumstantiam.

Quomodo differunt Ius summum & AEquitas?

Prima & summa differentia hæc est, quod summum jus semel statuat in universum, & tantum de negotiis futuris, dat honestatis principia, nihilq; præter universalem sententiam, neq; ab ea discedens. Æquitas verò singulas negotiorum species curiosè perlustrat, perpen-

dit casus præsentes, & iam natis hominum controversiis, dijudicat, quænam inter multas legum formulas adhibendæ sint ad definitionem quæstionis præsentis propositæ, totáne an pro parte, quod ex ipsis causis æquitatis nimirum efficiente, materiali, formali, & finali melius perspiciemus.

Quænam causa efficiens?

Deus, qui naturam humani generis sic condidit, ut omninò de futuris negotijs certa præscribere non possit: tamen notitiam quandam nobis insculpsit, ut possimus certas quasdam honestatis formulas constituere, ad quas omnes factorum species, quandocunque incidentes, exigantur, arte quadam boni & æqui, id est, collatis & perpensis certa ratione circumstantijs.

Quænam materialis?

Ex qua ius est naturæ, civile, boni mores. Nam ex his fit pulchra quædam ac Reipubl. salutaris mixtura per judicium animi incorruptum. Circa quam sunt infinita hominum negotia, scilicet cum incidunt, tunc jus recte applicabitur pro re nata secundum circumstantias.

Quæ formalis?

Vt conferantur facta incidentia cum circumstantijs suis, non aliter, quàm ædificia probari solent, adhibita principalioribus eorum partibus norma: forma elegans extat apud Tryphoninum. in, l. bona fides. ff. depositi.

Quæ finalis?

Vt servetur æqualitas rerum humanarum, quæ maximè inter se sunt dissimiles, itáq; conservetur Republic. salus, quæ in rectis judicijs plurimum consistit, & sic transigatur ærumnosum hujus vitæ momentum ad gloriam Christi. VVesembecius usum æquitatis in tribus articulis consistere tradit.

Quisnam est primus?

In legibus ex æquo & bono ad sanam rationem, & rectam sententiam accommodandis & interpretandis: l. 24. 19. ff. de ll. & in l. 91. §. sequitur. ff. de verb. oblig.

Quis secundus?

In legibus ampliandis, & probabili ratione ad similes species quæ legibus comprehensæ non sunt, extendendis. l. 10. cum legib. sequentib. ff. de legib.

Quis

Quis tertius?

Vt in his, quæ nec verbis, nec de sententia legis, nec ratiocinationis argumento definiri possunt, pro juris et judicij norma valeat, quod æquitas suggerit, et hoc sequimur. vers. l. d. §. idem Varus. ff. de aq. pluv. arc.

Quomodo corrumpuntur judicia?

Bifariam, vel ob vitia formæ sive processus, vel ob vitia personarum, quæ præsunt judicijs.

Quomodo ob vitium formæ?

Trifariam: Nam peccatur vel in principio, vel in medio, vel in ipso fine.

Qui peccatur in principio?

Cùm actor non exprimat nomen suæ actionis, nec reus caput suæ exceptionis. Ita uterque ambulat in tenebris, et judici nebulas offundit.

Quomodo in medio?

Quod nullus modus aut finis scripturarum ad causam nihil pertinentium, servetur, quibus perlegendis non sufficiunt Magistratus.

Quomodo in fine?

Quod judices non exprimant causam suæ sententiæ, veriti, ne ineptam ferant sententiam, interim securi pronuntiant. Si intelligunt causam sententiæ, cur non adjiciunt? Si non intelligant, quid in dubio pronuntiant. Ita Olden.

Quomodo corrumpuntur judicia ob vitia personarum?

Quadrifariam. 1. Dum timore potestatis alicujus veritatem loqui pertimescunt.

2. Cupiditate, dum præmio alicujus animus corruptus, justitiam venalem prostituat.

3. Odio, dum adversarium nostrum quolibet modo lædere studemus.

4. Amore, dum amico vel propinquo gratificari nitimur. 10. q. 3. c. quatuor. In quos gravissimam dicit AVgustinus sententiam. Quisquis (ait) metu cujuslibet potestatis veritatem occultat, iram Dei in se provocat, quia magis hominem quàm Deum timet. Item melius

est pro veritate pati maleficium, quàm pro adulatione beneficium. Item unicuique providendum, ne aliquem injustè persequatur, vel judicet, vel puniat, ne Iesum persequatur. Ibid. Sed possunt vitia forma aliquando emendari, videlicet, quia una tantum spes authore Deo superest, ut prisca dicendi ratio, et simplex gravitas foro restituatur, qualia enim juvenum animis docendo inculcantur, talia postea per totam vitam exercent in publicis functionibus. Id intelligit Iustinianus, cùm admonet primùm animas, deinde linguas erudiri oportere, ut sciamus non quàm multum in scholis et foro, sed quàm benè et quid dicatur. Quod fiet, si summa authoritate constituatur, ut explosis commentariorum neniis, Professores nihil doceant et scribant, nisi simplicem et veram juris et æquitatis medullam, secundum ICtorum responsa, & Impp. placita, eorundemq; pro temporis ratione. In his ingenij lumen exerceant, ostendentes artem æqui & boni, id est, quàm eleganter juris authores, naturam velut ducem optimam in definiendis hominum controversiis secuti fuerint. Sic enim redditam juris civilis constantiam, sequetur judiciorum, omniumq; functionum certa & perpetua observatio.

Quid appellas certam & constantem rationem?

Quæ desultoriis careat opinionibus, & foro proximè accedat. In judicijs verò illud reformandum necessariò duxerim, ut persecutiones judiciariæ ad aliquam certitudinem & capita reducantur.

Quæ sunt illa capita?

Actiones & exceptiones, quas qui nescit, is totum quoq; judicij progressum nihilo certius intelliget, quàm cæcus colores.

Nihilne amplius desideratur?

Ut fines respondeant principio in judicijs, ut scilicet judices aliquid in sententia adjiciant, unde appareat eos causam cognovisse, et ad juris formam statum controversiæ exegisse. Quinetiam victi interest, ut intelligat quare superetur. Exstirpanda & eradicanda omnibus modis est illa clausula, **upt bewechlicke oorsaecken**, *qua nunc ferè judices utuntur, sub cujus prætextu quid non possit excusari? Oldendorp.*

Subjiciuntur quædam axiomata ex hoc titulo & ff. excerpta, non aliena ab hoc, quod egimus.

1. *Causa continentia non est dividenda. l. 2. & 10. h. t.*

Sed

Sed quomodo ad eundem judicem est eundum, cùm qui judicavit, functus sit suo officio?

Non est functus officio: datus enim generaliter judex, in hypothesi unica ejus specie definita, non est judicis extinctum officium. l. 45. de arbitr.

2. Idem est judex quaestionis incidentis, qui est causa principalis. l. 3.

3. Qui de principali egit omisso accessorio. si postea in sententia nulla fiat accessorij mentio, intelligitur accessorium remissum, & lis finita posteà ejus nomine instaurari non potest. l. 4.

4. Pedaneus judex à judice delegatus, judicem dare non potest.

5. Iudex appellationis reum per se audiet. Auth. ad haec, eod.

6. Servus interesse judicio non potest, nec in personam ejus condemnatio valet. l. 6. 7.

7. Placuit in omnibus rebus praecipuam justitiae & aequitatis, quam stricti juris rationem esse. l. placuit. h.

8. Iudices oportet rei veritatem plena inquisitione discutere, et utramq; partem saepiùs interrogare, num quid novi addere velint.

9. Parti asserenti sibi adhuc superesse allegationes dantur 3. mensium delationes successivae.

10. Civiles causae exceptis fiscalibus, & publicarum functionum triennio, criminales biennio terminantur. l. 11. in princ.

11. Actoris absentia non est impedimento, quo minus lis intra biennium finiatur; Vnde si de causa liquet, reus ab observatione judicij absolvitur, & actor condemnatur in expensas sacramento rei taxandas.

12. Si constet de causa, etiam pro absente justiorem causam habente, profertur sententia, impensis litis actori in poenam contumaciae imputatis. neque actori fugitivo licet eandem litem ullo modo resuscitare. d. l. §. 1.

13. Ita & reo absente contrahetur lite contestata eremodicium: & si liquet de causa, sententia profertur definitiva, & executioni mandatur, nec reversus reus appellans auditur, quia absentia alterutrius repletur praesentiâ Dei. d. l. §. sin autem.

14. Victus victori condemnatur in expensas, adeò, ut si judices eas omiserint, de suo praestare cogantur. d. l. §. sin autem.

15. Puniuntur & judices, & advocati, curatores, tutores, procuratores, si protraxerint litem ultra triennium. d. l. §. 2. ad fin.

16. *Contumax non auditur, nisi refusis expensis. l. sancimus. 13.*

17. *Post jusjurandum non debet judex amplius taxare sumptus, & si viderit neutrum debere subdi sumptibus, propter negotij varietatem, hoc suâ declaret sententiâ Auth. post jusjurandum.*

18. *Litigatoribus licet judices delegatos, antequam lis inchoetur, recusare: ita tamen, ut ad arbitros eligendos cogatur.*

Ex Digestis.

19. *In tribus judicijs, familiæ herciscundæ, communi dividundo, finium regundorum, cùm ambo ad judicem provocant, sorte res decerni solet. l. 14.*

20. *Qui non cogitur judicium pati, si ipse ibi agat, cogitur ibid. accipere actiones. l. 22.*

21. *Non potest videri in judicium venisse, quod post judicium acceptum accidit, ideoque alia interpellatione opus est. l. 23.*

22. *Ubi acceptum est semel judicium, ibi etiam finem accipere debet. l. 30.*

23. *Per minorem causam majori cognitioni prajudicium non fieri oportet. Major enim quæstio ad se trahit minorem. l. 44.*

24. *Id venit in judicium, non de quo actum est, ut veniret, sed id non venit, de quo nominatim actum est, ne veniret. l. 61.*

25. *Inter litigantes aliter lis expediri non potest, quàm si alter sit petitor, alter reus. l. 62.*

26. *Si quis intentione ambigua, vel oratione usus sit, id quod utilius ei est, accipiendum est. l. 66.*

27. *De qua re cognoverit judex, de ea quoque pronuntiare cogendus erit. l. 74.*

28. *In privatis negotiis pater filium, vel filius patrem potest habere judicem. l. 77.*

29. *Iudicare munus publicum est. l. 78.*

De Sportulis, tit. 2. const. 4.

Quæ Continuatio?

Egit Tit. 1. de judicijs, atque cùm sportulæ ijs adjaceant sive adhæreant, rectè & ordine statim de illis agit.

Unde dictæ sunt sportulæ?

A spor-

A sporta vasis genere, vel ab asportando; Et quoniam in sportulis & panariolis velut receptaculis modò pecunia, modò cibus asportari solebat, factum est, quod sportulæ olim dicerentur obsonia, & extraordinaria cœna, quas indies Romani suis clientibus sub limine portæ exhibebant. Appellabant etiam imitatione antiquitatis pecuniam illam sponsoreas sportulas, quam actor & reus contribuebant ante litem contestatam, deponebantq́ue, ut qui causa caderet, eam penderet, & perderet.

Quomodo hîc accipiuntur?

Pro mercede & salario, quod judicibus delegatis & exequutoribus judiciorum præbetur. Græcè δικαστικά.

Sportulæ siue honoraria quotuplicia sunt?

Aut sunt certa & ordinaria; aut sunt incerta & extraordinaria. Speculat. de salar. procurat & l. salarium. ff. mandat. Et sunt vel debita ex conventione. juxta. l. si remunerandi. ff. mandat. vel extra ordinem l. 1. ff. de var. & extraord. cog. Officio judicis ex æquitatis ratione. l. sumptus. 48. ff. de rei vendic. c. 16. de præscript. Vnde multo magis sumptus. l si necessarios ff. l 5. ff. commodat. l. 1. de contrar. tutel. act. ab eo, cui servitur. l. prætor. in fin ff. de edend. Ne cuiquam suum sit damnosum officium. l. 7 ff. quemad. testam.

Quidnam sportularum nomine exigunt Iudices?

Maioribus Magistratibus non dantur; Pedanei quidem judices in contestatione litis ab utraque parte duos accipiunt aureos, in fine negotij & duos. & ultra hoc nihil, idq́ue in litibus excedentibus quantitatem 100. aureorum. in minoribus nihil præstatur. Etenim ut quisque & Deo & legi puras custodiat manus, ex fisco duæ auri libræ præstantur, id est, 144. solidi. const. Novell. 82 c. 9. Vt tamen ab his immunes sint fiscus & tenuiores personæ. Novell. 17. & 21. Hæc quæ dixi, in statutis Frisiæ, & novis ad ea additionibus clariùs traduntur.

Quid igitur de his statuta Frisiæ tradunt?

Vt simulatque actor ediderit actionem, & summa excesserit 100. aureos in singulis causis, in quibus non est judicij continentia, duos solvat aureos: Si verò centum tantùm summa solidorum, aut infra centum, supra tamen quinquaginta, dimidium pendent. De ea, quæ infra quinquaginta est, quadrantem aurei. Ita & reus propositâ suâ exceptione ad easdem sportulas juxta quantitatem in judicium deductam tenebitur; Siquidem lis non moveatur pecuniaria, sed agatur in-

juriarum, aequè duos praestabunt aureos. Deniq; utra pars succubuerit interlocutoriâ, dimidium numerabit; pro definitiva sententia duos aureos, pro executione nihil amplius debebitur sive exigetur.

Quid continent additiones?

Vt neque libelli, neq; exceptiones, aut responsiones recipiantur, neq; cuiq; concedatur verbotenus agere, nisi sportulae fuerint solutae, aut saltem per advocatos & procuratores pro iis cautum, qui & in verbali processu concludentes praestabunt, executioniq; erunt obnoxij: quae sportulae adeò strictim debentur, ut etiamsi ad conciliandum partes coram commissarijs compareant, vel ipsi pendente lite, vel stante judicio inter se conveniant, atq; à lite recedant, quin etiam tum, cùm sumptibus litis alibi decisae coram summo tribunali contenditur, actor qui ab adversario astringitur contumaciae, praestat sportulas pro rata principalis causae, quam in suo expressit libello: & reus etiamsi nihil obtineat, quàm ut ab instantia absolvatur, tenetur ad sportulas minima summa: Ita tamen, ut actor ejus nomine nihil ampliùs cogatur praestare: Deinde ubi aliquem in causa evictione citemus, siquidem in ea conclusum sit, pro eo sportulas solvet, quemadmodum in alijs causis: Eodem modo reus negans se teneri evictionis. Praetereà, si quis aliquem in judicium vocaverit, & contendat, ut pronuncietur arbitrium, & declaretur arbitrium (ut loquuntur) exerutabile. Siquidem à commissarijs curiae arbitrium interpositum fuerit, tenebuntur ad sportulas, nisi arbitrium ex eadem causa coram eodem tribunali agitata, cujus nomine jam ante solutae fuerint, processerit. Porrò si de instrumento aut chirographo controvertatur, vel ab una parte, vel utraq; conclusum fuerit, etiamsi communi partium consensu ad condemnationem in judicio non perseveretur, atq; Graphens exiget sportulas. Si ultronea & spontanea offeratur & sufferatur condemnatio, sportulae cessant. Deniq; si quis declinatoria exceptione utatur, 7. stuferos, nomine sportularum numerabit: Verùm si repudietur exceptio, & jubeatur peremptoria respondere, actor praestabit sportulas pro quantitate exceptis 7. illis, quos jam numeravit. Vltimò, si fundata deprehendatur exceptio, & partes remittantur ad inferiorem curiam, & posteà adminiculo appellationis ad summam redeant curiam, actor, qui semel solvit, ad iterũ solvẽdum tenebitur: sed qui obtinuerat in exceptione, ille praestabit sportulas, non retento illo quadrante aurei, quem antè nomine exceptionis solverat.

Quid

Quid si sportulæ iniquè exactæ fuerint?

Iustinianus in illos pœnam constituit.

Quamnam?

Vbi tripli (inquit) agimus, cùm quidem majorem vera æstimatione quantitatem, in libello conventionis inserunt, ut ex hac causa viatores, id est, executores litium, sportularum nomine ampliores summam exigerent, tunc enim id, quod propter eorum causam damnum passus fuerit reus, in triplum ab actore consequetur, ut in hoc triplo simplum etiam, in quo damnum inest, connumeretur.

Quomodo puniuntur executores?

Si amplius exegerint, comprehendi & includi possunt, nec defendentur, si id quod ampliùs est, à volentibus acceperint. l. 2. h. t. Quinetiam damnum passo coguntur reddere simplum: triplum verò fisco inferre. Si autem civilis vel militaris judex interpellatus læsum non vindicaverit, ex sua substantia quadruplum præstabit. Novell. const. 122. c. 3. Ne malè in lite versentur, & sciant non esse causas deludendas à se, nec lucri gratiâ aliquid committendum. l. 3. h. t.

Quanam actione potest recuperari?

Condictitiâ actione de sportulis.

Ex qua causa proficiscitur hæc actio?

Ex delicto in personam, ut avaritia omnium malorum radix, à sacrosanctis judiciys arceatur. const. 8. §. tametsi.

Cui competit?

Ei, qui ultra debitum modum solvit, & qui damnum ex gravamine sportularum sentit.

Adversus quem?

Adversus eum, qui per fraudem & calumniam plus fuerit in libello complexus: Item adversus omnes executores, qui ultra debitas sportulas exigunt.

De Pedaneis Iudicibus, tit. 3. const. 5.

Quæ Continuatio?

Etsi

Etsi primo Titulo satis superq; de Iudicibus possit videri actum: tamen cùm revera potiùs de judicijs illic, quàm de judicibus agat, & hic titulus specialiter & nominatim de Pedaneis, ne dentur a procuratore Cæsaris inter privatos; Nos tamen paulò altiùs & pleniùs hanc doctrinam excutiemus.

Unde dictus Iudex?

Dictus est judex quasi jus dicens, sive quod jure disceptet. Iure autem disceptare est justè judicare. Non est ergo judex, si in eo non sit justitia. c. foru. x. de verb. signific.

Quæ est definitio judicis?

In Ecclesia & schola Christiana ita piè definitur; Quod sit persona à Deo ordinata, ut utraq; parte audità, & causæ veritate exploratè cognitâ juxta honestas leges, & mores (quemadmodum jurat) judicet, id est, pronunciet, cujus causa justa sit, cujus injusta, & quâ pœnâ sontes pro delictorum magnitudine afficiendi sint, idque secundum veritatē, ut per hoc publicæ utilitati & privatæ consulatur.

Quomodo primo dividuntur judices?

Sunt vel competentes, vel non competentes. Nos tantùm ostendemus quot modis quis sit competens judex, & eadem operâ (quia contrariorum eadem doctrina) intelligetur quis sit incompetens.

Quot igitur modis dicitur judex competens?

Multis modis, ratione delicti, domicilij, judicij, affinitatis, privilegij, contractus, rerum.

Quomodò secundò dividis?

Alij sunt judices ordinarij, alij extraordinarij.

Ordinarius est, qui jure suo exercet jurisdictionem in suo territorio l. more. cum seq. ff. de Iurisdict. vel qui jurisdictionem habet à lege, à Principe, vel ab universitate, vel consuetudine.

Qui sunt Extraordinarii?

Qui habent limitatam jurisdictionem, cujus fines, & præscriptum excedere non licet; Atq; hi sunt vel ex commissione, vel ex partium electione, de quibus alibi satis.

Qui sunt Commissarii?

Hi sunt, vel delegati, vel subdelegati.

Quis est Delegatus?

Qui mandatam suscipit jurisdictionem, & vices delegantis repræsen-

præsentat, nihil habens proprij. l. & licet ff. de offic. ejus cui mandat. est jurisdict. & si à minore aliquo constitutus sit, dicitur Pedaneus.

Cur dicitur judex pedaneus?

Hic dictus est, quasi agipes, vel planipes, quòd non pro tribunali judicet, sed de plano stans aut sedens, imò collatitio aut fortuito scamno, fortuito cespite. Novell. 71. & 81. Græcè χαμαδικάςαι. Vid. Gell. lib. 3. cap. 18.

Qui sunt pedanei judices?

Sunt singulares judices, quibus singulæ causæ à Magistratibus delegantur, qui cognitionem, non jurisdictionem habent, & cognitionem humilium causarum, l. ult.]. Vbi & apud quem. Vnde à Iosepho lib. 2. bell. Iudaic. dicuntur δικάςαι τ̃ εὐτελεστέρων διαφόρων.

Ostende hoc exemplo?

Quia hi non dantur à Præsidibus in causis, quæ eorum cognitioni legibus nominatim reseruantur, nisi vel multitudine cognitionum, vel negotijs publicis distringantur, vel ea sit causæ utilitas, ut non magnopere notionem præsidum desideret, l. ult. h. tit.

Qui possunt esse judices?

Quibus neq; lex adversatur, ut Senatu moti; neq; natura: neq; ætas, ut minor 18. annis. l. 41 ff de arbitris. vel conditio, qualis est servus. l. 12. ff de judic. vel sexus, quales sunt mulieres. l. 2 de R. I. Non quod non habeant judicium: sed quod moribus receptum sit, ut Civilibus non fungantur officijs. l. 12. & 2.

Quid jurant judices?

Iurant se omnia secundum leges & veritatem judicaturos. Hic observandum est Ambrosii & Philonis Iudæi egregium præceptum. l. Rem non novam. s̃. de judic.

Quod est illud præceptum Ambrosii?

Iudicet ille (ait) qui ad pronuntiandum nullo odio, nullâ offensâ, nullâ levitate ducitur. Bonus judex nihil facit ex suo arbitrio, & domesticæ voluntatis proposito; sed juxta leges pronuntiat, statutis juris obtemperat; non indulget propriæ voluntati, nil præparatum aut meditatum de domo defert, sed sicut se habet rei natura discernit; sicut audit, judicat; obsequitur legibus, non adversatur; examinat

causa

causæ merita, non mutat; cui in judicando magis est cordi custodia veritatis, quàm obedientia voluntatis. 3. q. 7.

Quid Philo præcipit?

Vt animus illius, qui judicat, syncerus sit, nullis obnoxius perturbationibus, & ita ut ignis omnia proxima calefacit: ita judex tãquam fons abundare debet justitiâ, quam alijs administret, et quoties tribunal ascendit, cogitet se non minus judicari quàm judicare: & unà sibi adsciscat prudentiam, ne decipiatur: Iustitiam, ut cuiq; suum jus tribuat: Fortitudinem, ne flectatur, quo minùs animadvertat in facinorosos: Continentiam & Abstinentiam, ne succumbat avaritiæ. Curet igitur primùm ut aures habeat perpurgatas, & plus oculis, quàm auribus credat: Periculosum est ex auditu testimonium, ideò nec admittitur. Deinde ne accipiat munera, quæ excæcant oculos, officiunt justitiæ, & à recto mentem auocant: Sed id agat, ut sententia sit incorrupta & legitima. Tum ut causas partium examinet sine personarum respectu, ne quid impediat vel odium vel amor. Personas non respiciat: sed nudam tantùm negotiorum naturam consideret, cogitans tantum Dei esse judicium: Etsi nullâ re propius accedamus ad Deum, quàm beneficentiâ, tamen non miserebitur pauperis, rei: Quoniam qui malefacit, non infelix, sed sceleratus est. Pœna verò facinorosis, præmia & honor justis propositus est: Illi non commiserationem, sed iram merentur.

Possunt aliqui recusari judices?

Possunt. 1. Imperiti. Quisq; enim de ea re, de qua habet peritiam pro sui & legis scientia judicare debet, l. penult. ff. de judic.

2. Qui non præsit jurisdictioni.

3. Neq; judicandi potestatem à Principe, neq; ab alijs, qui jus dandorum judicum habent.

4. Neq; lege confirmatus sit.

5. Neq; ex compromisso sumptus, l. pen. ff. de judic. & fac. l. unic. J. tit. seq.

6. Tùm si suspectus vel propter amicitiam vel inimicitiam. l. apertissimi. 5. de indeb. & l. 15. ff. eod.

7. Vel propter propinquitatem. l. 1. ff. de jurisdictione.

8. Si emolumentum aliquod ex uno litigatorum sentiat vel speret. l. 17. ff. de jud.

9. Deinde si infamis sit & perjurus. l. 1. ff. de vi pri. l. unic. C. de infam.

infam. lib.18. juxta. c. infamibus portæ dignitatum non pateant. de Reg. Iur. in 6.

10. *Præterea si fuerit minor 18. annis. l. quidam. 57. ff. de re Iudic.*

11. *Si hæreticus. l. penul. 4, & 9. C. de hæreticis.*

12. *Porrò si ab altera parte nominatim fuerit petitus. De quo ita Callistratus, Observandum est ne is detur judex, quem altera pars nominatim petierit. Id enim Hadrianus iniquissimi exempli esse rescripsit, nisi hoc specialiter à principe ad verecundiam petiti judicis respiciente, admittatur. l. 48. ff. de jud.*

Vltimò, si operam suam ingerat, hoc ipso suspectus fit. arg. l. qui omnia. 25. ff. de procur.

Qui pro sua jurisdictione Judices dare, darive possunt, t. 4. const. unic.

Quæ Continuatio?

Superiore titulo egimus de judice pedaneo, hoc quis eum dare, & qui dari possunt, agit.

Quis potest eum dare?

Cujus de ea re de qua agitur, & inter eas personas, ad quas ea res pertinet, jurisdictio est. l. unica. h. t. Iurisdictio (ait Vlpianus) est etjam judicis dandi licentia. l. 3. ff. de jurisdict. & Iulianus more majorum comparatum esse ait, ut is demum jurisdictionem mandare possit, qui eam suo jure, non alieno beneficio haberet. l. more. 5. eod. Item eum qui judicare jubet, magistratum esse oportet. Magistratus autem est, qui in potestate aliqua est, ut proconsul, prætor. l. 13. l. 6. eod.

Quis non potest dari?

Quem is dat, qui jurisdictionem non habet. & si tales dentur, quales diximus judices posse recusari, & prohibere esse judices, aut etiam si detur in re propria, de quo titu. sequenti. Sed hic obiter notandum inter judicem datum à principe, & alium permultum interesse.

Quomodo?

Qui datus est ab alio quàm à principe, ejus rei, in quam datus est notionem, non jurisdictionem habet. Vnde à judice datus, alium in eadem

eadem causa dare potest, & ab eo, quem dederit, ipse non princeps appellatur. l. unic. h. t.

Quid si alienæ jurisdictionis causam delegarit?

Illius præcepto cognitor non debet obtemperare. & si contra leges delegato obsecundaverit. omnia quæ ab ea delegatione geruntur, pro infectis habenda sunt, adeò ut ne victis quidem necessitas appellandi imponatur.

Ne quis in sua causa judicet, vel ius sibi dicat, tit. 5. const. unic.

Quæ Continuatio?

Dixit præcedenti titulo nullum etiam posse dari judicem in sua causa: & cùm materia tàm judicum quàm judiciorum sint causæ tùm Civiles, tùm Criminales, neq; distinguatur inter nobile judicis officium & mercenarium, rectè hic titulus subijcitur. Ut non abs re Iulianus dixisse videatur: qui jurisdictioni præest, neque sibi jus dicere debet, neq; uxori, vel liberis, vel libertis, vel cæteris, quos secum habet. l. 10. ff. de jurisdictione.

Dic quid intelligas nobile judicis officium?

Illud, quod etiam merum aliàs appellatur, id scilicet (authore Bartolo) quod per se stet. id est, quod judex suâ, hoc est, jurisdictionis authoritate ad publicam utilitatem exercet, etiamsi nulla proponatur actio, & interdum motu proprio nemine petente. Siquidem judex seu magistratus est animata lex (ut inquit Aristot.) qualis est libera solutaq; Magistratus potestas, quæ in integrum restituit, advocatis & medicis honoraria constituit, non tam et judicibus attributa, quàm quòd sint quasi totius Reipub. custodes.

Quid accipis mercenarium judicis officium?

Id quod actioni deservit. quemadmodum enim qui operam suam locat bonâ fide, & libens eam præstat. nec alio modo quàm docuimus præscribit: ita & judex actionibus in judicium perductis, & perducendis, impertit suum officium, ultrò quidem, sed non nisi ad normam actionis, eaq; cessante, cessat. l. ædiles. § item sciendum. ff. de ædil. edict. & quia tam arctè strictèq; officium hoc præscriptis formulis obnoxium est,

est; vocatur ab interpretibus mercenarium, quia tantùm respectu illarum formularum publicam gerit personam, cætera privatum jus, vide Doctores in l. quippe. ff. de Iudic.

Quam intelligis hic suam vel propriam causam?

Propriam causam (ait Vlpianus) ita ab aliena secernimus, & palàm, est eam esse propriam causam, cuius emolumentum vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet. l 1. §. 11. ff. quando & intr. quæ tem. appell. Item Iulianus ait, si alter ex litigatoribus judicem solum hæredem vel ex parte fecerit, alius judex sumendus est necessariò: quia iniquum est, aliquem in sua causa judicem esse. l. 17. ff. de judiciis.

Potéstne aliter accipi judicem esse in sua causa?

Quidni, & hoc patet ex decreto Marci in hæc verba: Optimum, ait, est, ut si quas putas te habere petitiones, actionibus experiare, non vi privatâ, & cùm Martianus diceret, nullam vim feci, Cæsar dixit, tu vim solùm esse putas cùm homines vulnerentur? vis enim est & tunc, quoties quis id, quod sibi deberi putat, non per judicem reposcit. Quisquis igitur probatus fuerit, rem debitoris non ab ipso sibi sponte datam sine ullo judice temerè possidere, vel accepisse, atque sibi jus in eam rem dixisse, Ius crediti non habebit. l. extat. 13. ff. de eo quod metus causa, & passim toto tit. de vi privata. ff. Quia non est singulis concedendum, quod publicè per magistratum fieri debet, majoris tumultus vitandi causâ l. non est singulis de R. I. & l. nullus 13. C. de judæis.

Superéstne adhuc alia ratio?

Omninò. Nam valdè absurdum foret unum eundem & judicis & partis sustinere personam, judicium enim non constat nisi judice & partibus discretis, quia nemo duas personas sustinere, vel duplici aut triplici officio fungi potest. l. ille. §. pen. & 4. quæst. ad Treb. Incompatibilia illa in eodem subjecto & persona, sicut actio & passio.

OBIECT. Dixisti paulò antè eum qui præsit jurisdictioni, neque uxori neque liberis jus dicere debere. Sed obstat responsum Africani, quo permittitur ut in privatis judiciis pater filium, vel filius patrem habeat iudicem. l. 77. ff. de iudiciis.

Respondent alij aliter, at Cuiatius d.l. non tam de judice dato, quàm de magistratu accipit: alter enim in alterius causa potest judex dari, & arbiter sumi. Sed etsi magistratus sit, tamen adhuc in re patris vel filius, vel contrà judicare posset propter l. sequentem, quòd judicare munus sit publicum. l. quippe. 78. ff. eod. Vnde Vlpianus. Si quis filiusfamilias sit, & magistratus, patrem suum, in cujus est potestate, cogere poterit, suspectam dicentem hereditatem, adire, & restituere. l. ille. 13. §. ult. ff. ad Trebellian. Quia (ut subijcit Hermogenianus) quantùm ad jus publicum attinet, non sequitur jus potestatis, vel potiùs (secũdum Pomponium) filiusfamilias in publicis negotijs loco patrisfamilias habetur. l. filiusfamilias. 9. ff. de his qui sunt sui vel alieni juris. Vnde, teste Paulo, apud filiumfamilias magistratum manumitti potest, l. apud 218. de manumissis vindicta. Cum quibus congruunt Fabij Maximi dicta ad filium, non, inquit, fili summum tuum imperium contempsi, sed volebam experiri, an scires consulem agere: nec ignoro, quid patriæ potestati debeatur, verùm publica instituta privata pietate potiora duco. Valer. lib. 2. cap. 1.

Quomodò igitur concilias istas leges?

In illa dicit Africanus, potest: *in hac Vlpianus* non debet, *hic ut Cuiatius ait, non sunt contraria.* potest: non debet, *rectiùs facerent paterfamilias, & filius, si utrinq; abstinuerint: ille, verbo potest jus: iste non debet, honestum significat. Vnde illud: Non omne quod licet honestum est. In publicis neq; debent, neq; possunt: in privatis si quid peccatum fuerit, appellatione potest corrigi: in publicis multa intervenerunt, quæ posteà non possunt corrigi, ut carcer, verbera. l. ult. C. de Abolition. In his itaq; indignum foret, & inhumanum patrem pati à filio.*

Excipitúrne aliquis casus ab hac regula?

Quid ni, quando agitur de judicis vel magistratus jurisdictione l. 5. ff. de judic.

Qui legitimam personam standi in iudicio habeant vel non, tit. 6. constit. 3.

Quæ Continuatio?

Dixit

Dixit tit. superiore sententiam illam esse nullam, aut nihil agere judicem, qui nec fieri, nec dari debuerit d.l. 17. Nam ea quæ fiunt à judice, si ad ejus officium nō pertineant, viribus non subsistunt, de R.I. in 6. Ita etiam claudicat judicium, si ille in judicio versetur, qui legitimam non habet in judicio personam, & sententia quæ in illum pronunciata, nulla est. Quia non tantùm oportet judicem esse legitimum, verumetiam litigatorem legitimum. Omnes igitur personam legitimam habent ijs exceptis, qui non prohibentur.

Ostende igitur aliquot, qui non habeant legitimam personam standi in judicio:

1. Pupillus *vel* minor *absente tutore vel curatore, l. 2. h. t.* *Sententia enim lata contra pupillum nulla est, minor restituitur. l. 6. §. 5. de confessis. Vnde etsi adolescentes inviti non cogantur accipere curatores, in litem tamen coguntur. §. inviti. 2. Institut. de curatoribus.*
2. Respublica indefensa. *l. 1. infrà de cura Reipub.*
3. Magistratus (*ut Hadrianus rescripsit*) *quo anno in imperio sunt, neq; propriam neq; eorum quorum tutelam vel curam gerunt, causam agendo sustinent, l. 48. de jud.*
4. Filiusfamilias sine voluntate patris. *l. ult. §. necessitate. J. de bon. quæ lib. 6.*
5. Servus, *qui nullam personam habere intelligitur. l. servus. 6. eum sequent. suprà de jud. & hoc est quod dicitur. In servilem personam nulla cadit obligatio. Vnde cum servo nulla potest esse actio. l. in personam. l. cum servo. de R.I.*
6. Mulieres *in Criminalibus, nisi suorum persequantur injuriam. l. 1. & 2. ff. de accusationibus.*
7. Excommunicati *nec agere, nec reconvenire possunt, sed excipere, appellare & omnem defensionem instituere possunt. Quia in talibus non favor excommunicati, sed æquitas spectatur, ne claudicet judicium. c. cum inter. 5. X. de except.*
8. Deportati, *quia non est persona, quæ obligetur. l. quotiens. 14. ff. de novationibus.*
9. Hæreticus, *ut quos spiritualis non corrigat disciplina, saltem corporalis corripiat pœna: cùm longè sit gravius æternam, quàm temporalem lædere majestatem. c. vergentis. 10. X de hæreticis.*

Nulláne est exceptio?

Excipiuntur primum maleficia, quæ potiùs facti quàm juris sunt.

& ad jus naturale referuntur, quo jure omnes homines sunt aquales. l. 4. ff. de just. & jur. & l. quod attinet. de Reg. Iur. Excipitur etiam causa momenti, id est, repetendæ possessionis, in qua admittitur etiam pupillus sine tutore, & adolescens sine curatore, reservata tamen proprietatis actione justis legitimisq; personis, procuratoribus. l. ult. h. t. quia ubique favetur possessioni. v. c. in pari. in 6.

Vt nemo agere vel accusare teneatur, vel cogatur, tit. 7. Con. unic.

Quæ Continuatio?

Præcedenti titulo egit imperator de judicibus & de litigatoribus, qui vel personam legitimam standi in judicio habeant, qui non, hic de altero tantùm litigatorum agit, nimirum de actore vel accusatore, quod inviti neq; agere, neq; accusare teneantur. quemadmodum nemo invitus tenetur defendere. l. 100. de Regul. Iur. Nemo nec emere, nec damnosam hæreditatem adire compellitur. l. 16. ¯J. de jur. delib. ita nemo invitus tenetur debitum suum in judicio persequi. l. animo. de oblig. & act. neque injuriam vel publicam vel privatam. Quia quisque est arbiter & moderator suæ rei & juris. l. 21. C. de mandat.

Estne aliqua exceptio ab hac regula?

Initio quidem nemo cogitur, sed si inchoaverit litem, & fuerit lis contestata, jam non potest cessare. l. consentaneum. cum Authent. qui semel. C. quomodo & quando judex.

2. Item datus ad agendum procurator, cogitur etiam defendere. l. 33. §. 4. ff. de procur.

3. Item conscij authorum falsæ monetæ tenentur eos prodere vel accusare. l. 1. ¯J. C. de fals. monet.

4. Conscij factionis sive conjurationis, coguntur eam patefacere. l. 5. ad l. Iul. Maj.

5. Item dominus propter abusum cogitur distrahere suos servos. l. 2. ff. de his, qui sui vel alieni juris sunt. Ita in Anglia laudatissima consuetudo est, ut vicini oppidani, vel municipes, vel vicani proximiores cogantur exhibere latrones & homicidas, fures, aut damnum præstare.

Estne

Estné aliqua differentia inter agere & accusare?

Est. Nam accusatio propriè ad pœnam sanguinis, vel coercitionem corporis, ad mulctam sive pœnam pecuniariam. Actionibus persequuntur jus nostrum & privatum, accusationibus vindictam publicam, hæc tamen interdum confunduntur, sicut est apud Isidorum. Accusator est quasi causator, quia ad causam vocat eum, quem appellat. c. Iorg. 10. x̄. de verb. signific.

Quid juris est de reis?

Illi coguntur velint nolint, licet alias favorabiliores sint. l. favorabiliores. de R. I. respondere & se defendere. l. sed et si. 35. §. 1. ff. de procur. Quia in illos quantumlibet invitos judicium redditur. l. inter. 81. §. 1 ff de V. O. & l. 5. de Iudic. Cùm actor (ut Paulus ait) in potestate habeat, quando velit suo jure uti, is autem cum quo agitur, non habeat potestatem, quando conveniatur. l. purè. 5. in fin. de dol. & met. exception.

De ordine Judiciorum. tit. 8. constit. 4.

Quæ Continuatio?

Hactenus de judicijs, & personis, quæ judicium sustinent, sine quarum discrimine & ordinatione judicium constitui nequit. Accidit quoque non rarò, ut plures concurrant actiones, quæ simul decidi non possunt, in quibus ne misceantur & fiat, quod dicitur ὕστερον πρότερον, ordinem aliquem servare oportet. Nam juxta illud Xenophontis, Nihil utilius & pulchrius ordine, si uspiam in judicijs alioqui eveniet, quod dici solet, Vbi non est ordo, illic est confusio. Conducit enim hic ordo cognoscendarum causarum ad finiendas & expediendas citiùs & rectiùs lites. Commodiùs enim & citiùs distrahentur controversiæ, si ordo servetur. Qui melius servabitur ordo, quàm si evitetur concursus earum causarum, quarum altera alteram confunderet.

Quid est ordo judiciorum?

Est consideratio & dispositio diversarum quæstionum in judicio

proponendarum & disceptandarum, id est, ne minores causæ præjudiciales prævertantur majoribus. l. 1. h. t. Præjudiciales hic accipimus, quas ob legitimas causas præcedere oportet, si fortè cum aliis concurrant.

Unde dicitur major vel minor causa?

Ex re, quæ in judicium deducitur. Ut major sit causa, quæ rem majorem, minor, quæ minorem complectatur. Neratius in l. majoris rei. de exception. Unde pro regula traditur, majorem causam ad se trahere minorem. l. 54. de jud. & tantisper differenda causa minor, donec agitatur major. l. fundum. 16. de excep.

Quomodo accipitur præjudicium?

Aut absolutè accipitur & per eminentiam nulla addita specificatione. ut Instit. de act. §. præjudiciales. aut latiùs accipitur pro omni gravamine, quod adferre posset præcedens judicium, veluti res inter alios actas, aliis non præjudicare. j. Res inter alios. & l. sæpè. de re jud. item illud, Grave præjudicium est, quod aliud judicium non habeat.

Quando fit præjudicium?

Cùm quæstio in judicium deducitur, quæ vel tota vel aliqua ex parte communis est rei majori, vel cum illa causa decisa habeant judicaturi exemplum quod sequantur, & quod ante judicatum sequentibus negotiis dijudicandis viam sternunt, limites præbeat & formam præscribat cæteris controversiis, cum quibus concurrere possit.

Illustra id quod tradidisti exemplis?

Veluti si libertas testamento relicta petatur ab hærede, & idem hæres ab alio petitione hæreditatis conveniatur. Ordo judiciorum postulat, ut prius agatur de causa hæreditatis, quàm libertatis, ne fiat præjudicium hæreditati. l. si quis. 7. de pet. hæred. l. non dist. 32 §. si is faciat. 10. de recept. Item si quis servitutem viæ petat ad fundum Titianum, & objiciatur Titianum fundum illius non esse, præjudicium in eo est, ut si suum fundum esse non probaverit, eadem opera quæstio servitutis decidatur. l. fundum. & l. fundi. de except. Exemplum item est in l. 3. de except. l. quoniam. j. de adult. l. ult. j. de pet. hær. c. 2. x. h. t.

De

De litis contestatione, tit. 9. const. unic. cum Auth.

Quæ Continuatio?

Iudicia nimirum tribus personis, (licet Fab. Pap. 4. requirat. q. 4. c. forus. x. de verb. sig.) judice nimirum, actore, & reo constare jam ante ostendimus, & ad ea nos vocari datis sportulis, tit. 2. jam dicendum fuerat de ipso judiciorum fundamento, quod est litis contestatio: sed quia ante litem contestatam constitui oportet personam, actoris, & rei. Quamobrem vulgo dici solet, ante litem contestatam opponi debere exceptionem procuratoriam, exceptionem fori, vel aliam exceptionem dilatoriam, quæ modò respiciat ad qualitatem personarum, quibus judicia constant, & recusari judicem tanquam suspectum nisi ante litem contestatam non posse, ideò antequam daret hunc titulum de litis contestatione exposuit, qui legitimi judices, & litigatores legitimi. l. 3. 4. 5. 6. & 7. et quoties concurrant quæstiones plures in rem unam à qua sit inchoandum. l. 8.

Unde dicitur lis?

Lis dicta est (teste Isidoro) à contentione limitis, quia prima inter homines lites de limitibus lites fuerint. Unde Verg.

Limes erat positus, litem ut discerneret agris.

Litem porrò Nonnius ita distinguit à jurgio, ut hoc inter propinquos & benevolos levior sit dissensio: lis inimicorum gravior.

Quid est litis contestatio?

Est autem litis contestatio (Hostiense definitore) fundamentum judicij per petitionem in jure propositam, & congruam responsionem secutam animo litem contestandi facta, quo omisso, si in figura judicij procedatur, vexantur inanibus laboribus & sumptibus litigantes. v. gloss. & Dd. in l. prolatam. ȷ. de sententia. Unde Severus & Antoninus, Lis, inquiunt, tunc contestata videtur, cùm judex per narrationem negotij causam audire cœperit. l. 1. h. t.

Quomodo aliter definitur?

Litis contestatio nihil aliud est, quàm quadam inter eos, qui invicem controversiam habent, de judicio suscipiendo conventio, non solùm inter ipsos, sed cum judice initur, qui eos, cùm sponte ad se venis-

sent, an sibi de controversia, quæ inter eos esset, judicandi potestatem facerent interrogabat. Alciat ad l. pecunia verbum. de V. S. & cùm ipsi se facere respondissent, judicium dicebatur susceptum, & lis contestata. Quò respexerunt Imperat. cùm dicerent: lis contestata tunc videtur, cùm judex per narrationem negotij causam audire cœperit. l. 1. h. t.

Cur dicitur litis contestatio?

A testibus, qui illi contractui & conventioni ad solennitatem adhibebantur, coram quibus statim verbis solennibus fiebat litis contestatio, his verbis: testes estote, nempe perinde ut testamento condito, testator præsentibus testibus tabulas jā perfectas tenēs, & ad testes conversus dicere solebat: hæc, ut in his tabulis scripta sunt, ita do, ita lego, testor. Itaque vos Quirites testimonium præbete. Vlp. de testib. tit. 20. à quorum testium appellatione, putant quidam testamentum nomen accepisse, & litis contestationem.

Unde originem traxit?

A libertate Romana, videlicet ne quid violentum introduci videretur per judicia in negotijs civilibus, porrò crimina nullam habent libertatem; sed omnia solenniter fierent & secundum jus.

Quotuplex est litis contestatio?

Quidam ita distinguunt, ut aliam dicant affirmativam. *l. si reus. de procur. quæ bifariam procedit, aut simpliciter fatente reo, & se ad solutionem offerente, tùm non sunt aliæ judicis partes, quàm ut præstituat terminum ad solvendum, cùm cautela secundum consuetudinem judiciorum & loci, neque enim magnum damnum est in mora (teste Vlpiano) modici temporis. Modicum autem tempus est, quod post condemnationem reis indultum est. l. si debitori de jud. Aut subjiciente exceptionem peremptoriam, vel solutionis vel transactionis, vel pacti de non petendo. Sic jam injungitur probatio exceptionis propositæ, juxta illud Vlpiani. In exceptionibus dicendum est reum actoris partibus fungi oportere: ipsumq; exceptionem vel intentionem implere, ut puta si conventi pacti exceptione utatur, docere debet pactum conventum, factum esse. l. in except. 19. & l. 2. ff. de probat.* Aliam *verò* negativam. *hoc c. unic. x. de litis contestat. num. 2. eamq; faciunt vel* generalem *sive* intricatam. *c. cùm ad fidem. x. de rest. spol. vel* specialem *sive* explicatam. *c. causam. x. eod. & pro judicij genere aliam* Civilem, *aliam* Criminalem.

Quomodo

Quomodo & per quæ verba fit litis contestatio?

Fit, vel per negationem, *vel per* confessionem, *vel etiam per* verbum dubium, ignoro, *vel per* verbum credulitatis, *ut non credo, non puto, sed communis praxis contestandi est, ut reus dicat, posita quemadmodum ponuntur, narrata ut narrantur, vera non esse salvis juribus & defensionibus suis, suo loco, & tempore producendis. quæ sunt (ut affirmat Marant.) magni effectus. Quia reus ita respondens non potest incurrere pœnam negantum. de qua l finali. de R.V. & l. contra negantem. ad l. Aquil.*

Quando fit litis contestatio?

Porrecto libello ei, qui vocatur in judicium & præstitis sportulis, & data fidejussione. & datis quoque reo 20. dierum induciis, cederéne, an contendere velit? Iudicine alium adsociari velit, vel recuset eum, quæ tanti sunt momenti, ut litis contestatio his neglectis pro nihilo habeatur. Auth. offeratur. h. t. nec aliàs actor libellum dirigit, quàm cautionem (quæ tamen triginta sex aureos non excedat) adversario, & negotii excutori exposuerit, se intra 2. menses litem contestaturum, vel omne damnum in duplum refusurum.

Estne igitur opus in omnibus controversiis litis contestatione?

Non. Potest etiam sine scripto procedi, & sine litis contestatione, veluti in summariis. Clement. sæpè. de V.S. in spiritualibus. c. quoniam. 5. §. contestata porrò ut lite. c. l. 2. de judic. In causis secundæ instantiæ. l. ita demùm de procur. i. exequutionis. De quibus à Socino traditur hæc regula, non requiri litis contestationem, ubi non est opus libello. c unic. de lib. oblat. vel ubi perveniri possit ad testium receptionẽ sine contestatione, c. 1. 2. 3. ut lite nõ contestata. vel ubi publicum vertitur commodum. l. ne diu. C. de pœn. & c. Quia 3 quæst. 4. aut ubi periculum animæ, Socynus in dict cap. quoniam. aut ubi periculum est in mora Ias in l. naturaliter. 11. §. 1. num. 112. de acq. poss. Nullum tamen est judicium, sine verbali petitione.

Potéstne litis contestatio fieri absente altero litigatore?

Quia litis contestatio dicitur quasi simul testatio, debent ambæ partes esse præsentes, secundum Bald. l. 1. h. t. Nam simplex dicitur, μονομερὴς αἴτησις, *postulatio, quæ fit* μονομερῶς. *Ita statuendum in*

judicium vocatum & non obtemperantem, constitui contumacem, sive ille fuerit tribus edictis, sive uno pro tribus, quod vulgò peremptorium dicitur, evocatus, isq; litis damno coercetur & contra eum proceditur. l. contumacia. 53. de re judic. nulla tamen contumacia est pro vera litis contestatione. 5. 1. & ibid. Panormit. num. 5. x. ut lite non contest. non proced. ad test. recept. neq; ad definitivam sententiam. & v. Costal in l. de ætate. in princ. de interrog. act.

Potéstne quis præcisè compelli ad litem contestandam?

Communi opinione potest. Quia cùm sit actus judiciarius, & judicium reddatur in invitum. l. inter stipulantem. 83. §. 1. ff. de V. O. adeò ut reus possit compelli captis pignoribus, vel & per detentionem personæ. Bald. in l. 1. h. t.

Qui sunt fines litis contestationis?

Primùm, ne quid per vim in sacrosancta justitiæ officina admittatur. Deinde, quæ privati juris sunt, ut magistratus nullam habeat potestatem causarum civilium, nisi partes voluerint de suo jure per judices definiri. Quare bono tribuenti cuiq; quod suũ est, vel qui, si quid controversiæ inciderit, cum adversario transigat, non est timendus ullus magistratus. l. 1. & 2. ff. de jud. Quilibet enim jure naturæ suæ rei moderator, ac arbiter idoneus est. l. in re mandata. J. Mand. deniq; ut judex causam cognoscat, ita judicet.

Qui sunt effectus litis contestationis?

1. Excludit dilatorias & declinatorias exceptiones. l. Pomponius. §. rati. de procur. Neq; judex, nisi nova suspitionis causa orta fuerit, amplius recusari poterit. ut notatur in l. apertissimi. C. de judic.

2. Perpetuat actiones. Dd. in l. si eum. §. qui injuriarum. ff. si quis caut. & l. si non convitij J. de injur. excepta sola de dolo actione. l. ult. C. de dolo malo.

3. Constituit adversarium in mala fide, quoad fructus. l. certum. l. moræ. de R. vend. & Bart. in l. litigator. & lit. expensis. de fruct.

4. Lite contestata procedi potest ad definitivam sententiam. §. si verò etiam in Authent. de exhib. reis. Unde à lite contestata dicitur incipere judicium, (quia litis contestatio est fundamentum ordinarij judicij) quasi judex antè non habuerit potestatem à litigatoribus datam.

5. *Vsurpat & interrumpit præscriptionem. d. l. moræ, & l. sicut. ibi Bald. C. de præscript. 30. an.*

6. *Lite contestata procurator & tutor tanquam domini litis, procuratores alios constituere possunt. l. neq; ff. de procur. nec revocari potest mandatum procuratoris. quibus omnibus suffragantur Reg. Iur.*

Quænam sunt illæ?

Hæ videlicet. 1. *Non solet deterior conditio eorum fieri, qui litem contestati sunt, quàm si non essent. l. 87. de R. I.*

2. *Nemo persequendo litem deteriorem causam, sed meliorem facit: deniq; post litis contestationem hæredi quoq; prospicitur, & hæres tenetur ex omnibus causis. l. 84.*

3. *Omnes actiones quæ tempore aut morte pereunt semel inclusæ judicio, salvæ permanent. l. 183. ff. eod.*

Quæ causa est effectuum litis contestationis, quos enumerasti?

Quia litis contestatio est quasi quidam contractus. Elegans textus in l. 3. §. idem. de pecul. quo se uterque litigantium alteri in id, quod judicis sententia constituetur, obstringit. Quæ obligatio quasi ex contractu descendit, est & esse debet & civilis et perpetua, arg. l. 4. de serv. adeò ut priorem obligationem quodammodo innovet, & si temporalis sit, impediat & interrumpat semel incohatam præscriptionem. l. fin. C. de præscript. 30. vel 40. ann.

Quid si pars responderit cum protestatione, se, non animo litem contestandi, respondere?

Talis protestatio non est omninò otiosa, quia impedit litis contestationem, quod valdè reo commodat, nam præter alia multa, quamdiu lis contestata non est, non excluditur quis exceptionibus dilatorijs, quibus litem contestando renuntiasse videtur. c. inter monasterium. 20. x. de sent. & re iud. & l. exceptionem. C. de probat.

OBIECT. Si reo semper liceat tergiversari, nunquam erit finis litis?

Respondendum judicem posse compellere reum contumacem, & mittere actorem in possessionem bonorum, ut tædio fractus tandem respondeat, & interim fructus percipiat, si nimia ejus ostendatur contumacia. l. Fulcinia. § ult. ex quib. caus. in poss. eatur. & c. quoniam. 5. § in alijs. x. ut lit. non contestat.

De

De plus petitionibus. tit. 10. Constit. 3.

Quæ Continuatio?

Incidit etiam interdum in judicium, ut quæratur an actor plus petierit, quàm oporteret, ne igitur judicia eludantur, & hinc damnum existat alterutri litigatorum, rectè subjicitur Titulus de Plus petitionibus.

Quot modis plus petitur?

Quatuor, Quantitate sive re, Tempore, Loco, & Causa.

Quid si actor plus re sive quantitate petierit, id est, cùm centum deberentur, mille poscat, quomodo punitur?

Si dolo malo, id est, sciens prudens plus re petierit, & in ea petitione post litem contestatam perstiterit, non solùm adjectâ falsâ quantitate, sed toto fraudatur debito. l. ult. h. t. & ut hac pœna afficiantur, quatuor concurrere debent.

Quænam?

Primùm ut sit exacta cautio majoris summæ.

2. Vt per dolum.

3. Vt reus in jus sit vocatus, & lis sit revera contestata.

4. Vt in ea petitione perseverarit.

Quid si absque dolo plus petierit?

Eo casu, si ad sententiam perseveraverit, condemnatur in expensas litis. l. 1. in princ.

Quid juris, si initio quidem plus petens, posteà restringat suam petitionem?

Si ante litem inchoatam calliditatis eum pœnituerit, & debiti veram quantitatem confessus fuerit, nullo dispendio gravatur. l. ult. h. t. nisi in libello conventionis, plus expresserit, ut executores majores sportulas exigerent, in triplum eas restituere cogetur. l. 2. in fin. h. t.

Quid si tutores vel curatores nomine pupillorum, & minorum plus petierint?

Ipsi tutores & curatores agnoscent illud damnum inde existens, nisi iustam habuerint ignorantiæ causam, nempe res hæreditarias & depositas petentes. d.l.2.

Quomodo punitur, qui loco plus petat, veluti, si quod Leoverdię deberetur, petat Groningæ?

Qui alio loco petat, quàm in quo conventum est, ut solveretur, ei à judice non totum adjudicatur, sed ratio habetur ejus, quanti rei intersit alio loco solvi, quàm erat conventum. l. arbitraria. de eo quod cert. loc. l.unic. ∫. ubi conveniatur. Quia utilitas loci interdum maxima est. Nam varia sunt (teste Gajo) precia rerum per varias urbes, regionesq́;. l. ideò. in arbitrium. 3. eod.

Quomodo punitur qui plus tempore petit, id est, quod post annum debetur, statim petit, si quod sub conditione debetur, purè intendat sibi deberi?

Reo propter illam importunitatem actoris duplicatur tempus, & præterea non cogitur respondere in judicio, nisi actor refuderit omnes expẽsas litis ante diem mota. Quia temere reum vocavit in judicium, & sic suo malo (authore Iustiniano) discat litium tempus observare. §. hodie. Inst. de act.

Quid si causa plus peteretur, id est, cùm Rhenense deberetur vinum, Hispanicum præcisè petat, vel cùm res alternatim deberetur, una res in specie, vel potiùs in individuo petatur?

Hic, quia tollitur electio debitori, qui non tenebatur solvere certum quid, aut saltem id quod ei creditur, quoniam in alternativis debitoris est electio. & sufficit alterum impleri. c. de Reg. Iur. in 6. Hinc in illa petitione persistens, in expensas meritò damnatur. c. unic. x. eod.

Quid si actor minus petierit, veluti cùm totus ejus esset fundus, partem dimidiam tantùm petierit?

Hic sine periculo agri, neq; in ullo læditur. Nam judex nihilominus adversarium in reliquum condemnabit.

De

De dilationibus. tit. 11. const. 7. cum Auth. unic.

Quæ Continuatio?

Post litem contestatam, aut in ipsa lite contestanda, sæpenumerò, imò & ante litem petuntur à judice dilationes, itaq; oportunè hic de Dilationibus.

Quid est dilatio?

Est secundum Cujatium prolatio diei vel temporis, in causa, prorogatio, vel assignatio termini, quo commodum ad deliberandum litigantibus spatium conceditur. Authent. offeratur. C. de lit contestat. ad causam instruendam. l. 1. h. t. aliûmve judicialem actum expediendum. l. consentaneum. ff. quom. & quand. judex. Ad contumaciam frustrantis arguendum datur aut absentis. Auth. jubemus. C. de iudic. c. prout. ubi gloss. ad verb. convincendum. x. de dolo & contum. & c. 4. x. de except. c. cum compromiss. de dilat. in 6.

Quomodo dividuntur dilationes?

Quædam sunt Legales, quædam Arbitrariæ.

Legales sunt, quæ certo jure, sive communi, sive municipali, sive consuetudinario constitutæ sunt, quibus edita vel recepta sit observatio temporum in persequendis litibus; nec has judex, nisi ex justissima causa contrahere seu angustare, vel prorogare debet. c. 1. x. eod. ut adversus contra facientem appellationis remedium competat. c. 1, 2, 3. x. eod. nec mutare. l. 3. C. ex quib. caus. infam. l. sciendum 6. de appell. recip. vel non. Quia hæ dilationes pro scripto jure absque alia cognitione partibus conceduntur. dic. Auth. offeratur. & dd. cc.

Arbitrariæ sunt, quæ arbitrio judicis, causâ cognitâ litigantibus dantur ad expedienda ea, quæ ad suscipiendas lites sunt necessaria.

Reliquæ differentiæ sumuntur ferè à rebus, quarum causa dantur, & sunt vel Iudiciales, vel non Iudiciales.

Iudiciales sunt aut Citatoriæ aut Præparatoriæ, aut Deliberatoriæ, aut Conventionales, aut Probatoriæ, aut Finitoriæ, Exequutoriæ, aut Appellatoriæ.

Citatoriæ sunt, quæ dantur in jus vocatis, ad veniendum in judi-

cium, nam hodiè nisi fuerint malefici, obtorto collo non rapiuntur in judicium, sed potiùs primò, secundò, & tertiò vocantur, ut inter singulas citationes intervallum non minùs, quàm 10. dierum sit. l. ad peremptorium. ff. de jud. Iudex tamen pro ratione rerum & temporum & hoc diminuere potest. c. consuluerit. §. 4. x. de off. & potest. judic. & deleg.

Et unam Peremptoriam pro alijs ternis indulgere, ut si non venerit peremptoriè vocatus, habeatur ac puniatur pro contumace, perinde ac si fuisset ter citatus. l. & tertium. d. t. & l. tres denunciationes. ff. quo. & quand. judex. Sed in his sequimur stilum uniuscujusque curiæ, qui alius atque alius est.

Conventionales sunt, quæ communi litigantium consensu constituuntur, vel cùm ab eo non contradicente altero, impetrantur. Quoniam ex non protestatione, & ex non contradictione præsumitur in judicijs consensus. Bart. l. 1. ff. de relat. & videntur tacendo suo juri quasi renuntiasse. Panor. in c. quod ad consultationem. x. de jud. re.

Deliberatoriæ sunt, quæ competunt reo, ut inspecto actoris libello, secum deliberet, quid sit actori responsurus. Non est enim æquum reum, simulatque in judicio comparuerit, & petitionem actoris audierit, cogi ex tempore respondere actori qui paratus in judicium venit. c. ult. x. eod. tempus illud deliberandi est viginti dierum jure Novellarum. d. Aut. offeratur. Quod tamen tempus, si reus ex libello causam satis superque intelligere potuit, non est dandum. d c. 2. Quia judicis est, quantum potest, litium finem accelerare.

Probatoriæ sunt, quæ indulgentur actori ad suam intentionem, reo ad suam defensionem probandam, suntque peremptoriæ, & semel tantùm permittuntur, nisi de novo prodierint probationes anteà incognitæ, quod juramento affirmabunt. c. pastoralis. x. de except. id in causis Civilibus. In Capitalibus verò, & post conclusionem non est neganda dilatio reo ad suam innocentiam testandam. v. Mar. h.

Finitoriæ sunt inter quos leges jubent finiri ipsas controversias, nempe Criminalem causam intra biennium, Civilem intra triennium. l. properandum. ff. de jud.

Exequutoriæ sunt, quæ statuunt & præscribunt, intra quod tempus sententia in causa Civili, vel Criminali lata exequutioni mandanda sit. juxta gloss. c. quærendum. circa verbum quadrimestre. x. de off. deleg.

Appel-

Appellatoriæ sunt, quæ dantur ad appellandum à sententia intra decem scilicet dies. pass. de appell.

Estné his ita restricta judicis potestas, ut constitutas dilationes, neque angustare, neque prorogare possit?

Non sunt usque adeò perpetua, ut non fiant arbitraria, si id suadeat causæ necessitas, exemplo. l. 2. ff. de jud. paucis tamen exceptis.

Quænam illæ habentur?

Veluti decem dierum, intra quos quisq; appellare cogitur. Authen. hodie. C. de appellationibus. & c. sicut in Clementinis de appellationibus. item tempus restitutionis in integrum. juxt. gloss. c. cum Romana. x. de appellationibus. & l. ultim. C. de temporibus in integrum restitutionis.

Quæ sunt extrajudiciales?

Exempli gratia duas species retulisse suffecerit, veluti constitutoria, quando quis scilicet constituit se soluturum non adjecto die, tum modicum tempus non minus tamen decem dierum conceditur. l. promissor. Stichi. §. 2. ff. de constituta pecunia, item inventaria, quæ datur ad conficiendum inventarium, secundum l. scimus. C. de jure deliber.

Simpliciterne & indistinctè petentibus conceduntur dilationes?

Nequaquam. Nam judex potest exigere juramentum an bona fide, & non potiùs consilio protrahendi litem petat. Hujusmodi subterfugia sunt omnibus modis præcidenda juxta l. properandum. C. de jud. & l. 2. in princip. debet causa cognita & utraque parte præsente pro tribunali (quod sedile est judicis legitimum) sedens indulgere. 3. q. 3. c. induciæ. & l. 4. h. t. Hoc insuper observandum judici, ut reo pleniùs consulat. Vnde tres reo, duæ tantùm accusatori dantur. l. final. ff. de ferijs.

Qui sunt effectus dilationum?

Excusant à pœna & mora, ut ijs pendentibus nihil sit agendum, nihil innovandum, sicut patet ex Constantini rescripto, quo sancivit, ut dilatione data, judicis officium conquiescat, donec petiti temporis defluxerint curricula. l. 3. h. t. Vbi autem dies seu terminus venerit, habent vim sententiæ interlocutoriæ. l. qualem. 27. ff. de recept. & peri-

perimant actum qui in assignato dilationis termino fieri debuerit, adeò ut pars posteà comparens super eadem re, nisi ex magna causa, posteà non audiatur. vid. Specul. & dilatio ab alterutro eorum impetrata, alteri quoque prodest, ut in illius prajudicium renunciari nequeat. commune ait Iason in l. 1. ff. de adopt. Notandum quoq; obiter est, nullam dilationem currere absenti, nisi à die quo fuerit intimata. Maran. h. num. 14. Breviter si injustè denegetur, coarctetur, restringatur, prorogetur, ab ea appellare licebit. c. 1. 2. 3. x. eod.

Cur Constantinus rescripsit in judiciis suarum cognitionum dilationem non tribui?

Quod ad consistorium & cognitionem principis imparati, nedum non benè instructi non admittantur. l. 5. h. t. & l. 1. ʃ. de relat.

De feriis tit. 12. const. 11.

Quæ Continuatio?

Quemadmodum datis dilationibus, in foro contentioso, judiciis cessant partes. d. l. 3. ita quoque feriarum tempore, quæ quàm cognata & vicina sunt dilationibus, ex illo Constantini patet. Ferias nempe temporibus dilationum, non excipi, sed connumerari. Ordine igitur de feriis, quæ vel ad gloriam & cultum Dei, quemadmodum illud præceptum de Sabbatho sanctificando, vel ob hominum necessitatem, ne scilicet rustici ab agricultura, cui messium & vindemiarum tempore potissimùm vacare illos interest Reipubl., ad tribunalia trahantur. Deniq; propter ipsum Magistratum, ut aliquando respiret, sicut Theodosius Imp. ait: Otio vos frui quodam tempore patimur, ne labore fatigari videamini continuo.

Quid interest inter ferias & dilationes?

Illæ (Cujatio teste) dilationes sunt litium, hæ tantùm unius litis. Illæ sunt juris, hæ hominum.

Unde dictæ feriæ sunt?

A feriendis hostiis iis, quæ hisce diebus litari solent. Vnde etiam ipsæ hostiæ feriæ dicuntur: & sunt Nefasti dies, quibus justitium celebratur.

Quid sunt feriæ?

Feriæ sunt dies feriati, quibus jus non dicitur, nec judex facit sui potestatem. l. pridie. 5. ff. eod. vel feriæ sunt dies quieti à litibus, induciæ, pax, tempusq; mutum à judicijs, quo cives litibus & jurgijs abstinent.

Quotuplices sunt feriæ?

Aliæ sunt Solennes, aliæ Rusticæ, Publicæ, seu Necessariæ, aliæ Repentinæ, Indictæ.

Quid sunt solennes?

Solennes sunt, quæ divino cultui dicatæ sunt, de quibus ita Constantinus: Omnes judices, urbanæq; plebes, & cunctarum artium officia die Dominico conquiescant. item Leo & Anthemius in hæc verba: Dies festos Majestati altissimæ dedicatos, nolumus ullis voluptatibus occupari; nec ullis exactionum vexationibus profanari, Dominicum diem semper honorabilem & venerandum decernimus, ut taceat apparitio, advocatio delitescat, respirent litigantes, habeant fœderis intervallum, subeat animos vicaria pœnitudo, pacta conferant, transactiones loquantur, nec hujus tamen religiosi diei otia relaxantes, obscœnis quenquam voluptatibus detineri patimur, amissionem militiæ, proscriptionémque patrimonij sustineat, si quis unquam hoc die festo vel spectaculis interesse, vel prætextu publici vel privati negotij, hæc temeraverit. l. ultim. h. t. Breviter tractari non debent, quæ sunt contentiosæ jurisdictionis. c. 1. 2. 15. q. 4.

Nullúmne opus hîc excipitur?

Constantinus concessit agricolis, ut tùm etiam cessent agriculturæ, Ne, inquit, occasione momenti pereat cõmoditas cœlesti provisione concessa. l. 2. h. t. Item. Ne hoc die latronum & sceleratorum consiliorum proditio differatur, cùm facillimè & in hoc summi numinis speretur venia, per quod multorum salus & incolumitas procuratur. l. 10. h. t. Itaque quando necessitas dictat quæ non habet legem c. necessitas. x. de R. I. urget c. fin. x. de jud. aut pietas, hujus favore in operibus misericordiæ non est habenda distinctio dierum. arg. c. utinam. dist. 76. c. nunquam. dist. 5. de consecrat. Quod Scævola interrogatus, quid ferijs agere liceret? respondit, quod prætermissum noceret. Vt non est piaculum bovem in foveam lapsum extrahere, domum fulcire.

Quæ sunt rusticæ?

Quæ introductæ sunt propter hominum necessitatem, ut tempus messium

messium & vindemiarum, ut agricolæ litibus vacui, melius fructibus colligendis inseruire queant, de quibus in hac verba Vlpianus: Ne quis messium vindemiarumq; tempore adversarium cogat in judicium venire, Oratione Marci exprimitur. Quia occupati circa rem rusticam, in forum compellendi non sunt. l. 1. ff. eod.

Quid si evocarentur à judice?

Si citati non comparuerint, & judex absentibus illis protulerit sententiam, consequens erit dicere, sententiam esse nullius momenti, & eam citra appellationem infirmari. Neque enim Pratoris vel Iudicis factum juri derogare oportet. l. 1. §. 1. eod. Sed excipiuntur certæ causæ, ex quibus partes cogi poterunt, ut si res tempore peritura sit, id est, dilatio actionem peremptura, saltem ad hoc cogi æquum est, ut lis contestetur. d. l. in fin. ut tutores, & curatores dentur, & illi officij admoneantur, alimenta constituantur, ætates probentur, ventris nomine in possessionem bonorum mittatur, damni infecti, ut de alendis liberis & parentibus prospiciatur, &c. l. 2. ut si qui de incendio, naufragio, nave, rate expugnatâ quid rapuisse dicantur, l. 3.

Quid si ex voluntate sua & spontè partes comparuerint?

Tum sententia valet, tametsi non rectè fecerit, qui eos evocavit. d. l. §. 1. alioquin nemo solvere, aut judicatum facere teneretur. l. 4. eod. Quia hoc casu suo juri, quod possunt, renunciasse censentur. l. penult. C. de pact. & publicè expedit lites quàm citissimè finiri. c. ult. x eod.

Dixisti ideò concessas esse has ferias, ut colligant fructus agricolæ, non igitur aliis prosunt?

Vt dispositiones legum sunt generales. l. 3. ff. de ll. ita & beneficia à ll. proposita generatim omnibus commodant, & ad omnes pertinent.

Quæ sunt feriæ repentinæ?

Quas Rex vel Imperator (unde etiam Imperiales dicuntur. l. 3.) indicit, vel propter coronationem suam, vel triumphum, vel aliam rem præclarè gestam, ut scilicet publicum gaudium, vel luctus, publico institio celebretur, de quibus vide gloss. in Clementin. Sæpe. de Verb. Signific.

Quis constituit ferias?

Præsides (ait Paulus) provinciarum ex consuetudine loci cujusque solent Messium Vindemiarúmque causa tempus constituere. l. 4. At Constantinus rescripsit, à nullo judice præsumi, ut sua authoritate ferias condat. l. 4 h. t.

De Iurisdictione & foro competente, tit. 13.

Quæ Continuatio?

Quia ante litem contestatam, vel tempore litis contestatæ opponenda est præscriptio fori. l. 4. h. t. & l. 4. ff. de except. ideò tit. de litis contestatione non longè abjicit titulum de jurisdict. & for. Nam lis esset contestata, nisi reus negasset se teneri ad responsionem, vel quod actor plus petat, vel quod dilationes induciæq; concessæ essent, vel quod feriæ intercurrerent, vel quòd incompetens Iudex aditus sit. Meritò igitur hic de Iurisdictione, quàm quisque habet judex, & de foro ubi res sit peragenda, tractatur.

Unde dicta Iurisdictio?

A jure dicendo, Græci δικαιολογία, quod scilicet hujus adminiculo justitia ex præscripto legum administretur, non à ditione, id est, à dominio juris appellata, quod rectè refellit Alciatus lib. 2. dispunct. cap. 24. in fin. Quod tamen vocabulum aliter atque aliter accipitur pro ratione subjectæ materiæ. Nam aliquando generaliter accipitur. §. jusiurandum. in fin. in Authenth. de defensor. cunct. Et imperium quoque merum continet. l. 1. in princ. & ibi gloss. ad verbum Iurisdictionem. ff. de off. erg. Imò & ipsam exequutionem, tametsi facti esse dicatur. l. properandum. §. sin autem reus. ff. de jud. Nonnunquam specialiter & à mero imperio separata est. l. imperium. ff. eod. Frequens est apud ICtos idem verbum nunc generis, nunc speciei loco fungi. ut l. 2. ff. de adopt. & l. obvenire ff. de verb. signifi. Quia (ut Vlpian. ait) natura rerum inductum est, ut plura sint negotia, quàm vocabula. l. 4. ff. de præscrip. verb.

Quid est Iurisdictio?

Est, authore Accursio, de publico introducta, id est, non solùm à Romanis Principibus originem ejus petendo. secundum l. 1. de constit. Princi-

Principum, sed à natura & Deo ipso, eum necessitate juris dicendi, quandoquidem munus est publicum: consequitur in ullius arbitrio privato non esse, utrum subire id velit, an non. l. munerum. §. judicandi. de mun. & æquitatis statuendæ. Hæc saluberrima, inquit Oldendorpius, est clausula ex l. placuit. 5. de jud. Atque ô utinam Accursius cum omnibus suis versasset sibi hæc verba ob oculos.

Quot sunt species?

Hodie traduntur tres, Imperium merum, Mixtum, & Iurisdictio simplex.

Quid significat Imperium?

Nihil aliud (teste Gilloto,) quàm jussum, cui obtemperare oporteat, arg. l. idonei. de test. ut in illo Verg. Imperio læti parent. *Quo etiam refert verba l. 12. tab. justa imperia sunto, ijs cives modestè & sine recusatione parento: Magistratus nec obedientem & nocuum civem mulcta verberibusq; coercento. Nam Imperio & Magistratibus continetur Respubl. Cui consequens est (ait Oldendorp.) hominem non censeri, cui displiceat legitima potestas.*

Quare merum?

Merum idem quod solum, ut apud Terentium. Nihil habet quàm meram spem. At merum imperium quod purum liberum sit. Bartol. in l. imperium. 3. eod. & plerunque ll. solutum. l. princeps. de ll.

Quid est merum Imperium?

Est habere gladij potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines, quod etiam potestas appellatur. d. l. imperium. Aliter est Iurisdictio, quæ nobilis judicis officio exercetur, vel per accusationem, respiciens publicam utilitatem, nec competit jure Magistratus, sed specialiter. l. senatusconsulto, vel à principe defertur, nec ad alium transfertur, juxt. reg. Nemo potest gladij potestatem sibi datam, vel alterius coercitionis ad alium transferre. l. 70. de R. I. Hujus enim vulgò hi numerantur gradus, veluti Maximus, Major, Magnus, Parvus, Minor, Minimus. Quorum singulorum effectus paucis perstringamus.

Qui sunt effectus maximi?

Cogere generale Procerum concilium. 7. distinct. Generales condere leges. l. 7. ff. de constit. princip. Indulgere veniam reis l. 2. et fin. J. de gener. abol. Vnde, nisi fallor, illa Regula: Nemo qui condemnare non

potest, absolvere potest. l. nemo. 38. ff. de R. I. Signare nummos. l. 2. de fals. mon.

Qui sunt majoris & magni?

Naturalem vel Civilem auferre vitam. d. l. imperium, l. licitas. §. qui universas, ff. de offic. præsid. reo & nocenti abscindere membrum, §. ad hæc prohibemus. in Auth. perpetuis addicere Remis, & multare exilio sive deportare. l. aut damnum. §. præfecto. de pœn. & l. inter pœnas. de interd.

Qui sunt parvi?

Relegare. d. l. inter poenas. §. decuriones. Quæstionibus & tormentis explorare veritatem. §. si verò ignoti. in Authen. de testib. Fustigare vel flagris cædere. l. si quid erit. ff de offic. procons. Hæc officia meri imperij sive partes delegari nequeunt, nisi ex necessaria absentiæ causa. l. 7. §. is qui mandatam. de offic. ejus. juncta l. solet. de offic. procons. neque injuriâ. Nam majoribus videbatur majoris esse momenti, quàm ut cuivis temerè permitteretur, qui non à tota Republ. de cujus mutilatione agebatur, mandatum accepisset. ut ne olim quidem consules Romani, quorum summa erat potestas, sine speciali populi jussu aliquem damnare potuerint.

Qui sunt minoris?

Pro parvo crimine castigare, l. magistratibus. eod. de Levibus delictis cognoscere. l. levia. de accus. & quod competit jure Magestratus omnibus. §. audien. in Auth. de defens. civit.

Qui sunt minimi?

Leves imponere mulctas. l. eos. 5. de modo mul. l. 2. de sportulis. Atque hi duo postremi delegari possunt. secundum l. 1. & ibi Dd. de off. ejus.

Habétne princeps solus merum Imperium, sicut Lotharius in gratiam Imperat. Henrici 7, Lucelburgensis sustinebat, an & alii magistratus, quod voluit Azo?

Azonis sententia sanior apparet, qui quidem adstruxit merum imperium in Imp. tanquam fonte superesse, atque in alios tamen etjam magistratus tanquam rivos promanare. Azo in sum. C. de everf. dist. Aliis quoque magistratibus etiam exercitium competere. fac. l. cogni-

cognitio. §. cum propriam. de offic. ejus, &c. & l. illicitas. §. qui universas de offic. præs. in verb. Qui universas provincias regunt, & in metallum damnare possunt. Sed pro Lothario facit. l. 10. de off. ejus in verb. qui cum publici judicij habeant exercitationem. At Azo dicit eam non in facto consistere, sed ad jus referri, uti ex sententia. L. constit. colligitur: nisi tum cùm à Principe accipiunt magistratum. l. 10. ad l. Iul. ambit.

Potéstne merum Imperium delegari?

Non potest. Quæcunque specialiter vel lege, vel SCto, vel constitutione principum tribuuntur (quale est merum imperium) mandata jurisdictione non transferuntur: quæ verò jure magistratus competunt mandari possunt. l. 1. de off. ejus. cui. Sic & Vlpian. Nemo potest gladij potestatem sibi datam, vel cujus alterius coercitionis ad alium transferre. l. Nemo. 70. de R. I. Causa enim in promptu sunt, maximè periculosum, & maximi præjudicij, de capite civis statuero, ut olim non licuerit injussu populi. l. 2. §. & quia. 23. de orig. jur. deligebantur qui praeessent viri sapientia singulari, industria, prudentiáque præstantes, ut exquisitis & eximiis personis committeretur imperium. Nec l. solent 6. de off. proconf. obstat. Quia audit tantùm causas, & cognoscit, non judicat, non exequitur, ut non ultimum supplicium irrogare, non membrum amputare possit c. 20. ve. antequam. Nov. 128. Nec obest. d. l. 1. vers. hujus rei fortissimum argumentum est, quod si proficiscatur, aut abesse coeperit, mandari possit. Non agit illic de mero imperio, neque de jure gladij: sed de poena. l. Iul. de vi privata, quæ præter infamiam & tertia parte bonorum multabat. l. ult. de vi priv.

Quid est mixtum Imperium?

Quod competit Magistratui ordinario, qui jurisdictionem habet, & cui imperium etiam inest, mandata est jurisdictio. Vnde & mandata jurisdictio transfertur. l. 3. l. 4. eod. & l. ult. cui nat. Vel, ut Loriotus descripsit. est potestas specialiter concessa. l. ea quæ. ad municipal. cui jurisdictio inest. d. l. imperium, id est, in quo postquam concessum est, jurisdictionem habemus. Alter quod officio judicis nobili exercetur, privatam respiciens utilitatem. Barth. in l. imperium. eod.

Cur dicitur Imperium potiùs, quàm Iurisdictio?

Quia non in juredicendo, sed in exequendo, imperando, jubendo, versatur. l. 1. & 4. h. t.

Cur dicitur illi inesse iurisdictio?

Quia Magistratus non jubet, neque exequitur citra causa cognitionem. l. ad Pio. 15. §. si super. ff. de re judicata. Vel qui habet mixtum imperium, intelligi debeat habere & jurisdictionem, & judicis dandi licentiam.

Quot sunt mixti imperii gradus?

Totidem, nempe sex, quot superiores.

Qui sunt effectus maximi?

Veniam ætatis (quæ solius est principis) indulgere, approbare & celebrare arrogationem. l. 2. de adopt. Legitimare liberos naturales, in Auth. quibus modis efficiantur naturales sui.

Qui sunt majoris gradus?

Suam ipsius recognoscere sententiam, veluti sententia à Præfecto Prætorio lata ad eundem per supplicationem intra decem dies execuienda refertur, quandoquidem ab eo appellare non liceat. l. unica. c. de off. præf. præt.

Qui sunt magni?

Restitui in integrum à Præside vel Prætore, sed cum causa cognitione plena. d. l. ea Possessorem ex secundo decreto constituere. l. si finita. §. Iulianus de damn. infec. Item manu militari auferre rem, dolo malo restitutionem detrectanti. l. qui restituere. 28. de Re. Vend. Quæ non possunt delegari. Quia ea non obtinemus jure Magistratus. l. cum hi. §. sed nec mandare. de transaction. Bart. in d. l. imperium. sed favore minoris & fragilis etiam infirmæ ætatis restitutionis causam aliis mandare licet. l. final. ubi & apud quem. argumen. l. 1. de min.

Qui sunt parvi?

Huc pertinent ea, quæ cum plena causa cognitione expedienda sunt secundum Regulam. Quæcunque causa cognitionem desiderant, per libellum expediri non possunt. l. omnia de R. I.

Qui minores?

Quæ summatim à judice tractantur, ideoque & hæc mandari possunt. l. cognitio. §. fin. de off. ejus.

Qui minimi?

Quæ sine causa cognitione passim, & ubique judex scilicet explicaeqre po-

care potest ad privatam utilitatem. l. 2. §. de municipal. Magistrat. Veluti cùm author est domino volenti servum suum manumittere. l. unica. de offic. cons. vel pater filiumfamilias emancipet, §. emancipatio. quibus modis jus patr. potest. solv. Vel cùm quis adoptet sibi filium. d. l. 2.

Quid de mixto imperio, potéstne & illud delegari?

Communis Dd. opinio repugnat, tamen contraria videtur verior. l. 4. § 1. de off. ejus. in verb. mandari potest. ut bonorum possessio detur, vel si cui damni infecti non caveatur, ut is possidere quæ censentur mixti imperij. l. ea quæ. 26. ad municipal. & l. jubere. 4. eod. t. h. t. ut etiam mandata jurisdictione, mixtum imperium transferatur. l. ult. de off. ejus. A quocunque Magistratu judicis datio alteri mandari potest, quod est mixti imperij. l. cum prætor. 12. de iud. in verb. propter vim imperij. eodem pertinet illud Vlpiani: Solet, inquit, Prætor jurisdictionem mandare, & aut omnem mandat, aut speciem unam, & is, cui mandata est jurisdictio, funge:ur vice ejus, qui mandavit, non sua. l. 16. §. h. t.

Quid est jurisdictio simplex?

Quæ mercenario judicis officio expeditur, privatam respiciens utilitatem. ita Bart. in d. l. imperium. distinguens mixtum à simplici jurisdictione, quod illud nobili judicis officio explicatur. Quam sententiam Bartoli refellens Loriotus axiomate 34. & seqq. pro illius descriptione hanc subiecit, nempe, quòd sit juris dicendi officium, jure Magistratus concessum. consistens in civilibus cognitionibus, decisionibus & delegationibus. Et hoc modo putat à mero imperio differre; quod merum imperium versetur in Criminalibus cognitionibus, exequutionibus. A mixto, quòd hoc consistat in Civilibus exequutionibus, & omnibus extraordinarijs persequutionibus. Vnde consequens est ea quæ jurisdictionis sunt, tam generaliter quàm specialiter delegari posse. Vide Loriotum de jurisdictione axiomate. 30.

Quot numerantur hujus speciei gradus?

Totidem quot superiorum.

Quæ sunt partes maximi gradus?

Cognoscere causas maximi præjudicij, veluti cùm de statu personæ controversia sit: cùm quæritur an aliquis libertus sit, vel liber, vel de partu agnoscendo. vide §. præjudiciales. Inst. de action. Harum rerum

cognitio (cùm libertas omnibus rebus sit favorabilior & inæstimabilis) nulli mandari potest. l. libertas. de R. I.

Quæ sunt majoris?

Veluti mulctam convertere in pœnam, id est, quando cui pecuniaria pœna infligatur. & quando eam præstare nequit, ob id corpus affligendum sit. l. quicunq;. j. de serv. fug. juxta illum versiculum:

Nam Luit in corpus, quisquis non possidet æra.

Quò pertinet illud Modestini: Si sine venia edicti libertus patronũ in jus vocaverit. l. ult. ff. de in jus voc. ex querela patroni vel dictam pœnam, id est, 50. aureos dat, vel à Præfecto urbi, quasi inofficiosus castigatur, si inopia dignoscatur laborare. l. ult. de in jus vocan. Item Vlpian. generaliter, ait, placet, ut eis, qui pœnam pecuniariam egentes illudant, Magistratus coercitionem extraordinariam inducant. l. 1. fin. de pœn. Quibus consequens est, hanc speciem delegari non posse.

Quæ sunt magni?

Vt quando lis sive causa agitetur, quæ vel sit vel excedat summam trecentorum aureorum, deferatur ad judices majores. in Authen. de defens. civita. §. judicatum. Nec hæc species mandari poterit, nisi in duobus casibus, quando vel absens est primus judex. l. aliquando. de off. procons. vel quando occupationibus graviorum, vel plurium causarum distringatur. Auth. ut defuncti, quod alioquin nulli licet imperio. vid. l. 2. s. de pedaneis judicibus.

Quæ sunt parvi?

Quando controvertitur de summa, quæ est infra 300. d. §. judicare. Hæc species plenam exigit cognitionem, & passim mandari potest. Bart. in d. l. imperium.

Quæ sunt minoris & minimi?

Huc pertinent omnes lites, quarum summæ centum solidis sunt minores. Auth. nisi breves. j. de senten. ex breviculo recitandis. §. audient. in Auth. de defens. civit.

Sed utrum quoque concessa à Principe jurisdictione, concessum imperiũ merum intelligitur?

Prima fronte videtur. Quia jurisdictio tanquam genus videtur continere imperium. Verùm aliæ rationes efficaciores & graviores impediunt, & adversantur.

Pri-

Primùm quod merum imperium specialiter à lege, Sto, vel Constitutione credatur, ergo jurisdictione indulta, non pariter transfertur. l. 1. de off. ejus. & d. l. § ult.

Deinde jurisdictio separata est species, quemadmodum nunc generis, nunc speciei loco est: & tunc opposita imperio, atqui ex separatis nihil infertur. l. ult. d. t. Præterea disertè respondit Papinianus: mandata jurisdictione imperium non transferri. d. l. 1. §. 1. eod. Porrò generalis & lata jurisdictionis significatio non potest extendi ad merum imperium, quia merum imperium legis, non hominis est, nisi Princeps plenissimam & omnimodam jurisdictionem tribuerit. Longoual. ad l. 3. de jurisd. par. 4.

Postremò L. beneficium, ubi Iavolenus respondit, quàm plenissimè Principis interpretandum esse beneficium. de const. Princ. quod angustior interpretatio per aliam legem recepta est, & probatur. d. l. 1. §. 1. Verùm Felinus distinguit, ut, si Princeps castrum cui adhæreat non solùm jurisdictio, sed merum quoq; imperium, tum & concessum intelligi eadem opera imperium. in c. quoad sedem. de off. ord.

Súntne plures jurisdictionis divisiones?

Sic est, & præcipuè duæ:

Prima est, Omnis jurisdictio aut est Voluntaria, aut Contentiosa. l. 1. ubi gloss. de off. procons. & l. 1. ubi gloss. de off. prætor.

Altera, quòd jurisdictio sit alia Ordinaria, alia Delegata, alia Prorogata ex consensu partium. l. 2. & 6. ff. eod. l. 1. h. t. l. 1. & 2. ff. de judic. & l. si quis ex consensu. C. de Epis.

A quo confertur omnis jurisdictio?

A Lege, Populo, & Consuetudine. Bart. in l. & quia. eod.

Quomodo definit jurisdictio?

Ordinaria morte non mandantis, sed ejus cui mandata est. c. 2. de off. deleg. non utendo præscriptione. c. cum olim. de privil. princ. tamen potestas non præscribitur, sed possessione per prohibitionem impeditur, alioqui jurisdictio res est mera facultatis. Iason in l. beneficia. de consti. princ. In singulis causis finitur, finita lite vel instantia. l. properandum. l. 1. C. de jud.

Quomodo finitur delegata?

Morte delegantis & delegati. c. penul. x. de off. deleg. idq; in integ. d. l. et quia. & revocato mandato. c. insinuante. de off. & deleg. & tempore

pore judicij & commissionis præterito.c.4.x.eod. appellatione. c.ut debitus.x.de appellat. finito negotio.l.judex. §.5.de jud.

Quomodo prærogata?

Pœnitentia alterutrius litigantium : sed antequam adeatur judex. l.si convenerit. de jud. nisi per stipulationem pars sibi consuluerit. tùm enim agi potest ad id quod interest. l.diem.27.de recept.arbit.

Accedamus in nomine Domini ad alterum huius tituli membrum quod est de Foro Competente.

Quæ Continuatio?

Cùm dubius sit litium eventus, l. jubetur. de pecul. rectè monent deliberandum esse, expediat nec ne, litem suscipere, antequam ea moveatur. l. aviam. ff. de ing. manum. verùm cùm aliquis certò statuerit velle persequi suum jus, dispiciendum erit apud quem judicem oporteat. Probibitum enim est, ne quisquam sibi judex sit. ff.t. 5. neq; possunt qualibet lites apud quemlibet judicem agi, etsi ille judex ordinarius habetur, in cujus territorio vel diœcesi domicilium reus habeat. l.fin.de jurisd.omn.jud. Et boc observetur actorem debere sequi forum rei.l.in criminalis.h.t.tamen personæ conditio, & rei ratio aliquando faciunt, ut in alio foro experiri cogantur. Vtiliter igitur de foro competente.

Unde dictum forum?

Isidoro forus est exercendarum litium locus, à fando dictus, sive à Foronio Rege, qui primus Græcis leges dedit. Constat autem forus causa, lege, & judicio, &c. c.forus.10.x.de verb.signific.

Quid est forus?

Est locus publicus, in quo Magistratus jus dicit vel judicat. secundum l. 2. ff. de pedan. jud. Competens forum est proprium & congruum, ubi reus ab actore conveniri debet, quacunque de re agatur. l. 2. h. t. Cujus contrarium dicitur forum alienum, incongruum, & incompetens, & judex similiter aut competens aut incompetens est. l.1. h. t. & Cujac.

Quot modis dicitur forum competens?

Aut ratione domicilij, aut ratione contractus, aut ratione delicti, ratione rerum, ratione privilegij, aut ratione matrimonij, aut ratione connexi, aut consensu partium, aut rescripto Principis. Quæ singula diligentiùs repetemus.

Quid intelligis domicilium?

Domicilium est domus possessio (inquit Oldendorp.) in ea civitate, ubi quis civis censetur, scilicet (Vlp. teste) ubi quis habitat, sive in suo sive conducto, sive gratuitè, & ait, inter habitatorem & hospitem tantum interesse, quantum inter domicilium habentem & peregrinantem. l. 1. §. penult. de his qui detec. vel effu. vel ubi quis majorem suarum fortunarum partem habet larem, id est, familiam habet. l. si cives. ff. de incolis. Vbi nempe assiduè conversatur, & cùm inde proficiscitur, dicitur peregrinari. juxta. c. expert. x. eod.

Quomodo ratione contractus?

Nam actiones ferè personales ibi proponuntur, ubi obligatio ex qua competit actio, existere cœpit, ut si quis vendat, aut comparet aliquid à mercatore, qui tabernam vel officinam, vel pergulam, vel horreum certo loco conductum habeat. Vnde si non præstetur, de quo inter eos convenit, possunt invicem & vicissim in loco obligationis experiri, nec necesse est, ut alter alterum in forum sui domicilij sequatur. l. hæres absens. §. proinde. cum seq. ff. de jud. nec interim negligatur (quod Iulianus respondit) contraxisse eo loco intelligitur, in quo ut solveret se obligavit. l. 21. de act. & oblig.

Quomodo ratione delicti?

Delicto quis sortitur forum loci illius, in quo quis illud perpetravit: ita tamen si evaserit etiam in loco domicilij teneatur: adeò ut judex loci in quo delictum est admissum, à judice domicilij possit petere, ut facinorosus sibi remittatur. l. solent. ff. de cust. & exhib. reor. in Auth. ut nulli judic. §. si quis comprehensum. Verùm hujus juris observatio accipit diversitatem ex diversa delictorum natura.

Quomodo?

Nam non omnia delicta sunt Politica vel Civilia: sed sunt quoque Ecclesiastica, & sunt aut merè Ecclesiastica, aut mixti fori.

Quæ sunt merè Ecclesiastica?

Quæ à sola Ecclesia damnantur, ut est nundinatio rerum spiritualium

tualium, quæ σκμαντία dicitur, aut de quibus citra cognitionem Ecclesiasticam judicari non posset, ut est hæresis. c. ut inquisitionis. de hær. in 6. Vid. Panormit. circa c. generalem. x̄. de for. comp. & quod hic dicimus de cognitione Ecclesiasticarum causarum, non ad pœnitentiæ forum pertinet, quod Ecclesia habet ad judicandas conscientias.

Quid ita?

Nam in foro conscientiæ Ecclesia de omnibus peccatis cognitionem habet, ut sua objurgatione delinquentes vocet ad pœnitentiam, juxta ea, quæ de denuntiatione peccatorum Euangelica inter Christianos dicuntur, Math. 18.

Extántne hujus rei testimonia vel exempla?

Tripartita historia refert lib. 8. cap. 7. Valentinianum venisse ab Oriente ad Occidentem, & monuisse ut talem eligerent Episcopum, qui non solo verbo, sed etiam conversatione gubernaret subjectos, testemq; doctrina conversationem haberet bonam. Breviter talem (ait) constituite, cui & nos qui gubernamus imperium, syncerè nostra submittamus capita, & cujus monita, dum tanquam homines delinquimus, necessariò veluti curantis medicinam suscipiamus. distinc. 63. c. Valentinianus. nec Ecclesia aliter cum regibus, aliter cum plebeis agit, juxta illud: Ita magnum judicabis, ut parvum, nec erit apud te acceptio personarum, Deut. 1. ut peccator à vitio ad virtutem revocetur. c. novit. 3. x̄. de judic. Exemplum vivum est in Theodos. ut Philip. Chron. lib. 3. pag. 330. prædicat.

Quomodo ratione rerum?

Illud forum dicitur competens, cujus in territorio res illæ, de quibus controversia est, sitæ sunt: tamen ubi acceptum est judicium, ibi etiam debet finiri. l. 3. ff. de judic. & ab hærede continuari etiam. l. privilegium. l. quom. & quand.

Quomodo ratione privilegii?

Veluti favore studiorum magna sunt studiosis indulta privilegia, nec inviti rapiuntur ad aliud tribunal, quàm sui Rectoris: idq; hunc ob finem, qui studiosis semper debet esse in conspectu, scilicet ut discant, ita & proficiant, quo illorum scientia totus illuminetur mundus ad obediendum Deo, & Magistratui, ipsius ministro. Auth. habita. ℸ. ne filius pro patre.

Quomodo ratione matrimonii?

Quia, ut Modestinus respondit, conjunctio maris & fœminæ con-

consortium omnis vitæ communicationem divini & humani juris continet. l. 1. ff. de rit. nuptiar. Unde Pompon. deductione (ait) opus esse in mariti, non in uxoris domum, quasi in domicilium matrimonij. l. 5. ff. eod. unde rectè dicitur uxor sequi forum sui mariti.

Quomodo ratione connexi?

Veluti, si inter plures familiæ herciscundæ judicio agatur, & inter eosdem postea communi dividundo, aut finium regundorum nascatur, compendij gratia ad eundem judicem, utpote jam de causa instructum convenient, l. 1. 2. ff. quibus rebus. Nec enim continentia causæ dividi debet. l. nulli. C. de judic. & frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora. l. 1. ff. quod met. caus.

Quomodo consensu?

Ut cùm partes eum eligant judicem, cujus jurisdictioni non subjecti sunt. l. 1. 2. ff. de judic. dixi judicem, nam non habenti jurisdictionem privato homini qui se subjiciunt nihil agunt. l. 3. h. t.

Quomodo rescripto Principis?

Ut si quis incompetens, mandato Principis, jubeatur extra ordinem cognoscere, & judicare inter aliquos. Auth. qua in provincia. C. ubi de crimin. Nam sine rescripto, si actor trahat reum ad incompetentem judicem, fretus forsitan militari exequutione causa cadit, id est, actor actione mulctatur, & reus pro condemnato habetur. trib. mill. capitalem subeunt animadversionem. l. 5. h. t. Quæ omnia & plura sequentibus hisce versiculis continentur:

Contractus, crimenque, reus, res, relligioque,
Vir, ratio similis, vel provocat atque recusat,
Excedit, visus, vel si consentit uterque.

v. gloss. c. 1. 3. q. 3.

Quando Imperator, &c. tit. 14. const. unica.

Quæ Continuatio?

Etsi in jure regulariter actor sequitur forum rei. l. 2. & 5. C. præcedent. ne quis temerè ordinarium judicem recusat. c. si quis contra. x. de for. comp. & c. cum speciali. x. de appell. tamen hoc in titulo misera-

miserabilibus personis indulgetur, quando scilicet adversarij potentia illis formidolosa est, poscant à Principe ut ipse illos audiat, deq; illorum causa cognoscat, ne illis invitis illa ab alio disceptetur, & caveatur, ne contra cogantur terminos suæ provinciæ excedere. l. unic. h. t. Duplex igitur privilegium est: Vnum quod possunt ob sumptus & difficultates principe implorato declinare: Alterum quòd ad Principem vocati, aliò possunt provocare.

Quas intelligis hîc miserabiles personas?

Pupillos, viduas, diuturno morbo fatigatos, debiles: breviter, qui aliena indigent ope. d. l. unica. differt enim miserabilis à misero, quòd miser in malam partem sumatur. Et sanè, si quid votis possem:
Nec miser ipse velim, quoque nec miserabilis esse.

Vbi de criminibus, tit. 15. const. 2. cum Authen.

Quæ Continuatio?

Dictum est in genere de foro competenti, & modò aliqua ejus exceptio proposita: jam speciatim, nominatimq; persequitur Imperator ex quibus causis quisq; sortiatur forum, & primùm quomodo ex crimine. De ijs enim causis agitur usq; ad tit. 27.

Quid accipis hoc loco crimen?

Crimen propriè est gravius commissum. l. quod de. 17. §. 18. de ad. edict. Verùm hîc accipitur pro quolibet delicto. l. actionis. de oblig. & act. quo forum fit competens. l. capitalium. §. pen. de pœn.

Quomodo quis ex delicto sortitur forum?

Ex delicto ejus loci, ubi crimen est admissum, forum est competens, ut & hoc nominatim de militibus cautum sit. l. 3. de re milit. vel ubi lis est contestata, l. 1. h. t. Nam post litem contestatam non est jus revocandi, vel mutandi forum, vel ubi reus domicilium habeat, vel deniq; ubi deprehensus fuit. Breviter reus delicti, quatuor in se judices sortitur, delicti nempe. l. 3. §. de off. præs. domicilij, litis contestatæ, & ubi reperitur. d. l. 1.

Quid si quis vocatus non comparuerit?

Tum.

Tùm, quia contumacia ejus pro præsentia habetur, condemnatur. Auth. qua in provincia. h.t.

Quid si actor desit cùm reus venerit, vel aliquem miserit?

Absolvendus est reus, ut & ei damna sarciantur. d. Auth.

Vbi de possessione, tit. 16. con. uni.

Quæ Continuatio?

Hujus tituli constitutio non tantùm de causa possessionis sive momenti, id est, de possessione exigui temporis, quo fuit detenta: verùm & de causa criminali loquitur.

Quid ita?

Quoniam si quis per vim de possessione prædij dejectus, & de vi criminaliter. l. Iulia. ubi vis facta est, & de possessione similiter per interdictum unde vi. Ibi enim turbatorem convenire & iudicare convenit, ubi aliquem de possessione depulit. l. unic. h.t. quia & illic res sita est, & delictum commissum est.

Vbi fideicommissum, tit. 17. c. un.

Quæ Continuatio?

Hactenus quibus modis forum fiat competens ex delicto, jam quomodo ex ultima voluntate.

Quomodo illud?

Quoniam fideicommissum, ubi vel tota hæreditas vel major pars sit, vel ubi fideicommissarius domicilium habet, etiamsi res ibi non sit, quæ restituitur. l. 10. & seq. de rei vendic. vel ubi res per fideicommissum relicta est & existit. Quod etiam porrigendum est ad legatum, & creditum hæreditarium. Quia eadem est ratio, ergo & idem jus.

Vbi conveniatur, &c. tit. 18. c. u.

Quæ Continuatio?

Non tantùm quis sortitur forum competens, ex delictis & ex ultimis voluntatibus, sed etiam ex contractu: veluti si quis se obligaverit, ut certo loco solveret. juxt. l. unusquisque. 21. de obl. & act. & l. hac nostra. & l. 9. eod. Unde Alexander rescripsit. Si solutioni promissor non satisfecerit. Arbitraria actione posse & in alio loco conveniri. h. l. unic. Sed videtur ei, cui ex mutuo, aut stipulatu certo loco debetur, non esse facultas conveniendi adversarium alio loco. juxta l. 9. eod. Ne plus loco videatur petere. Verum est, si pura intentione alio loco, quàm convento petat. Sed quia iniquum est, teste Gaio, si promissor nunquam ad eum locum accederet, quod vel data opera faceret, vel quia alijs locis necessariò disiungeretur, non posse actorem ad suum pervenire. Ideò visum est, utilem actionem in eam rem comparare. l. 1. ff. eod.

Cur non debet experiri detracta mentione loci?

Ne auferat, (inquit Ulpi.) utilitatem loci reo. l. 2. & ideò (inquit Gajus) hanc actionem in arbitrium judicis referri, in quo varia sunt pretia rerum per singulas civitates, regionésq; maximè olei, vini, frumenti: Pecuniarum quoq; non una & eadem ubiq; est potestas: tamen alijs locis facilius inveniuntur & levibus usuris, alijs difficilius & gravibus usuris. l. 3. eod.

Quid est arbitrium?

Nihil aliud quàm judicium æquo & bono consentaneum, quale à viro bono exspectari probariq; debet. l. 21. de R. I.

Quid continet hæc arbitraria actio?

Utilitatem utriusq; tàm actoris quàm rei, quod si rei interest, minoris fit pecuniæ condemnatio, quàm intentatum est, si actoris, majoris.

Quale judicis officium?

Ut quantitati contractus non serviat, & aliquando eam excedat, aliquando minuat, ut quod intersit, etiam ultra legitimum modum usuram expendat, & non solius damni, sed etiam lucri habeat rationem. l. 2. in fin. Interdum etiam reum absolvat cautione ab eo exacta de pecunia ibi solvenda, ubi promissa est. In summa æqualitatem ante oculos habeat, quæ huic actioni addictus est. l. 4. h. t.

Sed

Sed quid si promissum sit Docceti aut Harlingæ?

Respondet Vlpianus: Si fuerit in debitoris arbitrio, ubi ab eo petatur, conveniri nō posse, semper enim alium locum electurum, sic evenire, ut sit in ejus arbitrio an debeat. Quare putat Scævola ab eo posse peti altero loco & sine loci adjectione: Damus igitur actori electionem petitionis, & generaliter definit actorem electionem habere ubi petat, reum ubi solvat: sed ante petitionem: alioqui tollis actori actionem, dū reo vis servare optionem. d. l. 2. §. 3.

Quomodo differunt bonæ fidei actiones & arbitrariæ?

In bonæ fidei judicijs, (ait Paulus) etsi in contrahendo convenit, ut certo loco quid præstetur, ex empto vel vendito actio competit, non Arbitraria, nisi certo loco traditurum in stipulationem fuerit deductum. l. 7. eod. Nam actiones bonæ fidei, ob clausulam ex bona fide, suapte naturâ satis largæ & laxæ sunt, ut judex ex æquo & bono, quod alterum alteri præstare oportet, statuat. §. in bonæ fidei. Inst. de act.

Vbi in rem actio, tit. 19. const. 3.

Quæ Continuatio?

Hactenus quomodo ex delicto, contractu, ultimâ voluntate, quis sortiatur forum, jam accedit ad modū quo modo competat forum propter rem, in qua exercenda est actio. de quo ita Impp. Dioc. & Max. in rem actionem non contra venditorem, sed contra possidentem competere: verùm si cum te possidente contendat dominus rem suam vendicans, venditori debes renunciare, ut intelligat evictionis periculum sibi imminere. l. 1. h. t.

Quid igitur hîc observandum?

Id quod Imppp. Honor. Theod. & Arcad. constituerant, videlicet, actori forum rei sive in rem, sive in personam sit actio, sequendum esse: Sed & in locis, in quibus res, propter quas contenditur, constituta sunt, jubemus actionem in rem adversus possidentem moveri. l. ult. h. t. Quo pertinet illud Licinij Rufini. Si per actionem in rem legatum petitur, ibi peti debet, ubi res est. l. quod legatur. 38. in fin. de judic.

Quid si conventus actione in rem alterius nomine ut commodatarius, colonus, depositarius possideat vel detineat?

Debet statim in judicio dominum nominare, ut illi significetur, quo intra certum temporis spatium in loca in quibus prædium situm est, veniat excepturus actoris intentionem, vel procuratorem mittat: Si non comparuerit, tanquam lite contestatâ interrumpitur præscriptio, & judex legitimis edictis propositis eum citare curabit. l. 2. & 8. j. quomodo & quando judex. & si in eadem contumacia perseveraverit, tum judex summatim, negocio discusso, actorem in possessionem rerum mittet, allegatione absenti de principali quæstione servata. l. 2. h. t.

Tit. 20. const. unic.

Ubi de hæreditate agendum est?

Hæreditas petetur ab eo, qui eam vel quid ex ea possidet pro hærede, vel possessore, ubi is domicilium habet. l. si suspecta. §. ult. de inofficioso testamento, vel ubi res hæreditariæ sunt, si ibi reperiatur possessor. Iniquum alioquin esset, eum ex loco domicilij cum magno rerum suarum detrimento, extrahi ad locum in quo res sunt sita, quod in personalibus verum est. l. hæres 19. de jud. etiam in mixtis, qualis est petitio hæreditatis. l. hæreditatis. 7. j. de pet. hær.

Sed ubi hæres scriptus debet postulare, se mitti in possessionem?

Ibi petet, ubi res hæreditariæ sita sunt, nam si de possessione agatur ex interdicto uti possidetis, ejus præsidis notio est, qui eam provinciam regit, in qua sunt res hæreditariæ. hac l. & adde l. 27. de interd.

De qua possessione hoc intelligendum?

Non de prætoria, de qua titulus Instit. de bonorum possessionibus, quæ non datur scriptis hæredibus. §. 1. & 2. eod. non de interdictis, quæ ut actiones personales. l. 1. §. penult. ff. de interdict. quæ ibi proponi debent, ubi reus conventus domicilium habet. l. 2. j. de interdictis. Sed agitur hic de possessione, quæ summariè petitur. gloss. & Dd. hic in l. ult. vel potiùs de ea, quæ petatur per modum exequutionis, quæ semper ibi fieri debet, ubi res est. l. 12. ff. de rebus authoritate judicis possident.

Tit. 21. const. 6.

Ubi oportet agere de ratiociniis publicis & privatis?

Quia ex gestu hac actio proficiscitur, personalem constat esse. l. 2. & ibi Dd. ff. de negotijs gestis, ideoq; ibi forum sortitur, ubi negotium est gestum & res administrata. d. l. hares. & l. 1. & 2. h. t. nec habet jus *revocandi domum, & declinandi forum, quia ut Honor. & Theodos. rescripserunt in loco gestus & administrationis instructio sufficiēs, nota testimonia, & verissima possunt praestari documenta. l. 2. in fi. h. t.*

Quid intelligis per ratiocinia?

Actus sive administrationes, rationes, calculum & computum, ut Vlp. ait. O*fficio tutoris incumbit etiam rationes actus sui conficere, & pupillo reddere. l. 1, §. officio. ff. de tutela & rationibus distrah. Hue pertinent inventaria sive repertoria bonorum. l. 7. de administratione tutor. Libri expensarum, rationalia & auctionalia. d. l. 1. §. 3. vers. de servis.*

Qui sunt obnoxii ratiociniis?

Omnes administratores, tutores, curatores, negotiorum gestores. d. l. 2. ff. de negot gestis, procuratores ad lites, ad negotia. l. 46. §. 4. ff. de procuratoribus: orphanotrophi sive hospitularij. Novell. 131. cap. 1. Haredes gravati fideicommisso. l. ult. J. de jure delib. Servi institores, socij, fratres administrantes bona communia, patres gerentes negotia filij, notarij, quaestores publici, commissarij, curatores bonis dati, missi in possessionem, usufructuarij, tribuni numeri, &c.

Tit. 22.

Ubi status causae agi debet?

Actionem hanc praejudicialem status secundum regul. Actor intendet in foro rei, id est, ubi reus domicilium habet.

Quis hîc intelligitur reus?

Qui ex libertate in servitutem, vel in libertinitatem ex ingenuita-

te petitur, vel etiam adversus quem ex servitute in libertatem, vel etiam ex libertinitate in ingenuitatem proclamatur.

Quorum judicium est hæc notio?

Maximorum. l. ult. h. t. vel saltem majorum. l. non distinguemus. §. de liberali. ff. de recept. adeò ut ne pedaneis delegari possit, nec committi compromissarijs: quia olim nec præsidum fuit cognitio.

Quid est status?

Est illa conditio, in qua homines vivunt alius alio ordine ac jure, vel in qua quisque nascitur, & ab origine quasi stat. l. de statu. 15. ubi glossa & Dd. ff. de testa. cujus tria recensentur capita libertas, civitas, familia.

Tit. 23. const. 2.

Ubi convenietur cohortalis vel curialis?

In ea provincia, in qua is, qui curiæ aut coherti, vel alij conditioni vendicatur, deprehensus fuerit. l. 1. h. t. nisi malit eum remittere ad eum locum, unde quasi fugitivus recessit. l. 1. §. Tit. prox.

Qualis actio hic intenditur?

Quasi præjudicialis, & quasi de statu, qua quæritur decurio sit necne, an curiæ muneribus obligatus, an agricola censitus, an ex cohorte præsidis, vel aliorum conditionalium.

Unde dicti curiales?

A curijs, quibus obnoxij erant, quæ porrò à curis, quòd per eas salus publica curaretur, appellatæ sunt. Siquidem cura sollicitudo est & anxietas animi quasi cor edens, & profectò, authore Oldendorpio, tali conatu, fidelitate, diligentiâ Rempub. juvare oportet. Unde vides curam honestissimam appellationem dedisse curiæ, quia partes populi dicentes sententias de salute Reip. vocabantur Curiæ, & inde Curiatæ ll. l. 2. in princ. ff. de origin. juris. Cæterùm vim & potestatem verbi, id est, rem ipsam, quam significat, nemo animadvertit, & propterea curiarum majestas in levissimos usus perducta est. J. si curialis relicta civitate ruri habitare maluerit.

Unde cohortales dicti sunt?

A cohorte, quæ porrò à cohortando, quod certa multitudo militum cohortari se ad pugnam soleat. Unde cohors prætoria, quæ ob tutelam princi-

principis à latere eius non discedit, & cohortales, qui officijs cohortalibus obstricti sunt. l. 1. 2. h. t. quibus præsides & magistratus majores tanquam manu militari uti solent. juxta l. qui restituere, ff. de rei vendicatione.

Tit. 24. const. 3.

Ubi conveniuntur Senatores & Clarissimi?

Aut agitur cum illi personalibus actionibus, quæ vel ex contractibus, vel ex delictis, vel ex criminibus proficiscuntur. Si de contractibus, tum in loco contractus, siquidem ibi reperiantur. l. hæres. 19. ff. de judicijs. c. 2. de for. competente in Sexto: aut in loco domicilij. d. c. 2. & ult. eod. & l. 2. h. t. l. 2. §. omnes. q. 8. cæterùm si contraxerint. ff. de judicijs.

Si de delictis?

Eadem ratione forum sortiuntur, ubi deliquerunt. l. 1. h. t. apud inferiorem, quidem judicem quoties per procuratorem honestè litigare possunt. l. ult. h. t.

Si de criminibus?

In quibus cùm non æquè procurator recipiatur. l. ultim. §. ubi stat. & l. penult. ff. de publ. judicijs, tantum coram principe & ejus delegato rectè conveniuntur. à solo verò principe condemnari possunt. l. 2. h. t.

Senator unde dictus & quis?

Vel à senectute, quod initio non nisi provectæ ætatis graves viri eligebantur, ut est apud Ennium:

Moribus antiquis res stat Romana virisque.

Vel à sinendo, quod alijs magistratibus non plus liceret, quàm senatus permitteret, ita Livius de Romulo. Centum creat Senatores, sive quia is numerus satis erat, sive quia soli 100 erant qui creari patres possunt. Patres certè ab honore, patritij eorum progenies appellati. item Sallustius. Imperium legitimum nomen regium habebat: delecti quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, Reipub. consultabant, hi vel ætate, vel curæ similitudine patres appellabantur, hi domi præcipuam Reipub. curam sustinebant, neque horum unus mansit ordo.

Quotuplex igitur existit?

Nam posteà ex centenario ducenarij facti abiverant in duas factiones, & cœperunt appellari majorum gentium senatores & minorum gentium senatores.

Qui majorum gentium?

Qui ordinariè, & duntaxat ex patricijs senatui adijciebantur. Minorum gentium senatores erant, qui extraordinariè in senatum ex plebeis quoque allecti fuerant & ascripti. P. C. id collegium appellant, quod nomen dignitatis plurimum, invidiæ minimum præ se fert. Fuerunt & pedanei senatores, dicti inde, quòd vel sella curuli non veherentur in senatum, ut qui nondum Magistratum curulem gessissent, sed pedibus iter facerent. Vel quòd non haberent dictionem sententiæ in senatu, sed taciti transirent ad eum cujus sententiam probabant. Hinc illud sermonibus tritum: Pedibus ire in alicujus sententiam. Nec hoc loco prætereundum, quod Cicero meminit, Tria senatoribus fuisse jussa.

Quæ sunt illa?

Primum ut adessent, nam gravitatem res habet, quando frequens ordo est.

Secundum ut loco suo, id est, rogati dicant sententias, certè hic si non fuerit ordo, mera erit confusio.

Tertium ut modo, id est, ne sint infiniti, nam brevitas præsertim in sententia dicenda maxima laus est Senatoris, Oratoris, & Iurisconsulti. Observanda sunt breviter & hæc, nempe quis cogere senatum potuerit, quo tempore & quo loco.

Qui poterant cogere senatum?

Dictator, Consul, Prætor, Tribunus plebis, Interrex, Præfectus urbi. vid. Gell lib. 14. cap. 7.

Quo loco?

Non alijs locis, quàm per augures constitutis, id est, non prophanis, quæ templa appellabant, ut augurato convenirent. Vnde & in curia hostilia Pompeia, & post in Iulia habebatur senatus; ut in ijs S. C. more majorum justa fierent.

Quos designas clarissimos?

Latissima est hæc appellatio, & potissimùm ad præsides & senatores pertinet, quinetiam & uxores & liberos cujuscunque ætatis & sexus

xus complectitur, referturq́ ad quartum dignitatum gradum qui quinque numerantur, ut sint superillustres, vel potiùs illustrissimi, illustres, spectabiles, clarissimi, egregij.

Gradus dignitatum ex Gribaldo.

Est quoque bis geminus vario splendore nitentum
Ordo virûm: superillustris *a* primùm eminet omneis,
Transcenditque gradus, tali tulêre decore
Romani quondam Reges, tum Consul *b* uterque:
Nec non semestri cum Dictatore *c* Senatus *d*.
Nunc fulgent Papa & Cæsar, Regesque supremi.
Unde *e* Magistratus cuncti fluxere per orbem.

a) *ut ab illust. Nove.71.* b) *Nov. de consul.105.* c) *l. unic. de off. præf. præt.* d) *l. ius senatorum. C. de dig. lib.12.* e) *c. unic. quis dicat. Dux. in Usi. Feud.*

Illustres.

Mox gradus illustris *a* sequitur, cui maxima nutu
Principis excelsi legitur collata potestas:
Hunc meruêre *b* gradum major Præfectus & urbi
Quæstores *c*, rerum comites, equitumque magistri.
At postquam imperium Cæsar sibi vendicat omne,
Cessarunt Dictatores *d*, equitumque magistri.
In quorum subiêre locûm Prætoria habentes
Præfecti *e*, quorum fuerat tam lata potestas,
Ut leges possent inducere Principis instar,
Ut nec ab illorum sede appellare liceret.

a) *d. Nov.71.* b) *Nov. 115. § illo. l. præcipimus. C. l. fin. §. pen. C. de assess.* c) *l. fin. C. ut dig. ord. l.1. C. de off. mag. vig.* d) *l.2. §. post deinde. de Orig. Iur.* e) *l. unic. de off. præf. præt.*

Spectabiles.

Tertius inde gradus Spectabilis *a* esse probatur,
Quo fulgent vigilum Præfectus, Prætor & urbis,
Proconsulque, timet cujus provincia falces.

a) *l.3. de off præf. vig. Novell. 115. c. similique modo. l.1. & final. de off. proc. &c.*

Clarissimi.

Cunctorum extremus graduum Clarissimus *a* extat,
Hunc omnis retinet Præses *b*, Proconsulis, atque
Legatus *c*, Doctorque legens *d*, & quisque Senator *e*.

Nam superillustrem *f* constet licet esse Senatum,
Ordo Senatorem tantum clarissimus *g* ornat
Nonnunquam & Prætor clarissimus ipse vocatur.

a) *l.fin.§.viri quoque.C.ad l.Iul.de repub.* b) *§ fin.de prea.ff.* c) *l.Divi.de tut.dat.* d) *l.fœmina.de Senat.* e) *l.ius Senat.C.de sent.lib.12.* f) *l.2.§.fin. C. de his qui ven. at.* g) *l.1.si advers. cred.*

Egregij.

Nonnulli voluêre gradum superaddere quintum.
Unde Magistratus quisque infimus haurit honorem,
Egregiusque *a* potest dici defensor & urbis.
Subjectæ, imperioque carentis, municipiumque
Quatuor *b* Imperium primi, mistumque, merumque
Exercere gradus possunt, verùm ultimus omni
Imperio *c* vacat & jurisdictionis honore,
Contentus solo, privata *d* negotia curat.

a) *gloss.in Nov.71. Barth.in l.1.de off.eius cui mand.est iurisd.* b) *l.societas.§ qui universas de off.præs.Barth.in d.l.1.* c) *l.imperium.ibi Barth.de iurisd.* d) *Novell.15.c.3.verb.& iudicare. & c.6.vers.audient.*

Quibus ex caussis milit. fori præscript.uti non poss. tit. 25.const.unic.

Ubi milites sortiuntur forum?

Apud judices militares tot.tit. de officio militar. judicum, hoc est, magistros militiæ, qui sub præfectis prætoris rei militari præsunt. l. 4. & 5.J. de offic.magist.militum.Vel denique ipsum prætorio præfectum l.2. s. t.5.

Quibus casibus non utuntur milites suo foro?

1. Si conveniantur ex causa debitorum, aut munerum publicorum, agent apud præsidem provinciæ, vel quod curiæ aut cohorti, aut alij corpori obnoxij esse, vel per superexactionem, aut concussionem aliquid abstulisse videantur. l. 1. & 2. s.23.

2. Item, si prædia aliena conduxerint. l.1.J.de re milit.

3. Item, si negotientur in provincijs. l. unic.h.t.

4. *Si privilegio suo renunciaverint. l. penultim. ubi Alciatus. ƺ. de pactis.*

Vltimò, si in provincijs res suas componant, & suis studeant commodis sine beneficio commeatus. His casibus scholares fori sui praescriptionem non habent.

Quos hîc intelligis militantes?

Non armatos milites, aut tribunos numerorum, qui privilegio sui fori semper uti possunt, & ab alio judice revocare litem ad magistrum militum. d. l. 2. sed scholares hic, (nam & scholae sunt militum, in quibus scholares, id est, tyrones ad bellica opera exercentur,) qui sunt magistro officiorum velut agentes in rebus, qui & magisteriani dicuntur, aut domestici protectores. Quidam tamen, ob causam putant, hoc ad omnes indistinctè pertinere milites.

Qua de causa?

Quia non merentur privilegia militiae, qui non hae, sed alijs communes vitae negotijs exercentur. §. 1. & 2. Inst. de mil. test. Neq; tum ut milites, sed ut pagani respectu talium occupationum conveniuntur. v. l. militum 6. & l. 9. de procur. Id etiam in similibus valet, ut studiosis nomine participibus, minoribus & officij expertibus. Praescriptio his intelligitur, quam Rhetores vocant translationem. Vt cùm reus ostendat se coram alio judice, vel cùm alio loco & tempore esse agendum. l. penult. & ult. ƺ. de except. Et propriè hoc de exceptione, ut declinatoria & dilatoria accipiendum.

Vbi causae fiscales, tit. 26. const. II.

Quod est forum competens causarum Fiscalium?

Hae agendae sunt apud procuratorem fisci seu rationalem. l. 2. & 5. h. t. ubi & de bonis fisco debitis. d. l. 2. de contractibus cum fisco initis. l. 4. de colonis dominicis & patrimonialibus. l. 7.

Ubi rationales, & qui serviunt exactioni chartisq; publicorum vectigalium?

In civilibus coram procuratore causam dicunt. l. penultim. h. t. id est, de ratiocinijs: in Criminalibus non item, etiamsi ob delictum poena fisco

na fisco inferri debeat. l.3. sed de his coram præside, aut alio judice ordinario respondent. l.1. & 8. Procurator enim cùm pecuniarijs causis sit præpositus. l.1. §. de off. procur. Cæs. atq; ita limitatam habeat jurisdictionem. d.l.§. quam jus dicere non licet. l. ult. de jurisd.

Quæ sunt causæ fiscales?

In quibus agitur de bonis fisco delatis, vel de pœna pecuniaria fisco inferenda, vel de eo, quod fisco debetur ex contractu. v.l.4.h.t. Atq; hæ causæ disceptantur apud Cæsaris procuratorem, qui judicat inter Cæsarem & privatos.

Quem procuratorem Cæsaris dicis?

Qui partim ærarium populi quod posteà fuit principis fiscus, partim patrimonium ejus privatum curaret, Si promiscuè procuratores & rationales vocantur. l.si ad fiscum. h.t.

Estne aliqua inter procuratores & rationales differentia?

Est, qui fisco præsunt, & in provincias mittuntur, propriè dicuntur procuratores Cæsaris vel Reipubl. Qui privatarum rerum curam gerunt, rationales dicuntur comites sacri patrimonij, palatini, dispensatores, curatores Cæsarum.

Quæ potestas horum procuratorum?

Notionem habent, atq; imperio destituuntur. Vnde jus deportandi, pœnæ constituendæ. l.fin.ff.de procur. mulctæ dicendæ.§. de mod. mul. l.2. restituendi in integrum non habent. l.2.§. si advers. fisc.

Quæ sunt causæ divinæ domus?

Quæ pertinent ad prædia Tamiaca, quæ erant in Cappadocia sub dispositione & cura præpositi sacri cubiculi, & comitis domorum.

Quid accipis per prædia tamiaca?

Fundos, qui dispensatori publicos præstabant annuos fructus vectigales, quibus ille posteà in domo Imperat. dispensabat alimenta: nam Græcè ταμίας dispensatorem & promum condum significat.

Quando liceat unicuiq; sine iud. vend. tit. 27. const. 2.

Quæ

Quæ Continuatio?

Superius hujus libri tit. 5. tradebatur, nemini sibiipsi jus dicere licere, vel in sua causa judicare, sed adeundum judicem esse: & quinam sit judex competens, superioribus ostendimus titulis, id aliquando non obtinere nec servari, hoc præsenti dicetur titulo, idq; extra regulam & judicium.

Quando igitur licet se, vel publicam devotionem vindicare?

Quando necessitas durissimum rerum gerendarum telum, quæ nullam habet legem, & facit licitum, quod aliàs non foret licitum. c. necessitas. X. de R. I. & idipsum imperat & impetrat, ut in casu necessariæ & suæ & Reipubl. defensionis licet vindicare se, publicámq; devotionem vindicare, & publicum hostem ulcisci, & aggressorem. l. 1. & 2. h. t.

Quid igitur sibi volunt ista verba se vel publicam devotionem vindicare?

Privatam defensionem cuiq; suæ tutandæ publicæq; salutis causa permissa, qua certo modo, qui legibus definitus est, injustam vim reprimere licet.

Describe illam defensionem?

Eam sic definit Salomonius, ut sit instantis offensionis, inculpata propulsatio in l. 3. ff. de justitia & jure, vel sit jus à natura concessum se vel alios, atq; etiam Remp. cõtra vim, ac injuriam moderatè tuendi. l. 1. J. v. de vi. & l. scientiam. §. 4. ff. ad l. Aquil. Adeò ut in hac defensione luceat fortitudo planè bellica, quæ propugnet justitiam, suscipiátque labores & pericula pro defensione Ecclesiæ, Patriæ, Honestæ disciplinæ, vitæ & corporis sui, conjugum, liberorum, parentum & bonorum.

OBJECT. Objecerit quis illud rescriptum Honorii & Theodosii, quo cavetur disertè nullum lædendum à privato, etiamsi sceleribus sit implicitus: nam idcircò judiciorum vigor, jurísque publici tutela videtur in medio constituta, ne quisque sibi ipsi permittat ultionem

nem l.14.§.de judæis.& l.non est singulis, ff. de reg.jur.

Respondendum in his speciebus factorum, quæ hic exprimuntur, quemlibet esse quasi magistratum, & suo quodammodo uti jure, ut quemadmodum magistratus quod Reipub.causa, & communis salutis secundum ll. & bonos mores faciat ad vindictam sceleratorum, & publicam utilitatem, & tranquillitatem respiciens, etiamsi videatur ad alicujus contumeliam & injuriam (quæ tamen nulla est imputet sibi flagitiosus) vergere non tenetur. l. quod Reipub.33.ff de injurijs. juris enim executio nullam habet injuriam. l. 13. §. 1. ff eod. Cæterùm ut hæc disputatio illustrior fiat, utrinq; & à parte defendentis, & à parte occisi sive repulsi, quædam observanda sunt.

Quænam à parte defendentis?

Primum jus naturæ. Unde Florentinus, ut vim atq; injuriam propulsemus. nam jure hoc evenit, ut quod quisq; ob tutelam sui corporis fecerit, jure fecisse existimetur, & cùm inter nos pugnationem quandam non constituit, consequens est hominem homini nefas esse. l. 3. ff. de justitia & jure. Quò respexit Cicero, & hæc, judices, non scripta sed nata lex est, quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex ipsa natura arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus, ut si vita nostra in insidias, in vim, in tela hostium incidisset aut latronum, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis: silent enim inter arma leges.

Quid dixerit quis, nonne & occidere jure naturæ prohibitum est?

Quidni, verùm respondendum est quosdam gradus esse principiorum, & conclusionum moralium, in quibus cum usu venit, ut sibi invicem obstent, inferior lex cedat superiori necesse est. Verbi gratia: Lex naturalis est, Non occides. *Altera lex naturalis est,* Defende tuam tuorúmque vitam. *Si igitur grassator, latro, obsessor viarum te prætereuntem te invadat, non valebit prior illa lex tanquam inferior, sed cedet huic, quæ defensionem præcipit, sed cui ipsa lex inest, coq; impunè occidi talis latro poterit. Lex enim præcipit,* Non occides: *etiam tuam ipsius vitam vult servari, non modò alienam. deinde cùm lex defensionis universalior sit, & momentosior (tuetur enim totam societatem) alteri illi cedere debet: quæ sic accipienda est,* Non occides, *scilicet insontem & immerentem, neq; privatâ vindicta cupiditate.*

sed

sed legis authoritate. Hæc VVesenbecius. Unde Chaius Nam adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere. l.3. in princ. ad l. Aquiliam. Secundò jus civile, Sic Paulus: Cùm ait: Qui cùm aliter se tueri non possunt, damni culpam dederint innoxij sunt, vim enim vi defendere, omnes leges, omniaq́ jura permittunt, at illum solum qui vim infert, ferire conceditur. Et hoc si tuendi duntaxat, non etiam ulciscendi causa factum sit. l. Scientiam. 45. §. 4. ff. ad l. Aquiliam. Debet quis vim illatam cum moderatione inculpatæ tutelæ propulsare. l. 1. ℔. unde vi.

Sed quid dicis ad illud, quod impp. rescripserunt iniquum videri, aliquem suum jus & suam propriam causam exequi. Supra titulo 5?

Respondendum, hoc casu defensionis interposito, legem privato gladium tradere, quoniam illo necessitatis puncto & momento, auxilium magistratus nec implorare, nec habere potest, & alioqui lex divina & humana sontes naturas vult destitui, ut innocentes & insontes conserventur, quod enim lege permittente fit, id nullam meretur pœnam, l. Gracchus. 4. ℔. de adulterijs.

Sed licetne publicum patriæ hostem populatorem vel proditorem occidere?

De hac quæstione excutiatur sententia Ciceronis quæ ita habet: Sed cùm omnia animo rationeq́ lustraveris, omnium societatum nulla est gratior, nulla charior, quàm ea quæ cum Repub. est unicuiq́ nostrum. Chari sunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares. Sed omnes omnium charitates patria una complexa, pro quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? Quo est detestabilior istorum immanitas, qui lacerarunt omni scelere patriam, & in ea funditus delenda occupati et sunt & fuerunt. Quid si pater fana expilet, & cuniculos agat in ærarium, indicabitne Magistratibus filius? nefas id quidem est: quin etiam defendat patrem si arguatur. Igitur non patria præstabit omnibus officijs? imò verò: sed ipsi patriæ conducet pios habere cives in parentes. Quod si tyrannidem occupare, si patriā prodere conabitur pater, silebitne filius? imò verò obsecrabit patrem ne id faciat, si nihil proficiet, accusabit, minabitur etiam: Ad extremum si ad perniciem patriæ res spectabit, patriæ salutem anteponet saluti patris. Cic. lib. 3. Offic. Idem alibi: In corpore (inquit) si quod est hujusmodi, quod reliquo corpori noceat, uri ac secari patimur, ut membro-

rum

rum aliquot potiùs quàm totum corpus intereat: sic in Repub. ut totum sit salvum quidquid pestiferum est amputemus. Vnde & rectè dicitur: Bonum publicum est praeferendum etiam privatis commodis. l.3. ⁊.de princip. Item illud Tertulliani Apolinaris: In reos majestatis & publicos hostes omnis homo miles est.

De inofficioso testamento, tit. 28.

Quæ Continuatio?

Hactenus Imp. de judicijs egit, consequens est ut actiones proponantur, quibus jus nostrum in judicio persequimur, tam civiles, de quibus usque ad lib. 9. quàm criminales, quae explicantur lib. 9. & fiscales, qui tractantur deinceps lib. 10. 11. & 12.

Quid sunt Civiles actiones?

Quae agunt de re pecuniaria, & ad commodum privatum referuntur, sive ex delicto, sive ex contractu descendant, opponuntúrque criminalibus actionibus. v. l. unic. ⁊. quando civil. actio. crimin. praejud.

Quotuplices sunt civiles actiones?

Aut sunt in rem, & dicuntur petitiones. l. actionum. 25. & l. actionis. 37. ff. de oblig. & act. aut sunt in personam actiones sive conditiones. l. actio. 28. ff. de ll. De realibus utpote potentioribus primo loco agendum est, & quidem universalibus, juxta illud: Plus cautionis est in re quàm in persona. l. Plus. 25. ff. de reg. jur.

Quotuplices sunt reales?

Hae aut sunt universales, aut singulares, & speciales. l. 1. ff. de rei vendic. l. in poenali. 73. eod.

Enumera universales?

Non est actio, sed causa actionis. Petitio haereditatis, quibus adduntur inofficiosae donationes, & inofficiosae dotes.

Quid est inofficiosum testamentum?

Est in quo liberi vel parentes vel fratres germani exhaeredati sunt immeritò, vel praeteriti, vel ita instituti ut pro exhaeredatis habeantur. Reliqui cognati melius facerent (ait Vlp.) si se sumptibus immanibus non vexarent, cùm obtinere rem non haberent, l. 1. ff. eod. Lex enim non vult in infinitum necessitatem instituendi propagari, testan-

standiq; libertatem restringi, præsertim cum collateralibus non tam debeatur hæreditas, quàm descendentibus & ascendentibus. De quo ita Papin. Nam etsi parentibus non debetur hæreditas filiorum propter votum parentum, & naturalem erga filios charitatem, turbato tamen ordine mortalitatis non minus parentibus, quàm liberis piè relinquetur. l. nam etsi. 15. ff. h. t. et est elegans text. in l. scripto. ff. si tabulæ test. nulla extab.

Quid est inofficiosum dicere testamentum?

Est (Marcello autore) allegare, quare exhæredari vel præteriri non debuerit: verbi gratia, de inofficioso vis illa est docere immerentem se, ideò etiam indignè præteritum, vel etiam exhæredatione submotum. l. 5. §. 1. Quod plerunq; accidit, cùm parentes falsò instimulati liberos suos vel exhæredant vel prætereunt. l. 3. Nec (ut Caius lib. sing. ad heg. & Polytiam respondit) consentiendum est parentibus, qui injuriam contra liberos inducunt. quia plerunq; faciunt malignè citra suum sanguinem indicium inferentes, novercalibus delinimentis instigati, instigationibúsque corrupti, l. 4.

Quid est querela inofficiosi?

Est imploratio officij judicis nobilis, quâ quis accusat scriptum testamentum: quia se in illo contra officium pietatis, & sine justa causa exhæredatum dicit, petitq; illud ut injustum rescindi & ad causam intestati reduci: licet hodie, causa institutionis tantùm infirmata, reliqua salva permaneat. Auth. ex causa. C. de liber. præter. Hoc colore (ait Martianus) quasi non sanæ mentis fuerint, cùm testamentum ordinarent. & hoc dicitur, non quod verè furiosus fuerit, & demens testatus sit: sed rectè quidem fecerit testamentum, verùm non ex officio pietatis. l. 2. eod.

Potéstne adjungi querelæ de inofficioso, petitio hæreditatis?

Quidni, ut scilicet rescisso testamento, petat se hæredem declarari, sibiq; adjudicari hæreditatem, quod olim quoq; usitatum fuisse videtur. l. 8. §. quoniam. in verb. Non totam debere hæreditatem. *ff. eod. Cùm dicat IC. in l. Papinianus. §. ult. Hæredem eum fore in quem pronunciatum est. Frustrà enim fit per plura, quod potest uno & compendio expediri.*

Quibus competit hæc querela?

Liberis utriusq; sexus naturalibus & legitimis: item legitimis tan-

tùm. Non autem naturalibus & spuriis, nisi in testamento matris: item ascendentibus. Nam eadem est juris dispositio in correlativis, juxta l. 15. h. t. excipe tamen bona Castrensia & quasi castrensia. l. ult. h. t.

Adversus quos datur?

Contra hæredes scriptos, nuncupatos, fideicommissarios. l. Papin. §. si imper. ff. h. t.

Quando competit?

Adita demùm hæreditate. quia contra hæredem datur.

Estne hodie locus querelæ de inofficioso?

Id hinc colligi poterit. Patri intestato succedit filius, testato pro portione scripta, quæ si minor legitima est, condictione ex l. 3. h. t. ad supplementum utitur. Si præteritus est, testamentum ipso jure nullum dicere potest: adhæc bonorum possessionem contra tabulas, justa exhæredationis causa ab hærede probata patris testamentum non impugnat, non probata adversus hæredem scriptum anteà non aget, quàm hac querela instituta.

Quæ est igitur legitima?

Portio bonorum hæreditariorum, quam pater tenetur & debet relinquere liberis non ingratis, idq; titulo institutionis, quæ legitima hodie pro numero liberorum distingui solet, juxta usitatum distichon:

Quatuor, aut infra dant natis jura trientem,
Pluribus, aut supra dant natis jura semissem.

Auth. novissima. h. t.

Excluditúrne & adhuc alia ratione querela?

Omninò. Veluti, si quoquo modo relictum à testatore agnoverit ll. 10. 12. 22. aut aliter voluntatem ejus approbaverit. l. 8. §. si cōditioni aut querela renunciaverit. ex l. penul. C. de pactis. l. 17. aut per quinquennium post aditam hæreditatem conticuerit. l. si quis filius, 34. in fin. h. t. Quanquam condictio qua ad supplementum agitur perpetuò, id est, 30 annis, quemadmodum reliquæ actiones personales duret, atque hæc est communis opinio. Dd. in d. l. si quis filium.

De

De inofficiosis donationibus, tit. 29. const. 9.

Quæ Continuatio?

Exemplo querelæ inofficiosi testamenti, comparata est querela inofficiosæ donationis, factæ à parentibus in fraudem liberorum, de qua ita Imperator Alexander Iuliano Claudiano præfecto urbi rescripsit: Si liquet tibi (ait) Iuliane christianissime, aviam intervertendæ inofficiosi querelæ patrimonium suum donationibus in nepotem factis, exinanivisse, ratio deposcit id, quod donatum est, pro dimidia parte revocari. l. Titia 87. §. Imperator. 3. ff. de leg. 2. Ratio est, ut quod alicui unâ viâ interdicatur, aliâ non debeat admitti. de R. I. in 6.

Quid est donatio inofficiosa?

Est immoderata, immodica, immensa, enormis, & profusa liberalitas, qua liberis portio debita aufertur, vel minuitur, ut donatio totius patrimonij, vel donatio dextantis, vel deuncis. Nam donato dextante vel deunce, quod superest, non sufficit debitæ portioni, quo genere deluditur quidem intentatio inofficiosi testamenti, sed sufficit querela inofficiosæ donationis.

Quæ est querela sive actio inofficiosæ donationis?

Est civilis ex Constitutionibus, revocatoria, subsidiaria, realis, aut saltem mixta, similis querelæ inofficiosi, temporalis, accusans immensam, ideóque inofficiosam donationem, & petens portionem bonorum debitam.

Estne ergo aliqua differentia inter querelam inofficiosi testamenti, & inofficiosæ donationis?

Omninò, quia querela inofficiosi testamenti, totum rescindit testamentum, sive extranei, sive alij liberi instituti sint: querela inofficiosæ donationis tantùm id revocat, quo minuitur portio liberis debita, juxta Novell. 95. Sed hic obiter aliquid in parentibus observandum.

Quodnam illud?

Quòd ab illis fiant donationes vel post susceptos liberos, vel ante susceptos liberos, priore casu factæ donationes vel extraneo, vel uni liberorum defuncti, non rescinduntur nisi pro modo eorum Falcidiæ tantùm. Novell. 18. Itaq; liberi agentes legitimæ suæ causam spectantes patris tempore donationis. Posteriore casu revocatur donatio secundum. l. 8. ℑ. de revocan. donat.

Non idem in parentibus obtinet?

Quidni? l. 4. h. t & ab intestato. Quoniam eadem ratio, idem jus exigit. l. illud. ff. ad l. Aquiliam. & l. nam etsi. 15. de inofficioso testamento.

Quid si fortè non fecerit interuertendæ querelæ inofficiosi causa?

Æquè datur, etiamsi ille animus non fuerit donatori. Nam consilium quidem absque. l. 5. h. t. eventu non sufficit, sed eventus absq; consilio sufficit. l. pen.

Quamdiu durat?

Non competit post quinquennium. l. ult. nec illis, qui parentis judicium amplexi sunt, nec illis, quibus alio modo consultum erit. l. 2. & 4. h. t.

De inofficios. dotibus, t. 30. con. un.

Quæ Continuatio?

Eadem querela datur adversus immoderatas dotes, quæ inter donationes numerantur. l. cum multa. ℑ. de don. ante nupt. & ut illic datur querela propter bona immensis donationibus exhausta: ita hic ejus querelæ tribuitur copia (legibus leges concordare promptum) ut conquerentibus de immodicis dotibus, debita emolumenta conferantur. l. unica. h. t.

OBI. Objecerit quis hunc tit. non æquè atq; illum superiorem esse lucrativum.

Verum hoc quidem, datur enim dos ad onera matrimonij sustinenda. l. pro oneribus. ℑ. de jur. dotium. & l. promiss. 19. ff. de act. & obl. Sed hoc respectu accipientis mariti, non dantis; qui in dotem etiam pro-

promissam omnia bona effundere non cogitur invitus. Ne sibimet auferat liberam testandi facultatem, liberis legitimam. l. mulier bona. 73. ff. de jure dotium. & l. 4. J. eod. quæ propterea tanquam inofficiosa repeti potest, quanquam hoc loco distinguendum inter mulierem quæ repetijt nuptias habens liberos, & inter eam quæ sine liberis ad secunda se contulit vota, aut quod perinde est in hoc casu, quæ jam primùm nupsit.

Quomodo?

Nam mulier, quæ iterum nubit susceptis liberis ex priori matrimonio, jure non potest plus secundo marito erogare dotis nomine vel alio, quàm uni ex istis. Quoniam ipso jure muniti sunt liberi. l. hac edictali. J. de secund. nup. Verùm de ea hac lex non accipitur.

De qua tùm?

De ea, quæ nunc primùm nupsit, id est, vel nullos vel tantùm naturales habens liberos, quibus certum est maternorum bonorum deberi Falcidiam non minus, quàm justis. l. si suspecta. § ff. de inoff.

De petitione hæreditatis. t. 31. c. 12.

Quæ Continuatio?

Proxima istis superioribus querelis est petitio hæreditatis, id est, vendicatio, nec hoc (authore Cujatio) caret ratione, quod priusquam proponeret generalem petitionem hæreditatis, proposuerit specialem de inofficioso testamento, nec idem, (ut idem ait) jus est utriusque.

Quomodo igitur differunt?

Petitio hæreditatis datur adversus possessorem juris, vel rei hæreditariæ, nec hæredem justum, sive sciat se non esse hæredem, sive falsò existimet: de inofficioso testamento datur adversus verum & legitimum hæredem, qui ex testamento justo hæreditatem adit, & adversus filium, qui accepit bonorum possessionem contra tabulas. l. filium. de bonor. possess. con. tab. Petitio hæreditatis est generalis patrimonij sive rei vendicatio. Quapropter de inofficioso testamento, filij nomine non aget pater, invito filio, cujus injuria & indignatio est. l. Papinian. in princ. ff. de inoff. Qui ex alia causa ageret, peteret hæreditatem etiam invito filio. Nam querela de inofficioso non tam, rem persequitur, quàm etiam vindictam injuriæ & exhæredationis.

& agit causam doloris, quod etiam querelæ nomen demonstrat. Præterea querela inofficiosi tacita dissimulatione, aboletur sicut actio injuriarum. l. 1. §. de in integ. rest. & silentio quinquennij. l. si quis filium. in fin. §. de inoff. non etiam petitio hæreditatis. l. 7. h. t. & l. penul.] in quibus causis. quæ & in hæreditatem actio dicitur l. pater. ff. de cap. & postr. rev.

Quid est hæreditas?

Nihil aliud, secundum Iulianum, quàm successio in universum jus, quod defunctus habuit, tempore mortis. l. hæreditas. l. hæredem. ff. de Reg. Iur.

Quid est petitio hæreditatis?

Est actio civilis, universalis, in rem, petitorij judicij, bonæ fidei, qua quis petit hæredem se declarari, hæreditatémque jure ad se pertinentem ab eo, qui pro hærede, vel possessore possidet sibi restitui.

Quot sunt hujus actionis species?

Duæ præcipuæ, prima Directa dicitur, quæ datur contra eum qui pro hærede possidet: Altera utilis, quæ competit adversus eum, qui à possessore rem habet: item alia dicitur civilis, quæ aut totam hæreditatem aut partem petit: Alia prætoria, quæ bonorum possessoribus indulgetur, alia fideicommissaria.

Quibus competit?

Illis omnibus qui se hæredes esse intendunt, adeò ut etiam filio contra patrem, de successione materna detur. l. fin. h. t. Attamen hîc ordo aliquis servandus est.

Quisnam?

Vt primùm agant scripti hæredes: deinde testamento vi labefactata, & ad causam intestati redacta, illi, qui ab intestato veniunt, l. legitimam. §. eod. Quanquam potest quis omnem hæreditarij juris causam in judicium deducere, expresso eo, utrum ex testamento agant, an intestato. Gloss. & Dd. in l. ex sextante. verb. de jure. ff. de except. rei ind. Existimant etiam, non incommodè alternativè posse agi.

Quomodo?

Veluti peto ex testamento, si quod factum est: & ut de hoc constet, peto illud exhiberi, & possessorem ad jusjurandum cogi, utrum aliquod testamentum in bonis hæreditarijs repererit, an non: sin autem nullum omninò factum est, peto eandem hæreditatem ab intestato.

Sed

Sed quomodo istâ actione opus est, cùm ex lege ipso jure fiant hæredes simul atque adierint hæreditatem, omne jus defuncti consequuntur.

Verum est, atq; adeò illi ipsi vacantem hæreditatem occupare possunt, neq; ab alio possessam. Cæterùm si alius quispiam eam pro hærede vel possessore teneat, propriâ authoritate eum expellere prohibemur: eoq; legitima hac actione opus est, quâ sibi eam petant restitui, cùm tantùm dominium quod est juris, non etiam possessio quæ plurimum facti habeat, aditâ hæreditate ipso jure transeat.

Adversus quem datur hæc actio?

Adversus eum qui pro Hærede vel Possessore possidet. l. regulariter. Emptorem, cùm non extat venditor, vel cùm exiguo pretio vendita sit, l. etiamsi. §. idem erit. § planè. eod. Mulierem alienam hæreditatem in dotem dantem, & contra Maritum utiliter, qui accepit. d. l. § apud Marcellum. Restituentem dolo malo, id est, si sciat se ad restitutionem non teneri. Eum, qui dolo desiit possidere et pro possessore habetur. l. sed etsi. §. perinde. ff. eod. 5. Possidentem nomine absentis, alioquin velut prædo suo nomine conveniendus est. d. l. etiamsi. §. si quis. Nam dolo malo facit, qui sciens se non possidere, suscipit litem ab ignorante. l. qui se liti. ff. eod.

Quid venit in hanc actionem?

Restitutio universarum rerum hæreditariarum corporalium & incorporalium, atq; etiam earum, quarum periculum ad hæreditatem pertinet, ut commodatarum & depositarum. l. item videndum. §. nunc videndum. cum l. sequenti. & eorum quæ hæreditatis nomine comparata sunt. l. item veniunt in princ. Breviter augmenta & diminutiones omnes, quia hæres ejusdem potestatis & juris est cum defuncto. l. hæredem. de R I. c. qui sentit. de R. I. in 6. Verùm in accessionibus, multum interest inter bonæ fidei & malæ fidei possessorem.

Quomodo?

Nam prædo tenetur non tantùm ad fructus perceptos, sed ad eos, qui percipi potuerunt. l. sed etsi. §. quod autem. eod. & de pretiis rerum deperditarum vel diminutarum. l. si possessor. § ult. cum l. seq. eod. At bonæ fidei possessor eatenus duntaxat tenetur, quatenus est factus locupletior. d. l. sed etsi. si quid dilapidaverit, quia putat se sua re abuti.

nem l.14.§.de judæis.& l.non est singulis, ff. de reg.jur.

Respondendum in his speciebus factorum, quæ hic exprimuntur, quemlibet esse quasi magistratum, & suo quodammodo uti jure, ut quemadmodum magistratus quod Reipub.causa, & communis salutis secundum ll. & bonos mores faciat ad vindictam sceleratorum, & publicam utilitatem, & tranquillitatem respiciens, etiamsi videatur ad alicujus contumeliam & injuriam (quæ tamen nulla est imputet sibi flagitiosus) vergere non tenetur. l. quod Reipub.33.ff de injurijs. juris enim executio nullam habet injuriam. l. 13. §. 1. ff eod. Cæterùm ut hæc disputatio illustrior fiat, utrinq; & à parte defendentis, & à parte occisi sive repulsi, quædam observanda sunt.

Quænam à parte defendentis?

Primum jus naturæ. Unde Florentinus, ut vim atq; injuriam propulsemus. nam jure hoc evenit, ut quod quisq; ob tutelam sui corporis fecerit, jure fecisse existimetur, & cùm inter nos pugnationem quandam non constituit, consequens est hominem homini nefas esse. l. 3. ff. de justitia & jure. Quò respexit Cicero, & hæc, judices, non scripta sed nata lex est, quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex ipsa natura arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus: ut si vita nostra in insidias, in vim, in tela hostium incidisset aut latronum, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis: silent enim inter arma leges.

Quid dixerit quis, nonne & occidere jure naturæ prohibitum est?

Quidni, verùm respondendum est quosdam gradus esse principiorum, & conclusionum moralium, in quibus cum usu venit, ut sibi invicem obstent, inferior lex cedat superiori necesse est. Verbi gratia: Lex naturalis est, Non occides. *Altera lex naturalis est,* Defende tuam tuorúmque vitam. *Si igitur grassator, latro, obsessor viarum te prætereuntem te invadat, non valebit prior illa lex tanquam inferior, sed cedet huic, quæ defensionem præcipit, sed cui ipsa lex inest, eoq; impunè occidi talis latro poterit. Lex enim præcipit,* Non occides: *etiam tuam ipsius vitam vult servari, non modò alienam. deinde cùm lex defensionis universalior sit, & momentosior (tuetur enim totam societatem) alteri illi cedere debet: quæ sic accipienda est,* Non occides, *scilicet insontem & immerentem, neq; privatâ vindictæ cupiditate. sed*

sed legis authoritate. Hæc VVesenbecius. Unde Chaius Nam adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere. l.3. in princ. ad l. Aquiliam. Secundò jus civile, Sic Paulus: Cùm ait: Qui cùm aliter se tueri non possunt, damni culpam dederint innoxij sunt, vim enim vi defendere, omnes leges, omniaq; jura permittunt, at illum solum qui vim infert, ferire conceditur. Et hoc si tuendi duntaxat, non etiam ulciscendi causa factum sit. l. Scientiam. 45. §. 4. ff. ad l. Aquiliam. Debet quis vim illatam cum moderatione inculpatæ tutelæ propulsare. l. 1. ff. unde vi.

Sed quid dicis ad illud, quod impp. rescripserunt iniquum videri, aliquem suum jus & suam propriam causam exequi. Supra titulo 5?

Respondendum, hoc casu defensionis interposito, legem privato gladium tradere, quoniam illo necessitatis puncto & momento, auxilium magistratus nec implorare, nec habere potest, & alioqui lex divina & humana sontes naturas vult destitui, ut innocentes & insontes conserventur, quod enim lege permittente fit, id nullam meretur pœnam, l. Gracchus. 4. ff. de adulterijs.

Sed licetne publicum patriæ hostem populatorem vel proditorem occidere?

De hac quæstione excutiatur sententia Ciceronis quæ ita habet: Sed cùm omnia animo ratione q; lustraveris, omnium societatum nulla est gratior, nulla charior, quàm ea quæ cum Repub. est unicuiq; nostrum. Chari sunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares. Sed omnes omnium charitates patria una complexa, pro quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? Quo est detestabilior istorum immanitas, qui lacerarunt omni scelere patriam, & in ea funditus delenda occupati et sunt & fuerunt. Quid si pater fana expilet, & cuniculos agat in ærarium, indicabitne Magistratibus filius? nefas id quidem est: quin etiam defendat patrem si arguatur. Igitur non patria præstabit omnibus officijs? imò verò: sed ipsi patriæ conducet pios habere cives in parentes. Quod si tyrannidem occupare, si patriā prodere conabitur pater, silebitne filius? imò verò obsecrabit patrem ne id faciat, si nihil proficiet, accusabit, minabitur etiam: Ad extremum si ad perniciem patriæ res spectabit, patriæ salutem anteponet saluti patris. Cic. lib. 3. Offic. Idem alibi: In corpore (inquit) si quod est hujusmodi, quod reliquo corpori noceat, uri ac secari patimur, ut membro-

rum aliquot potiùs quàm totum corpus intereat: sic in Repub. ut totum sit salvum quidquid pestiferum est amputemus. Vnde & rectè dicitur: Bonum publicum est præferendum etiam privatis commodis. l. 3. ℸ. de princip. Item illud Tertulliani Apolinaris: In reos majestatis & publicos hostes omnis homo miles est.

De inofficioso testamento, tit. 28.

Quæ Continuatio?

Hactenus Imp. de judicijs egit, consequens est ut actiones proponantur, quibus jus nostrum in judicio persequimur, tam civiles, de quibus usque ad lib. 9. quàm criminales, quæ explicantur lib. 9. & fiscales, qui tractantur deinceps lib. 10. 11. & 12.

Quid sunt Civiles actiones?

Quæ agunt de re pecuniaria, & ad commodum privatum referuntur, sive ex delicto, sive ex contractu descendant, opponunturque criminalibus actionibus. v. l. unic. ℸ. quando civil. actio. crimin. præjud.

Quotuplices sunt civiles actiones?

Aut sunt in rem, & dicuntur petitiones. l. actionum. 25. & l. actionis. 37. ff. de oblig. & act. aut sunt in personam actiones sive conditiones. l. actio. 28. ff. de ll. De realibus utpote potentioribus primo loco agendum est, & quidem universalibus, juxta illud: Plus cautionis est in re quàm in persona. l. Plus. 25. ff. de reg. jur.

Quotuplices sunt reales?

Hæ aut sunt universales, aut singulares, & speciales. l. 1. ff. de rei vendic. l. in pœnali. 73. eod.

Enumera universales?

Non est actio, sed causa actionis. Petitio hereditatis, quibus adduntur inofficiosæ donationes, & inofficiosæ dotes.

Quid est inofficiosum testamentum?

Est in quo liberi vel parentes vel fratres germani exheredati sunt immeritò, vel præteriti, vel ita instituti ut pro exheredatis habeantur. Reliqui cognati melius facerent (ait Vlp.) si se sumptibus immanibus non vexarent, cùm obtinere rem non haberent, l. 1. ff. eod. Lex enim non vult in infinitum necessitatem instituendi propagari, testan-

standiq; libertatem restringi, præsertim cum collateralibus non tam debeatur hæreditas, quàm descendentibus & ascendentibus. De quo ita Papin. Nam etsi parentibus non debetur hæreditas filiorum propter votum parentum, & naturalem erga filios charitatem, turbato tamen ordine mortalitatis non minus parentibus, quàm liberis piè relinquetur. l. nam et si. 15. ff. h. t. et est elegans text. in l. scripto. ff. si tabulæ test. nulla extab.

Quid est inofficiosum dicere testamentum?

Est (Marcello autore) allegare, quare exhæredari vel præteriri non debuerit: verbi gratia, de inofficioso vis illa est docere immerentem se, ideò etiam indignè præteritum, vel etiam exhæredatione submotum. l. 5. §. 1. Quod plerunq; accidit, cùm parentes falsò instimulati liberos suos vel exhæredant vel prætereunt. L. 3. Nec (ut Caius lib. sing. ad heg. & Polytiam respondit) consentiendum est parentibus, qui injuriam contra liberos inducunt. quia plerunq; faciunt malignè citra suum sanguinem indicium inferentes, novercalibus delinimentis instigati, instigationibúsque corrupti, l. 4.

Quid est querela inofficiosi?

Est imploratio officij judicis nobilis, quâ quis accusat scriptum testamentum: quia se in illo contra officium pietatis, & sine justa causa exhæredatum dicit, petitq; illud ut injustum rescindi & ad causam intestati reduci: licet hodie, causa institutionis tantùm infirmata, reliqua salva permaneat. Auth. ex causa. C. de liber. præter. Hoc colore (ait Martianus) quasi non sanæ mentis fuerint, cùm testamentum ordinarent, & hoc dicitur, non quod verè furiosus fuerit, & demens testatus sit: sed rectè quidem fecerit testamentum, verùm non ex officio pietatis. l. 2. eod.

Potéstne adjungi querelæ de inofficioso, petitio hæreditatis?

Quidni, ut scilicet rescisso testamento, petat se hæredem declarari, sibiq; adjudicari hæreditatem, quod olim quoq; usitatum fuisse videtur. l. 8. §. quoniam. in verb. Non totam debere hæreditatem. *ff. eod. Cùm dicat IC. in l. Papinianus. §. ult. Hæredem eum fore in quem pronunciatum est. Frustrà enim fit per plura, quod potest uno & compendio expediri.*

Quibus competit hæc querela?

Liberis utriusq; sexus naturalibus & legitimis: item legitimis tan-

tùm. Non autem naturalibus & spurijs, nisi in testamento matris: item ascendentibus. Nam eadem est juris dispositio in correlativis, juxta l. 15. h. t. excipe tamen bona Castrensia & quasi castrensia. l. ult. h. t.

Adversus quos datur?

Contra hæredes scriptos, nuncupatos, fideicommissarios. l. Papin. §. si imper. ff. h. t.

Quando competit?

Adita demùm hæreditate. quia contra hæredem datur.

Estne hodie locus querelæ de inofficioso?

Id hinc colligi poterit. Patri intestato succedit filius, testato pro portione scripta, quæ si minor legitima est, condictione ex l. 5. h. t. ad supplementum utetur. Si præteritus est, testamentum ipso jure nullum dicere potest: adhæc bonorum possessionem contra tabulas. justa exhæredationis causa ab hærede probata patris testamentum non impugnat, non probata adversus hæredem scriptum anteà non aget, quàm hac querela instituta.

Quæ est igitur legitima?

Portio bonorum hæreditariorum, quam pater tenetur & debet relinquere liberis non ingratis, idq; titulo institutionis, quæ legitima hodie pro numero liberorum distingui solet, juxta usitatum distichon:

Quatuor, aut infra dant natis jura trientem,
Pluribus, aut supra dant natis jura semissem.

Auth. novissima. h. t.

Excluditúrne & adhuc alia ratione querela?

Omninò. Veluti, si quoquo modo relictum à testatore agnoverit ll. 10. 12. 22. aut aliter voluntatem ejus approbaverit. l. 8. §. si cōditioni aut querelæ renunciaverit. ex l. penul. C. de pactis. l. 17. aut per quinquennium post aditam hæreditatem conticuerit. l. si quis filium, 34. in fin. h. t. Quanquam condictio quâ ad supplementum agitur perpetuò, id est, 30 annis, quemadmodùm reliquæ actiones personales duret, atque hæc est communis opinio. Dd. in d. l. si quis filium.

De

De inofficiosis donationibus, tit. 29. const. 9.

Quæ Continuatio?

Exemplo querelæ inofficiosi testamenti, comparata est querela inofficiosæ donationis, factæ à parentibus in fraudem liberorum, de qua ita Imperator Alexander Iuliano Claudiano præfecto urbi rescripsit: Si liquet tibi (ait) Iuliane christianissime, aviam intervertendæ inofficiosi querelæ patrimonium suum donationibus in nepotem factis, exinanivisse, ratio deposcit id, quod donatum est, pro dimidia parte revocari. l. Titia 87. §. Imperator. 3. ff. de leg. 2. Ratio est, ut quod alicui unâ viâ interdicatur, aliâ non debeat admitti, de R. I. in 6.

Quid est donatio inofficiosa?

Est immoderata, immodica, immensa, enormis, & profusa liberalitas, qua liberis portio debita aufertur, vel minuitur, ut donatio totius patrimonij, vel donatio dextantis, vel deuncis. Nam donato dextante vel deunce, quod superest, non sufficit debitæ portioni, quo genere deluditur quidem intentatio inofficiosi testamenti, sed sufficit querela inofficiosæ donationis.

Quæ est querela sive actio inofficiosæ donationis?

Est civilis ex Constitutionibus, revocatoria, subsidiaria, realis, aut saltem mixta, similis querelæ inofficiosi, temporalis, accusans immensam, ideóque inofficiosam donationem, & petens portionem bonorum debitam.

Estne ergo aliqua differentia inter querelam inofficiosi testamenti, & inofficiosæ donationis?

Omninò, quia querela inofficiosi testamenti, totum rescindit testamentum, sive extranei, sive alij liberi instituti sint: querela inofficiosæ donationis tantùm id revocat, quo minuitur portio liberis debita, juxta Novell. 95. Sed hic obiter aliquid in parentibus observandum.

Quodnam illud?

Quòd ab illis fiant donationes vel post susceptos liberos, vel ante susceptos liberos, priore casu factæ donationes vel extraneo, vel uni liberorum defuncti, non rescinduntur nisi pro modo eorum Falcidiæ tantùm. Novell. 18. *Itaq; liberi agentes legitimæ suæ causam spectantes patris tempore donationis. Posteriore casu revocatur donatio secundum .l.8.* j. *de revocan. donat.*

Non idem in parentibus obtinet?

Quidni? l.4. h.t & ab intestato. Quoniam eadem ratio, idem jus exigit. l. illud. ff. ad l. Aquiliam. & l. nam etsi. 15. de inofficioso testamento.

Quid si fortè non fecerit interuertendæ querelæ inofficiosi causa?

Æquè datur, etiamsi ille animus non fuerit donatori. Nam consilium quidem absque. l.5. h.t. eventu non sufficit, sed eventus absq; consilio sufficit. l.pen.

Quamdiu durat?

Non competit post quinquennium. l. ult. nec illis, qui parentis judicium amplexi sunt, nec illis, quibus alio modo consultum erit. l. 2. & 4. h. t.

De inofficios. dotibus, t.30. con. un.

Quæ Continuatio?

Eadem querela datur adversus immoderatas dotes, quæ inter donationes numerantur. l. cum multa. j. *de don. ante nupt. & ut illic datur querela propter bona immensis donationibus exhausta: ita hic ejus querela tribuitur copia (legibus leges concordare promptum) ut conquerentibus de immodicis dotibus, debita emolumenta conferantur. l. unica. h. t.*

OBI. Objecerit quis hunc tit. non æquè atq; illum superiorem esse lucrativum.

Verum hoc quidem, datur enim dos ad onera matrimonij sustinenda. l. pro oneribus. j. *de jur. dotium. & l. promiss. 19. ff. de act. & obl. Sed hoc respectu accipientis mariti, non dantis; qui in dotem etiam pro-*

promissam omnia bona effundere non cogitur invitus. Ne sibimet auferat liberam testandi facultatem, liberis legitimam. l. mulier bona. 73. ff. de jure dotium. & l. 4. C. eod. quæ propterea tanquam inofficiosa repeti potest, quanquam hoc loco distinguendum inter mulierem quæ repetijt nuptias habens liberos, & inter eam quæ sine liberis ad secunda se contulit vota, aut quod perinde est in hoc casu, quæ jam primum nupsit.

Quomodo?

Nam mulier, quæ iterum nubit susceptis liberis ex priori matrimonio, jure non potest plus secundo marito erogare dotis nomine vel alio, quàm uni ex istis. Quoniam ipso jure muniti sunt liberi. l. hac edictali. C. de secund. nup. Verùm de ea hæc lex non accipitur.

De qua tùm?

De ea, quæ nunc primùm nupsit, id est, vel nullos vel tantùm naturales habens liberos, quibus certum est maternorum bonorum deberi Falcidiam non minus, quàm justis. l. si suspecta. § ff. de inoff.

De petitione hæreditatis. t. 31. c. 12.

Quæ Continuatio?

Proxima istis superioribus querelis est petitio hæreditatis, id est, vendicatio, nec hoc (authore Cujatio) caret ratione, quod priusquam proponeret generalem petitionem hæreditatis, proposuerit specialem de inofficioso testamento, nec idem, (ut idem ait) jus est utriusq;.

Quomodo igitur differunt?

Petitio hæreditatis datur adversus possessorem juris, vel rei hæreditariæ, nec hæredem justum, sive sciat se non esse hæredem, sive falsò existimet: de inofficioso testamento datur adversus verum & legitimum hæredem, qui ex testamento justo hæreditatem adit, & adversus filium, qui accepit bonorum possessionem contra tabulas. l. filium. de bonor. possess. con. tab. Petitio hæreditatis est generalis patrimonij sive rei vendicatio. Quapropter de inofficioso testamento, filij nomine non aget pater, invito filio, cujus injuria & indignatio est. l. Papinian. in princ. ff. de inoff. Qui ex alia causa ageret, peteret hæreditatem etiam invito filio. Nam querela de inofficioso non tam rem persequitur, quàm etiam vindictam injuriæ & exhæredationis.

Sed quomodo istâ actione opus est, cùm ex lege ipso jure fiant hæredes simul atque adierint hæreditatem, omne jus defuncti consequuntur.

Verum est, atq; adeò illi ipsi vacantem hæreditatem occupare possunt, neq; ab alio possessam. Cæterùm si alius quispiam eam pro hærede vel possessore teneat, propriâ authoritate eum expellere prohibemur: eoq; legitima hac actione opus est, quâ sibi eam petant restitui, cùm tantùm dominium quod est juris, non etiam possessio quæ plurimum facti habeat, aditâ hæreditate ipso jure transeat.

Adversùs quem datur hæc actio?

Adversus eum qui pro Hærede vel Possessore possidet. l. regulariter. Emptorem, cùm non extat venditor, vel cùm exiguo pretio vendita sit, l. etiamsi. §. idem erit. § planè. eod. Mulierem alienam hæreditatem in dotem dantem, & contra Maritum utiliter, qui accepit. d. l. § apud Marcellum. Restituentem dolo malo, id est, si sciat se ad restitutionem non teneri. Eum, qui dolo desiit possidere et pro possessore habetur. l. sed etsi. §. perinde. ff. eod. 5. Possidentem nomine absentis, alioquin velut prædo suo nomine conveniendus est. d. l. etiamsi. §. si quis. Nam dolo malo facit, qui sciens se non possidere, suscipit litem ab ignorante. l. qui se liti. ff. eod.

Quid venit in hanc actionem?

Restitutio universarum rerum hæreditariarum corporalium & incorporalium, atq; etiam earum, quarum periculum ad hæreditatem pertinet, ut commodatarum & depositarum. l. item videndum. §. nunc videndum. cum l. sequenti. & eorum quæ hæreditatis nomine comparata sunt. l. item veniunt in princ. Breviter augmenta & diminutiones omnes, quia hæres ejusdem potestatis & juris est cum defuncto. l. hæredem. de R. I. c. qui sentit. de R. I. in 6. Verùm in accessionibus, multum interest inter bonæ fidei & malæ fidei possessorem.

Quomodo?

Nam prædo tenetur non tantùm ad fructus perceptos, sed ad eos, qui percipi potuerunt. l. sed etsi. §. quod autem. eod. & de pretijs rerum deperditarum vel diminutarum. l. si possessor. §. ult. cum l. seq. eod. At bonæ fidei possessor eatenus duntaxat tenetur, quatenus est factus locupletior. d. l. sed etsi. si quid dilapidaverit, quia putat se sua re abuti.

non præstabit, nec si donaverit, & se sibi ad remunerandum aliquem obligaverit. l. 25. §. consuluit. 11. ff. eod.

De Rei vendicatione, tit. 32. constit. 28.

Quæ Continuatio?

Superiori titulo egit de universali jure, id est, hæreditatis petitione: hic titulus est de petitione speciali, qua quis speciem vel corpus certum suum esse adserit, hoc ferè modo: Hanc ego rem ex jure Quiritium meam esse aio. Hic lis est de dominio certæ rei; illic se quis universi juris defuncti, successorem esse contendit.

Quid est rei vendicatio?

Est adsertio proprietatis, qua actor petit se dominum rei controversæ declarari, & eam officio judicis cum omni sua causa restitui. t. t. ff. & C. & l. restituere. de V. S.

Cùm difficilis sit dominii probatio, poterítne actor aliter sibi consulere?

Sic est, animadvertat, an non aliquo interdicto possessionem nancisci possit. Quia longè commodiùs est (teste Gaio) ipsum possidere, & adversarium ad onera petitoris compellere, quàm alio possidente petere. l. is qui 24. ff. eod. Nam si non posset actor docere rem suam esse, possessor obtinet, quantumlibet res ipsius non fuerit. Quod in pari causa, possessoris melior est conditio. c. in pari. de R. I. in 6.

Quid, si quis neget, se possidere, cùm tamen possideat?

Eo casu, quemadmodum Furius Anthianus respondit, si possit actor adversarium convincere rem à se possideri, transferat possessionem ad se per judicem, licet suam esse non probaverit. l. ult. ff. eod.

Quid si adversarius vel jussus nolit restituere?

Qui restituere jussus (ait Ulpianus) judici non paret contendens non posse restituere, si quidem habeat rem, manu militari officio judicis ab eo possessio transfertur: & fructuum duntaxat nomine condemnatio fit: Si verò non potest restituere si quidem dolo fecit, quominus

minus possit, is quantum adversarius sine ulla taxatione in infinitum juraverit damnandus est. Si verò non potest restituere, nec dolo fecit, quo minus restituere possit, non pluris, quàm quanti res est, id est, quanti adversarij intersuit, condemnandus est. l. restituere. 68. ff. eodem.

Quomodo sunt fructus restituendi?

De eo extat rescriptum Impp. in hac verba. Certum est malæ fidei possessores omnes fructus cum ipsa re solere præstare, bonæ fidei verò extantes: Post litis autem contestationem universos. l. 22. h. t. item Gordianus. Domum (inquit) quam ex matris successione ad te pertinere, & ab adversa parte, injuria occupatam esse ostendis: Præses provinciæ cum pensionibus, quas percepit, aut percipere potuit, & omni causa damni dati, restitui jubebit. l. domum. 5. eod.

Sed quid juris, si quid malæ fidei impenderit?

Ejus rationem non haberi posse meritò rescriptum est; cùm malæ fidei possessores, ejus quod in alienam rem impendunt, non eorum negotium gerentes, quorum res est, nullam habeant repetitionem, nisi necessarios sumptus fecerint. Sin autem utiles, licentia eis permittitur, sine læsione prioris status rei, eos auferre. d. l. domum. Eodem pertinet elegans Celsi responsum. In fundo (ait) alieno, quem imprudens emeras ædificasti aut conseruisti, deinde evincitur. Bonus judex variè ex personis causisque constituet. Finge dominum eadem facturum fuisse, reddat impensam, ut fundum recipiat, usque eo duntaxat quo pretiosior factus est. & si plus pretio fundi accessit, solum quod impensum est. Finge pauperem, qui si reddere cogatur, laribus sepulchris carendum habeat, sufficit tibi tollere, ex his rebus, quæ possis, dum ita, ne deterior sit fundus, quàm si initio non foret ædificatum. Constituimus verò, ut si paratus sit dominus tantum dare, quantum habiturus est possessor, his rebus ablatis, fiat ei potestas. Neque malitijs indulgendum est. Si tectorium puta quod induxeris, picturásque corradere velis, nihil acturus, quàm ut officias. l. in fundo. 38. & vide l. 48. ff. eod.

Videris hîc non unum genus sumptuum constituere, dic igitur quotuplices sunt sumptus sive impensæ?

Triplices, sunt enim aut necessariæ, aut utiles, aut voluptuariæ. l.

impensæ. 79. de verbor. signific. l. 1. & passim tot. tit. ff. de impensis. in rem dot. fact.

De usu, usufructu, & habitatione, tit. 33. const. 17.

Quæ Continuatio?

Dixit superiore Titulo de vindicatione rerum corporalium, cui consequens est, ut & vindicationem rerum incorporalium, nempe, servitutum, quæ sunt vel personales, vel reales, subijcit atque hoc titulo de personalibus.

Quot enumerantur personales servitutes?

Vsusfructus, usus, & habitatio. Dicuntur personales, quòd personis debentur, & sine persona utentis esse nequeunt, sortiunturque servitutes à dominante nomen suum. Nam per usumfructum, usum, & habitationem, prædia, vel mancipia, vel alia res personis serviunt. l. dominus. ff. eod.

Quid est ususfructus?

Est jus, authore Paulo, alienis rebus utendi, fruendi, salva rerum substantia. l. 1. ff. eod. Vsus est jus utendi rebus alienis, pro necessitate usuarij, salva rerum substantia. l. 1. §. 1. in verb. nudus usus. ff. de usu. & hab. Habitatio est jus habitandi domum alienam, vel per se vel per alium, salva domus substantia. l cum antiquitas. h. t.

Quotuplex est usustructus?

Dd. duplicem faciunt. Causalem videlicet, quem dominus jure dominij habet, & est pars dominij. l. 4. eod. & nequaquam servitus, quia nemini res sua separatim servit. l. uti frui. 5. ff. si ususfr. pet. Formalis de quo hic agitur, qui separatus est à dominio & proprietate, sic dictus, quod quasi juxta formam et normam uti frui oporteat. Extat et alia divisio. Quòd alius dicatur propriè verus ususfructus, earum scilicet rerũ, quarũ salva manet substantia: alius impropriè dicitur, quasi ususfructus earum nempe rerum, quarum usus nullus est, nisi in abusu rerum, id est, in consumptione substantiæ. ff. de usufr. earum rer. quæ usu consum. Atqui personales hæ servitutes in quibusdam conveniunt, in quibusdam differunt.

In

In quibus conveniunt?

Nempe, quòd eiſdem modis conſtituantur, neque ad hæredes transmittuntur, quia ſunt perſonales. l. ſi habitatio. niſi tamen diſertè fuerit cautum, ut ad hæredes tranſeant, quo caſu tantùm ad primum hæredem tranſmittitur. l. antiquitas. 14. h. t. Habitatio verò & uſusfructus hoc habent commune, quod ſimiliter locari poſſint. l. cum antiquitas. 17. eod. & eaſdem perſonas recipere. l. habitatio. 10. ff. de uſu & habit.

In quibus differunt?

Primùm ſubjectis. Nam uſusfructus & uſus indifferenter constitui poſſunt, ſed habitatio tantùm eſt urbanorum prædiorum. d. l. cum antiquitas. Deinde fine, cui uſus relictus eſt (inquit Vlpianus) frui non poteſt. l. 2. ff. de uſu & hab. Nam is qui habet nudum fundi uſum, nihil ulterius habere intelligitur, quàm ut ad uſum quotidianum utatur, nec ulli alij jus ſuum cedere, at fructuarius vendere, gratis facere poteſt, & omnia facere: ſed qui uſum ædium habet, ipſus tantùm jus inhabitandi habet: qui habitationem, non ſolùm in ea degere, ſed & alij locare poterit. ff. paſſim de uſu & hab. & Inſt. eod. Tùm pugnantibus. Vſus & fructus finiuntur capitis diminutione, & non utendo: ſed habitatio ſolùm morte naturali. Quia uſus & fructus in jure conſiſtunt: habitatio verò in facto, quæ nulla intelligitur, niſi verè habitetur: quoniam quod non eſt, nullo modo poteſt amitti. l. Sempronia.

De ſervitutib. et aqua. t. 34. c. 14.

Quæ Continuatio?

Egit ſuperiore titulo de juribus hominum, nimirum uſufructu, habitatione, & uſu, id eſt, de ſervitutibus perſonalibus videlicet quomodo res ſerviant hominibus, jam de ſervitutibus juribus prædiorum, quæ vocantur Reales vel Prædiales ſervitutes, per quas prædia prædiis ſerviunt, quæ ſunt vel urbana vel ruſtica.

Quid eſt urbanum prædium?

Vrbana prædia, inquit Vlpianus, omnia ædificia accipimus non ſolùm ea, quæ ſunt in oppidis, ſed et ſi fortè ſtabula ſunt, vel alia meritoria in villis & vicis, vel prætoria voluptati tantùm ſervientia: quia urba-

urbanum prædium non locus facit, sed materia. Proinde hortos quoq;, si qui sunt in ædificijs constituti, dicendum est urbanorum appellatione contineri. l. urbana. 198. ff. de V. S. l. Tugurij. l. taberna. 183. eod. §. 1. Inst. de servit.

Quid est rusticum prædium?

Quod fructuum gratia quocunq; loco constructum est, & ipsi fundi, ex quibus percipiuntur fructus, hoc nomine designantur. Propriè enim in urbe ædificata, dicuntur ædes: Ruri constructa prædia, vocari solent villæ.

Quid est igitur servitus realis sive prædialis?

Est jus agendi habendive aliquid in fundo alieno ad sui prædij utilitatem, quod jure communi agere habere non licet. vel aliter secundum Dd. Servitus est jus quoddam quod prædio inhæret, quod Dominantis utilitatem auget, & Servientis libertatem minuit.

Quotuplices sunt servitutes prædiales?

Quatuor vulgò divisiones traduntur.

Prima est. Servitutum quædam Vrbanorum prædiorum, aliæ Rusticorum.

2. *Quædam servitutes sunt Continuæ, quædam Discontinuæ.*

3. *Servitutes aut sunt Nominatæ, aut sunt Innominatæ. Gloss. in l. 1. §. 1. verbo computanda. ff. eod.*

4. *Aliæ servitutes sunt Dividuæ, aliæ Individuæ, l. 1. §. si ususfructus ad l. Falcidiam. & l. stipulationes non dividuntur. 77. ubi Dd. de verb. obl.*

Quomodo constituuntur servitutes?

Pactionibus, stipulationibus, testamentis. §. ult. Inst. de servitutibus prædiorum. hodie etiam præscriptione longi temporis, cum titulo, exemplo rerum immobilium. l. fin. C. de præs. long. temp. Sine titulo longissimo tempore, id est, 30. vel 40. annis. l. sicut. & l. omnes. C. de præscrip. In discontinuis requirunt immemoriale tempus, id est, de cujus initio nulla extet memoria. l. hoc jure. §. aquæ ductus. ff. de aqua & aq. quotidian. Ad effectum, naturam, & vim servitutum rectè perspiciendam, utile est aliquot regulas tenere.

Quænam sunt illæ?

1. *Servitutum non ea est natura, ut faciat aliquid quis, sed ut patiatur aliquid vel non faciat, idq; principaliter. l. quoties. 15. §. princ. ff. de servit.*

2. Ser-

2. *Servitutes natura sua perpetuæ sunt, & continuam habent causam, quamvis continuam possessionem non habeant. l. 14. eod.*

3. *Servitutes divisionem non recipiunt. l propterea. 11. eod.*

4. *Servitus in toto fundo tota est. l. si cui. 9. & tota in qualibet ejus parte. l. ad certam. 6. eod.*

5. *Servituum natura est, ut per se possideri non possint, sed intelligatur possidere ille, qui prædium possidet. l. 32. §. final. ff. de serv. urban. præd.*

Quæ sunt servitutes urbanorum prædiorum?

Veluti altius ædes non tollendi, luminum prospectui non officiendi: stillicidij vel fluminis: ligna immittendi: projectum habendi: oneris ferendi, cloacæ, foraminis, positum habendi & non habendi.

Quotuplices sunt hæ servitutes?

Secundum interpretes sunt duplices, aut Affirmativæ, aut Negativæ.

Quæ sunt rusticæ servitutes?

Iter, actus, via, aquæductus, quæ nominatæ dicuntur: aquæ haustus, pecoris ad aquam appulsus, jus pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, cretæ, lapidisve eximendi, navigandi, atque hæ appellantur Innominatæ non à jure, sed ab actu utendi. Sunt & hic 8. regulæ observandæ, de ijs scilicet, in quibus conveniunt servitutes.

Recita illas.

1. *Servitutes hæ, quemadmodum sunt prædiorum, ita nec sine prædijs constitui possunt, nec alijs acquiri, quàm qui prædium habent. l. 1. ff. communia prædiorum.*

2. *Servitutes fundum sequuntur, unaq; cum fundo alienato transeunt. l. cum fundus. 12 ff. eod.*

3. *Servitutes ijsdem constituuntur modis. l. proprium. 5. l. 13. 16. eod.*

4. *Servitutes unusquisq; suo tantùm fundo, non etiam alieno aut acquirere, aut imponere potest. l. unus. 34. ff. de serv. præd. rust. l. 3. 5. 6. 7. 8. 9. 11. ff. com. præd.*

5. *Servitutes rebus sacris, aliisq; rebus, juri humano exemptis: aut publicis privata authoritate non imponuntur. l. 4. eod.*

6. *Servitutes confusæ per aditionem hæreditatis, vendita hæreditate restituuntur. Quia hoc agitur, ut venditor hæres extitisse videatur.*

7. Servi-

7. *Servitute qualicunque concessa, videntur omnia concessa, quæ ad usum servitutis pertinent. l. refectionis. 11. eod.*

8. *Servitutes plures uni loco possunt imponi, si prior à posteriore non impediatur. l. qui per certi. 15. ff. eod.*

Quæ actiones competunt de servitutibus?

Duæ: una Confessoria, altera Negatoria.

Confessoria est petitio sive vendicatio servitutis, civilis, specialis, perpetua, directa, competit domino prædij dominantis, qui servitutem suam esse intendit: Alijs datur utilis, qui jus in re habent, cujus nomine vendicare possunt. l. ei. 16. ff. de serv. adversus dominum prædij qui seruitutem deberi negat, & omnem omnino, qui eam impedit. l. 10. ff. de serv. vind. ut caveat reus, de jure agentis in posterum non imminuendo, vel impediendo. l. harum. 7. ff. d. t. fructus quoque præstandi sunt. l. etsi. 6. eod. & si quid prætereà intersit servitutem non fuisse impeditam, aut usurpatam. l. loci corpus. §. 2. in confessoria. ff. eodem.

Quid est negatoria?

Est actio superiori contraria, quæ datur domino prædij servientis, neganti servitutem deberi, & libertatem sui prædij adserenti. &c. eodem modo quo in confessoria. Quia contrariorum est eadem doctrina. l. 2. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur.

Quomodo amittuntur seruitutes prædiales?

1. *Non morte vel capitis diminutione, quemadmodum personales, sed interitu rei, quia non personas, sed res sequuntur. l. 3. ff. quemadmodum serv. & l. 2. ff. de usufr.*

2. *Confusione, quemadmodum ususfructus consolidatione, cum scilicet idem utriusque prædii in solidum dominus esse cœperit. l. 1. eod.*

3. *Actu vel facto concesso, ita contrario, quòd servitutem ampliùs non subsistere patitur.*

4. *Conditionis eventu: ut si hæres fundo sub conditione legato imposuerit servitutem, conditione existente, servitus extinguitur.*

5. *Negligentia non utentis, idque decennio inter præsentes, et vicennio inter absentes, si fuerit continua servitus: si discontinua, duplicato opus erit tempore. l. ult. h. t.*

Quarè inscriptio agit seorsum de aqua?

Id contingit quasi per eminentiam, quia nulla alia est servitus, de qua

qua tot sunt constitutiones, & quod nulla ex omnibus rebus tantas habeat, teste Cujatio, ad usus humanos necessitates, quantas aqua.

Quomodo hîc accipitur?

Pro aquaductu, & simili servitute Aqua actus. l.3. & 4. Ducitur autem aqua canalibus, fistulis, structilibus arcubus, non lapide strato, l. si prius. §. placet. ff. de aq. pluv. duci etiam per aquileges solet latitudine 10. pedum. aut alio ex pacto, cujus terminum facit non modus prædiorum, sed aquæ ducendæ: nam & per plura prædia pro lege modoq; conventionis, duci potest. l.33. §.1. ff. de serv. rust. præd.

Ad quid ducitur aqua?

Ad irrigandos agros vel exsiccandos, etiam amœnitatis causa, vel adaquandi pecoris gratia. Denique ad multiplicem hominum utilitatem, prædijq; usum. l. 5. ff. de serv. rust. præd.

De L. Aquilia, tit. 35. const. 6.

Quæ Continuatio?

Non malè vendicationibus tam corporalium rerum, quàm incorporalium subijcitur l. Aquiliæ actio, etsi enim personalis est, utpote ex delicto descendens, tamen quia noxalis comparatur vendicationibus, & dominis in dominos datur. Non igitur à re hic titulus superiori additur. Nam l. Aquilia in plerisque congruit cum actione damni injuria ex 12. tabulis. de qua l. quæcunq;. 56. ff. de obl. & act. & l. 1. ff. ad l. Aquiliam. Quæ olim tria habuit capita, sed hodie primum & tertium tantùm in usu sunt, secundum, quia supervacaneum, in usu esse desiit.

Quid cavetur primo capite?

Ut qui servum servamve, alienum alienámve quadrupedem vel pecudem injuriâ occidit, quanti id in eo anno plurimi fuerit tantum æs dare domino damnas esto. *l. 2. in princ. ff. eod.*

Quomodo hîc accipis injuriam?

Non, teste Ulpiano, quemadmodum circa injuriarum actionem, contumeliam quandam: sed quod non jure factum est, id est, contra jus, id est, si quis culpâ occiderit, & ideò interdum utraque actio concurrit, & l. Aquiliæ & injuriarum: sed duæ erunt æstimationes, alia damni, alia contumeliæ. Igitur hic injuriam damnum accipiemus

culpâ

culpâ datum etiam ab eo, qui nocere noluit. l. 5. §. 1. ff. eod. cùm culpa alia sit lata, alia levis, alia denique levissima.

Quænam in hac lege præstatur?

In l. Aquilia (inquit Vlpianus) & levissima culpa venit, quoties sciente domino servus vulnerat vel occidit, Aquilia dominum teneri dubium non est: & scientiam hic pro patientia accipimus, ut qui prohibere potuerit, teneatur, si non fecerit. l. in l. ego. 44. cum l. seq. ff. eod.

Quid intelligis culpam?

Quod cùm à diligente (ut ait Paulus) potuit provideri, non esset provisum. l. 31. ff. eod.

Potésne dare casum, in quo damnum neque injuriâ, vel culpâ detur?

Quidni? veluti si navis alteram contra se venientem obruisset tanta vi venti, quæ temperari non potuit. l. quemadmodum. 29. §. si navis. 4. ff. eod. quando scilicet nulla vel imperitia, vel negligentia, vel infirmitas argui poterit, velut ejus, qui die ventoso immittit ignem in stipulam, & ignis longiùs evagetur, occasionem damni dando, censetur damnum dedisse: etsi omnia quæ oportuit observavit, vel si subita vis venti ignem longiùs produxerit, culpa caret, l. 30. § 3. Item si putator deijciens ramum in locum privatum, per quem nemo transit, & eum quem anteà non viderit, læserit, culpa similiter ab eo non est exigenda; cùm divinare non potuerit. l. 13. in fin. Item, qui aliquem non ulciscendi, sed tuendi & defendendi sui causa repellens, percusserit. l. 45. ff. eod.

Quid tertio capite sancitur?

Cæterarum rerum præter hominem & pecudem occisos, si quis alteri damnum faxit, aliquid usserit, fregerit, ruperit injuriâ, quanti ea res in triginta diebus proximis erit, tantum æs dare domino damnas esto. *l. si servus servum. 27. §. 5.*

Quod si quis servo mortiferum vulnus inflixerit, eundem ex intervallo alius ita percusserit, ut maturiùs interficeretur, quàm ex priore vulnere moriturus fuisset, quid statuendum?

Vterque eorum l. Aquilia tenebitur: sed æstimatio perempti, non eadem in utriusque persona fiet. l. ita vulneratus. 51. eod.

Declara

Declara hoc, quod dixisti?

Nam qui prior vulneravit, tantùm præstabit, quanti in eo anno plurimi fuerit, repetitus ex die vulneris 365. diebus. Posterior in id tenebitur, quanti homo plurimi venire potuit, in anno proximo, quo vita excessit, in quo quoq; pretium hæreditatis erit. d. l. §. 2.

Nónne absurdè hoc constituitur, ut ejusdem servi nomine alius majorem, alius minorem æstimationem præstet?

Nequaquam, cùm uterq; eorum ex diversa causa & diversis temporibus hominem occidisse intelligatur. Cogitet unusquisq; lōgè absurdius fore neutrum teneri, aut alterum potiùs, cùm neque impunita esse maleficia oportet: *neque facilè constitui possit uter potiùs lege teneatur.* Multa autem jure civili contra subtilitatem disputandi pro utilitate communi inventa esse, innumerabilibus rebus probari potest. *d. l. in fin.*

Quæ actio competit ex l. Aquilia?

Datur Directa, Utilis, & etiam In factum. Directa competit, quando quis præcipuè corpore suo damnum dederit. §. cæterùm. Inst. eod. Utilis, cùm quis alio modo damnum dederit, corpúsque læserit, d. §. In factum etiam subsidiaria dicitur. l. quia. 11. ff. de præs. verb. cùm videlicet non corpore fit damnum datum, neq; corpus læsum, sed alio modo damnum contigerit, veluti, si quis misericordiâ ductus servum compeditum solveret ut fugeret.

Cui datur hæc actio?

Datur domino fructuario, usuario, bonæ fidei possessori: at pro libero homine utilis. l. liber homo 13. ff. eod. marito, constante matrimonio. l. si servus. servum 27. naturale.

Adversus quem?

Eum qui præcipuè damnum dederit, vel occasionem præstiterit. Etiā plures percutientes servum, omnes in solidum tenentur. Cùm sit pœna. l. item Mela. 11. & d. l. ita vulneratus: Magistratus municipalis, qui malè versantur in re pignori capta. l. quemadmodum. §. magistratus. ff. eod. item corrumpentem vel delentem testamentum, vel instrumentum. l. si quis. 4. 1. cum seq. eod. Hæredibus quidem damnum passis datur, sed non in hæredes damnum dantis, nisi quatenus locupletior factus sit. l. inde. 23. §. hanc actionem. 8. eod.

Quid venit in hanc actionem?

Mixta est, & non tantùm, cùm quis adversus inficiantem (propter mendacium in duplum) l. contra negantem h.t. sed interdum etiamsi in simplum. § sed & l Aquilia. Instit. de Action. l. si Aquilia consequimur damnum: & amisisse dicemur, quod aut consequi potuimus, aut erogare cogimur. *l. si servum. 33 ff. eod.*

Familiæ herciscundæ, tit. 36. const. 26. cum unic. Auth.

Quæ Continuatio?

Hactenus de vendicationibus, id est, actionibus merè realibus: adduntur jam tria iudicia divisionis, mixta videlicet, ex l. 12. tabularum: quæ ita habet: Cohæredes à communione discedere volentes aguntor. *Pro* hæreditaria parte, debitores hæredibus obligati sunto. Pro portionibus hæreditariis hæredes tenentor. *Nemo enim in communione invitus teneri potest, quæ non minimas sæpè parit discordias & rixas. l. ult.]. communi dividundo. Vnde jure Papinianus laudat testatorem, qui sedandis propinquorum controversiis prospexerit, quas materia communionis solet excitare. l. 77. §. dulcissimus. 20. ff. de leg. 2. Itaq; si hæreditas neq; testatoris, neq; hæredum voluntate divisa fuerit, partitio judiciali authoritate explicanda est.*

Quid continetur appellatione familiæ?

Variè, teste Vlpiano, accipitur. Nam & in res & in personas deducitur. In res utputa in l 12. tabularum his verbis. Proximus agnatus familiam (*i. hæreditatem*) habeto. *Ad personas refert veluti* ex ea familia in eam familiam. *Hic de singularib. personis legem loqui constat, v. l. pronunciatio. 195. cum l. seq. ff. de V. S. & l. ult.]. eod.*

Quid herciscere?

Pro dividere, Festo. notum est, antiquum verbum. Fortè (ut quidam existimavit) ab arceo, quod in hæreditatis divisione utraq; pars ab altera arceatur, id est, separetur. ita Iupiter Erceus, quòd mala arceret. Zasius. §. quidam. Inst. de actionibus.

Quid est actio familiæ herciscundæ?

Est civilis quasi ex contractu, duplex, quia uterq; & actor & reus est,

est, mixta, bonæ fidei, universalis, qua ad divisionem hæreditatis, officio judicis inter cohæredes ineundam, agitur.

Quibus dicatur hæc actio?

Cohæredi volenti à communione discedere, adeò ut vel uni ex multis qui ad divisionem provocavit, competat. l. 2. §. dubitandum. eod. Verecunda enim ejus cogitatio qui judicio experitur, ut dissidia & discordias quotidianas effugiat, non est vituperanda. facit, l. item. 4. §. 1. ff. de alien. inde mutandi, imò & hæredibus pluribus cohæredis: sed quia eo casu (ut Paulus respondit) judicium in partes scindi non potest, aut omnes id accipere debent, aut unum dare procuratorem, in quem omnium nomine agatur. l. si familia. 48. ff. eod.

Adversus quem?

Quemcunque successorem sive ex testamento, sive ab intestato d. l. 2. eod.

De quibus datur?

De omni hæreditate communi, ut etiam de pluribus hæreditatibus unum judicium sumi posset. l. 25. §. de pluribus 3. eod. & contrà si plures hæreditates communes fuerint, una poterit hoc judicium experiri. d. l. §. 5. Breviter, de omnibus rebus hæreditariis tam mobilibus quàm immobilibus. l. 8. & seq. tam commodis quàm incommodis. l. item Labeo. 22. in fine, item sumptibus & fructibus, l. 18. §. sumptuum. 3. eod. Sunt tamen quædam, quæ non veniant, etiamsi in hæreditate reperirentur.

Quænam illa?

Nomina, quæ ex lege 12. tab. sunt divisa l. 4. 25. eod. non perniciosa, ut mala medicamenta, venena, libri improbatæ lectionis, quæ statim à judice, quem boni & innocentis viri officio fungi oportet, corrumpenda sunt: item si quid ex peculatu, sacrilegio, vi, latrocinio, aggressura acquisitum sit. d. l. 4. §. 4. cum seq. Quia quod turpiter vel scelere quæsitum est, ad compendium hæredum non debet pertinere. l. quod dixi. 16. ff. de eo quod mei, ne alieno scelere ditentur. l. unica. C. ex delict. defunct.

Quomodo ratio divisionis ineunda?

Iudex familiæ herciscundæ nihil debet indivisum relinquere. l. 25. §. judex. 2. ff. eod. item cavere, ut de evictione caveatur his, quibus res adjudicat. d. l. §. penult. condemnationes & absolutiones in omnium

personis faciat, & ideò (inquit Paulus) si in alicujus omissa fuerit damnatio, in cæterorum quoq; persona, quod fecit judex non valebit. Quia non potest uno judicio, res judicata partim valere, partim non valere. l.27. ff. eod. æquo jure inter filios & filias pro virilibus portionibus dividat. l.1. h.t. nec opus scriptura. Quia fides rei gestæ ratam divisionem satis affirmat. l.1.2. h.t. Peculia profectitia ad communionem quoq; revocet. l.13. caveat, ne id præjudicet ignoranti & absenti. Quoniam divisio facta inter aliquos, absentis & ignorantis juri non derogat. l.17. ut quod inter alios actum est, aliis non noceat. l. sæpè. ult. ff. de re jud.

Sed quid si aliqua res divisionem non recipiat?

Potest judex licitatione admissâ, vel compensatione pretii factâ, uni rem, alteri pretium adjudicare. l. item Labeo. 21 ff. eod.

Quid si pars divisionem detrectet?

Nihilominus poterit judex dividere. Quia (ut ait Cajus) Cohæredibus volentibus à communione discedere, necessarium videbatur actionem aliquam constituere, qua inter eos res hæreditariæ distribuerentur. l.1. ff. eod. Item Paulus. Propter immensas contentiones res plerunq; ad divisionem pervenit. l.25. ff. de servit. urb. præd.

Potéstne & sine judice institui divisio?

Potest exemplo Abrahæ & Lothi. Nam cùm amplæ illis divitiæ essent, neq; unà & communiter propter quotidianas rixas vivere possent. Abraham divisit hæreditatem, & Loth elegit. Genes. cap. 13. Simile exemplum traditur in c. x. de parœciis. Justinianus autem, ubi duobus, tribus aut pluribus optio alicujus rei fuerit relicta, sancivit in casibus hujusmodi rei judicem fortunam esse, & sortem inter altercantes adhibendam: ut is, quem sors prætulerit, habeat potestatem eligendi. l.3. ℸ communia de leg. & §. optionis. 3. Inst. de Legatis.

Licétne parentibus inter liberos dividere hæreditatem?

Quidni, idq; vel testamento, vel codicillis, vel epistola, modò inter pares cohæredes, ex quocunq; demùm gradu veniant, atq; ita defuncti, Constantino sanciente, custodiatur dispositio, etsi ea legum solennitate fuerit destituta. l. ult. h.t. modo scriptura vel ipsius parentis, vel omnium liberorum inter quos fiat partitio, subjiciatur subscriptio: Auth. si modo. h.t.

Quando

Quando obtinet hoc judicium?

Cùm adita fuerit hæreditas. Vnde Vlpianus. Qui ante aditam hæreditatem quid gessit, veluti, si testatorem sepelivit, familiæ herciscundæ judicium non habet, sed si post aditam hæreditatem id fecit, consequenter dicemus eum, consequi posse sumptum quem fecit in funus. l. qui erat 49 in fin. ff. eod.

Quid si deceptio sive læsio ultra dimidiam debitæ portionis inciderit. l. 2. J. de rescind. vend. aut alia magna fraus, aut iniquitas emerserit, veluti si aliquis non cohæres admissus fuerit?

Iis casibus licet judicium familiæ herciscundæ retractare, etsi illud remedium l. 2. contra rem non obtineat, quandoquidem non hic pronuntietur de divisione, sed tantùm eâ authoritate judicis suscipiatur. Æquum est illud subsidium, non negari tam enormiter læsis. l. Lucius. 38. ff. eod.

Communi dividundo, ti. 37. cõ. 5.

Quæ Continuatio?

Expositâ primâ actione mixtâ, scilicet, familiæ herciscundæ, accedimus ad secundam quæ est, Communi dividundo, atqui illa utpote universalis, non temerè, ut dixi, iteratur: sed si res aliqua indivisa relicta fuerit, agendum erit communi dividundo. l si filius. 20. §. familiæ. 4. ff. eod. Vnde satis videre est inter hunc & illum interesse.

Quomodo igitur differunt?

Familiæ herciscundæ judicium universale est. Vniversa enim hæreditas in hoc judicium deducitur: judicium verò communi dividundo divisionem continet etiam rerum singularium, quæ vel ex societate vel citra societatem communes sunt, l. ult. h. t. Levius est judicium familiæ herciscundæ, quia in id veniunt non tantùm ea quæ sunt in bonis, sed etiam quæ sunt ex bonis mortis tempore veluti res depositæ & commodatæ. l. inter cohæredes. 44. ff. familiæ herciscundæ, contrà in judicio Communi dividundo. Familiæ herciscundæ judicium iterari non potest, nisi magna de causa: Communi dividundo subindè de hac, subindè de illa agi potest. Vnde Vlpianus: Hoc judicium (ait)

bonæ fidei est. Quare si una res indivisa relicta sit, valebit; Itaq; & cæterarum divisio poterit iterum communi dividundo agi de ea, quæ indivisa mansit. l si filia. 2. §. familiæ. 4. ff. familiæ hercisc. l 2. §. in hoc judicium 5. ff. eod. & l per hoc. 4. §. hoc judicium. 2. ff. communi dividundo. Familiæ hercisc undæ judicium inter solos cohæredes exercetur: Communi dividundo omnibus omninò competit, qui aliquam rem communem habent. l. 4. ff. eod. Differt etiam hoc judicium ab actione pro socio.

Quomodo?

Actio pro socio magis ad præstationes invicem personales pertinet, quàm ad communium rerum divisionem. l. 1. ff. eod. In societate non sunt res communes, nisi communi consensu & conventione. Vnde illa communio dicitur ab Interpret. Contractiva. Hic etiam communes res faciunt sine affectione, etiam aliud agentibus, & ignorantibus: Vnde hanc communionem Incidentem vocamus societatem.

Quomodo accipis hîc commune sive res communes?

Non eo sensu, quo in Institutionibus et Pandectis de rerum divisione, quarum nulla est proprietas, & quæ nullius in bonis aut patrimonio sunt. & quarum usus communis omnibus est jure naturæ sive gentium. l. 2. ff. de rerum divis. de qua communione loquitur Poëta, cùm ait:

Quid prohibetis aquas, usus communis aquarum est.

Item,

————— littúsque rogamus
Innocuum, & cunctis undámque aurámque patentem.

Quæ occupantis sunt, sed hic agimus de privata & civili communione rerum nostro dominio subjectarum, & quæ divisionem recipiunt.

Ostende hanc esse mixtam actionem?

Realis est respectu eo, quod jure dominij, quod in rem communem habemus, nostram portionem ea vindicamus. l. per hoc 4 ff. eod. Personalis autem est hoc nomine, quod ea personales præstationes ut sunt, damni dati in re communi, fructuum ex ea perceptorum. & expensarum factarum, compensationes petimus ab eo, cum quo communem habemus rem, ac si inter nos de illis invicem præstandis convenisset, consequimur. d. l. qui. §. sint. 3.

Verum

Verum non tantùm hoc judicium [illegible] faciunt, sed & directum: aliam [illegible] d res communes persequendas com[illegible] tradunt, dic igitur quibus detur dire[illegible]

Solis dominis. Vnde Vlpianus. Per hoc judicium (inquit) rerum corporalium fit divisio, quarum dominium habemus: non etiam hæreditatis. l. 4. in princ. ff. eod. & rectè ait Scævola, agitur sive neuter possideat, sive alter sociorum fundum non possideat. l. penult. ff. eod.

Quibus competit utilis?

Dominis utilibus in fundo vectigali, quem tamen judex regionibus dividere non debet, ne præstatio vectigalis confundatur. l. 7. ff. eod. nempè propter varietatem partium, quæ plerunque est incommoda. item ijs, qui Publicianam habent, d. l. §. 2. item si ex justa causa indebiti soluti res possideatur. d. l. §. 3. atque ijs qui pignus habent commune. d. l. §. 6. tantum duntaxat, quantum pro parte debetur. d. l. §. 12.

Quid juris de usufructu communi?

Iudex cùm de usufructu agitur, ita officium suum diriget, ut vel regionibus eis uti frui permittat, vel licet usumfructum uni, vel tertiæ personæ, ut hi pensiones sine ulla controversia accipiant: Vel si res mobiles sint, vel etiam sic poterit, ut inter eos conveniant, caveántque per tempora usuros fruituros se, hoc est, ut apud singulos mutuâ vice certo tempore sit ususfructus. d. l. 7. § 10.

Quid de prædonibus vel furibus, qui rem communiter fraude vel vi acquisiverunt?

His hoc judicium non competit, quia nullam justam suæ possessionis habent causam, sed res injustè retinent: quemadmodum nec illis, qui alieno nomine possident, quales sunt, qui vel precariò vel mercede alienas res tenent. d. l. 1. §. inter prædones. 4. ff. eod. Nec persequemur hanc actionem pluribus, quoniam Imp. communia utriusque judicij tradit.

Communia utriusque Judicij tit. 38. const. 12.

Quæ igitur hæc duo judicia communia habent?

Conveniunt proprijs, causa, materia, ratione agendi, eventu, adjacentibus, affinibus, contrarijs.

Quomodo propriis?

Quia utrunq; est bonæ fidei, duplex, mixtum, quasi ex contractu, perpetuum, civile.

Quomodo causa?

Quoniam utrumq; ex communione, quæ distrahi petitur, datur hæredibus dominis, eorúmq; successoribus, & alijs qui pro dominis habentur, unde divisio instar emptionis obtinere dicitur. l. 1. h. t. Materia, quod utrumq; circa res communes dividendas vertatur: nec aliter his, quàm ad corpora communia agi posset, etiamsi autem divisio facta sit. Ratione agendi, eadem ubiq; forma ad divisionem, nempè ut quæ communia sint, dividantur omnia, nec quisquam invitus in communione retineatur, omniūq; indemnitati consulatur. Eventu, quod eadem utrobiq; est divisio, adeò ut etiam à non arbitro facto posset ratihabitione confirmari. l. 2. h. t. Adjacentibus, quia utrobiq; interveniunt licitationes, condemnationes, absolutiones, adjudicationes, evictiones, cautiones, obligationes: deniq; utrumq; sic alteri adjacet, ut judicium communi dividundo surrogetur judicio familiæ herciscundæ. Affinibus, quia eadem sunt vendicationes, aut actiones personales. Contrarijs, utriq; judicio repugnat inæqualitas, divisio facta, transactio, fraus & dolus, & deniq; præscriptio.

Finium regundorum. ti. 39. con. 6.

Quæ Continuatio?

Inter judicia mixta & divisiones ponitur actio de finibus, qui fortè confusi vel obscurati, vel occupati sunt, dirigendis, & dirimendis, & disterminandis inter affines. Tam insatiabilis est semper habendi & quærendi cupido, tamq; altas radices omnium malorum avaritia egit, ut mortales non acquiescant in justis & legitimis modis suas res amplificandi, sed etiam per fas et nefas aliena contrectent et rapiant, adeò ut fines quoq; qui in omnium oculis et conspectu sunt, non pudeat eos longiùs proferre, sed etiam alienos usurpare: Nec

tantùm

tantùm hæc sitis fatigavit laicos, sed etiam clericos, ut videre est.l.6.4. Rectè igitur infinita libidini actio finium regundorum tanquam repagulum opponitur, qua quisq; intra suos fines contineatur, & evagatus ad eosdem revocetur, unde & hæc eadem quæstio finalis dicitur. l.4.h.t.& limitis actio.c.inter memoratos.d.q.

Quos hic fines intelligis?

In plurali numero pro terminis & limitibus prædiorum, unde confines agri qui eodem fine terminantur, sicut finis numero singulari pro termino vel extremitate ponitur. Vnde Numa Pompilius Terminum Deum finem fecit, ut jus finium, religione quadam muniret.

Quid est regere?

Est gubernare, discernere, constituere, & dirigere, inde metaphoricè fines dicuntur regi, quando de finibus non uno modo judicatur.

Quomodo cuique sui fines observandi?

Respiciendum est ad exemplum quodãmodò ejus legis, quam Solon dicitur Athenis tulisse. Nam illic ita est, si quis sepem alieno prædio infixerit, infoderitq;: terminum ne excedito: Si maceriam, pedem relinquito: Si verò domum pedes duos: si sepulchrum aut scrobem foderit, quantum profunditates habuerint, tantum spatium relinquito: Si puteum, passus latitudinem: At verò oleam aut ficum ab alieno 9. pedes plantato: cæteras arbores ad pedes quinq;. l.ff.eod.

Ad quæ prædia pertinet hoc judicium?

Ad prædia rustica eorumq; confinia.l.2.& 4.§.finali.ff.eod. Vrbana sunt magis vicina, & parietibus disterminanda. Hortorum tamen latitudo interdum efficit, ut utiliter agi possit. d.l.4.§.fin.

Unde nascitur hæc actio?

Ex temeritate, delicto, vel quasi delicto confinium, qui fines longiùs ultrò citròq; quam par est conantur protendere, & ex aliorũ finibus fructus colligere, commoda percipere.v.l.2.3.4.ff.h.t.

Quibus datur & adversus quos?

Et dominis directis prædiorũ, et utilib.ut Emphyteutis, beneficiarijs, fructuarijs, creditorib. jure pignoris possidentib.d.l.4 § finiũ, et contra eosdẽ etiãsi plures sint.d.l.§.nõ solũ, et hæredib.contra hæredes.l.2.h.t.

Quid venit in hanc actionem?

Rem persequitur, scilicet, ne alter alterum in suis finibus turbet, si turbaverit verò, aut moverit, quod nostra interest, ead. l. 4. §. &

fructus naturales & industriales post litem cõtestatam. Quia ante judicium mala fide percepti, condici possunt. d. l. 4. §. post litem., item mercedis partem, si mensor fuerit ab altero tantùm conductus. d. l. §. sed etsi mensor.

Quomodo turbantur fines?

Vel dolo malo, & culpa, videlicet tollendo limitem, utpote arborem, ædificium, fossam, aut lapidem, de quo Virgilius:

Saxum antiquum ingens campo qui fortè jacebat,
Limes agro positus, litem ut discerneret agris.

vel movendo terminum, vel obscuriorem reddendo, ut tandem non appareret, vel ultra constitutos fines alienos agros usurpando, vel impediendo possessorem. Turbantur etiam casu fortuito ut inundatione: deinde consensu, Veluti alienatione, vel deniq; errore.

Quando & quamdiu competit hæc actio?

Statim à turbatione, & usurpatione alienorum finium, & durat 30. annos. l. ult. h. t. Veruntamen si quis alieni fundi partem bona fide possidens usurpet, consequens est huic actioni quoq; præscribi. l. 2. § sed etsi fundus. & l. qui fundum, §. 1. ff. pro emptore. Accessorium enim sequitur naturam sui principalis. c. accessorium de R. I. in 6.

Quale officium judicis & processus in hac persecutione?

Vt orta quæstione utroq; dominium finium vendicante, primum de possessione cognoscat. l. 3. h. t. deinde de proprietate in qua plenæ probationes requiruntur. Hinc Papinianus vetera monumenta & census authoritatem sequendam. l. 11. ff. eod. Tum, ut mensores mittat & per eos dirimat quæstionem, atq; ipsius judex, si ita res exigat, suis oculis fines subijciat. l. 8. in fin. ff. eod. statuet post terminum utrique parti, ut præsentes videant agri dimensionem eo certo die & hora adsint. argumento, l. aut quis aliter § 1. ff. quod vi aut clàm: Prætereà aliquandò veteres fines turbatos discernet, aut si isti nullo modo appareant adjudicatione, vel condemnatione novos constituet. l. 2. § fin. & l. 3. 4. & passim. ff. eod. Postremò, ut si quis utilitatem ex finibus, qui vicini sunt, perceperit, eam taxet, d. l. 4.

Súntne alia remedia?

Quidni? 1. Condictio ex l. 4. constiterit. h. t. qua ereptor alieni agri in lite superatur, tantùm agri amittit, quantum adimere voluit.

2. Si

2. *Si proprium invaserit, illum amittat. l arg. si quis in tantam, C. unde vi.*

3. *Cujus Cæsar in singulos terminos, quos quis disiecerit vel loco moverit, 50. aureos in publicum dare sanxivit. v. tit. & præcipuè l. ultim. ff. de term. moto.*

4. *Publica quoque accusatio adversus eos institui poterit, juxta l. 2. ff. eod. & d. l. 4. §. 4.*

Quid sibi vult ista Impp. constitutio l. quinque pedum 5. h. t.

De hac Cicero l. 1. de ll. ita meminit usucapionem 12. tabularum intra quinque pedes esse noluerunt, sciendum est ergò, l. 12. tabularum cautum fuisse, ut inter vicinorum prædia constitutis finibus quinque pedum (qui fines finium dici potuerunt) spatium relinqueretur, ut eo spatio agere ire uterque dominus posset, itaque et circumduci aratrum sulco. Vnde illud itineris se iter ad culturam usucapi potest, iter limitaneum, ut Varro ait, non potest.

De consortibus ejusdem. t. 40. c. 2.

Quæ Continuatio?

Disceptatur ut plurimùm in judiciis duplicibus, de re communi, & hinc fit, ut plures sint ejusdem rei participes sive consortes. Rectè igitur hic titulus tanquam coronis subjicitur, quia ut rei, ita quoque litis est societas. Quoties igitur ejusdem rei nomine vel agunt, vel conveniuntur, quorumque res communis in judicium deducitur, dicuntur consortes, Græcè secundum Æschylum σύνδικοι, attamen in jure nostro hæc duo vocabula distinguuntur.

Quomodo?

Nam Syndici sunt actores vel defensores civitatum, aliorumque corporum. l. placet. ff. de Episc. quique procuratorum partibus funguntur. l. 6. § ult ff. quod cujusque univers. nom. sed hodie passim etiam sunt vice consiliariorum. Consortes verò ejusdem litis socij, inter quos communis est ea res, de qua litem omnes simul contestantur. vel unus tantùm. Cæterùm hic variatum fuisse jus, ostendunt interpretes.

Quomodo?

Nam

Nam ex l. Constantini si ageret unus, repelli poterat præscriptione hujusmodi, quod ageret non adhibitis consortibus; vel si conveniretur, tueri se poterat exceptione hac, quòd haberet consortes. l. 1. C. Theodos. de domin. rei quæ possid. Olim enim ante Constantinum id non obtinebat. Quia cum quo consortium actori collibuisset, præteritis alijs potuisset experiri. Sed hodie reditum est ad jus antiquum.

Quid igitur hodie obtinet?

Vt unusquisque pro sua parte & persona agere vel respondere indistinctè sive unius fori sint consortes, sive diversi. & sive jam omnes litem contestati sint, vel defunctus, cui hæredes extiterunt. l. non idcirco. ff. de indit.

Sed quid dicis nihil referre, sive unius sint, sive diversi fori, cùm actor cogatur sequi forum rei. l. in criminali. §. de judic. & c. x. de foro competent?

Consortibus litis discrepantia fori nihil obest. l. 1. h. t. Ne scilicet continentia causarum dirimantur. l. nulli. §. de jud. omnesq; ad eundem judicem mittantur. l. 1. & tot. pass. tit. ff. quibus de reb. ad eundem eatur jud. Ratio est, ne cum jactura temporis & rei per plura fiat, quod potest expediri per pauciora.

De noxalibus actionibus. t. 41. c. 5.

Quæ Continuatio?

Noxalis actio quoque referri poterit ad ipsas mixtas actiones, utpote quo ad causam finalem realis. l. pen. de noxal act. ff. quatenus scilicet actio noxalis respectu dominii detur: licet personalis ratione causæ efficientis. Quia ex delicto descendit. in prin. Inst. eod.

Unde dicitur noxalis actio?

A noxa potiùs quàm à noxia. Quia noxa est ipsum corpus, quod deliquit: ipsaq; porrò pœna: Noxia verò est maleficium, veluti furtum damnum, injuria, rapina, quo pertinet illud vulgatum:

Noxia delictum, delinquens Noxa vocatur.

Quid est igitur noxalis actio?

Est pœnalis, quæ ex delicto servi in dominum datur alternativè, ut

aut

aut dominus damni, quod petitur, æstimationem præstet, aut servum noxæ dedat. Cujus vis atq; potestas, (ait Cajus,) hæc est, quod liceat nobis deditione ipsius corporis, quod deliquit, evitare litis æstimationem. l. 1. ff. eod.

Quotuplices sunt Noxales actiones?

Sunt duplices, aut Legitimæ, aut Honorariæ. l. ult. h. t. §. sunt autem. Inst. eod.

Quæ sunt civiles sive legitimæ?

Quibus in legibus additum est caput de noxa, hæ legitimæ sunt, ut actio furti nec manifesti, ex l. 12. tab. l. 2. ff. eod. Nam manifesti ex jure prætorio est. Inst. in princ. de perpetuis & temporalibus actionibus, item actione damni injuria dati. ex l. Aquilia. d. l. 2. §. 1.

Quæ Honorariæ noxales?

Quando similiter Prætor clausulam de noxa civilibus aut Prætoriis actionibus adjungit, etiamsi directa civilis sit, l. si plurium. 39. ff. eod. sicut adjecit actioni injuriarum. d. §. sunt autem, quæ tamen aliquando civilis est. l. lex Cornelia. ff. de injuriis. & actioni vi bonorum raptorum. l. 1. in princ. ff. de vi bon. rap. act. Hanc adjecit actioni de his qui dejecerunt. l. 1. in princ. ff. de his qui dejec. quæ est Prætoria, l. electio. 26. §. 2.

Quæ causa est harum noxalium actionum?

Prima, quod iniquum videretur nequitiam servorum ultra illorum corpora, dominis damnosam esse. Inst. in princ. eod. Unde Gajus, Melior per servos conditio fieri potest, deterior non potest. l. melior. ff. de Regul. Iur.

2. *Non minus iniquum foret, dominos peculiotenus ex delictis servorum teneri tantum, cum hac ratione impune ferret contra jus, quo præcipitur* delicta non debere manere impunita. *l. si ita vulneratus. 51. ff. ad l. Aqu.*

Quid si servus domino noxiam commiserit?

Nulla est actio, quia nulli nulla lis potest esse cum eo, qui in potestate est. l. lis nulla. 4. ff. de jud. quamvis etiam potestate liberatus fuerit. Quia quod initiò vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere, *l. quod initiò. ff. de Regulis Iuris. ita quoq; si alienus servus adversum te delinquens, in tuum transierit dominum: lis in eum*

um casum deducta est, unde incipere non potuit. l. quia. 16. ff. ad l. Aqu. & arg. l. illud, eod.

Quid si servus commissa noxia alienetur, antequam lis instituatur?

Tunc locum habet axioma, noxa caput sequitur, *id est, actio noxalis cum noxio ambulat capite: nam ea in quemvis datur, in cujus potestate fuerit servus, tempore agendi, l. noxalis, 7.*

Cur non datur in servum?

Quia hac actio pecuniaria est, petens æstimationem damni, quam conditio servi vel potius inopia facit inanem. l. 6. ff. de dolo malo, utputa, possessus nihil possidet, nec quidquam habet proprium. l. hos accusare. 12 §. omnibus. 4. ff. de accus.

Quid juris si dominus ignoraverit, vel prohibuerit, vel prohibere etiam nequiverit: *Nemo enim ad impossibile obligatur?*

Æquè tenebitur noxali. l. 4. h. t. quoniam si dominus jusserit, vel consenserit, vel cùm potuisset, non prohibuerit detractâ mentione noxa, directâ tenebitur. l. 2. 3. 4. ff. eod.

Quid de filiis familiarum?

Olim quidem erat eadem ratio. quia parentibus omnia acquirebant. Inst. Per quas personas, nec multum intererat inter patriam & dominicam potestatem. Nam patres habebant vitæ & necis potestatem in filios, l. ult. C. de patr. potest. l. 1. de lib. & post. & l. 12. tabularum: jus vendendi. J. de patribus qui liberos distraxerunt: sed iniquum visum fuit ex privato civili delicto libertatem his eripere: quandoquidem pœna per filij corpus pater magis quàm filius periclitetur, & in filiabus etiam pudicitia favor excludebat. Unde Paulus, Pro affectu magis arentes in liberis, quàm in se terrentur, l. isti quidem. 8. ff. quod met. caus.

Quæ igitur actio competit in eos?

Directa, & si satisfacere nequeant, patres eorum nomine, peculiotenus conveniantur. l. noxali 33, cum seq. ff. eod. l. 1. §. si filius ff. de his qui deie. Vel si id non successerit, luant secundum jura in corpore, qui non habent in are. l. ult. & penult. ff. de in jus voc.

Ad

Ad exhibendum, tit. 42. const. 9.

Quæ Continuatio?

Actio ad exhibendum cùm detur tam propter noxales actiones, quàm propter vendicationes, & sit utriusq; preparatoria, rectè subjicitur. Vnde Vlpianus, Siquis, *ait,* noxali judicio experiri velit, ad exhibendum ei actio necessaria est. *Quid si actio ex præsentibus designare non posset, quia aut servum non recognoscit, aut nomen non tenet: nónne æquum est ei totam familiam exhibere, ut noxium servum agnoscat? quod ex causa fieri debet ad designandum eum, cujus nomine noxali aget. l.3.§.7.ff.eod.*

Quid est exhibere?

Exhibere (*inquit Paulus*) facere in publico potestatem, ut ei, qui agit, experiundi sit copia, *l. 2.eod. & in eadem causa præstare in qua fuit, cùm judicium acciperetur. l.9.§.5. vel præsentiam corporis præbere. l.plus. 22.ff. de V.S. & ipsum de quo agitur, sistere. l.fin. ff.eod.*

Quid est actio ad exhibendum?

Nihil aliud quàm actio personalis, in rem directa, quâ petitur ut res exhibeatur, ejúsq; videndæ & apprehendendæ fiat actori copia.

Cui datur hæc actio?

Ei, qui rem petiturus est, quacunq; demùm actione sive Hypothecariâ sive Pignoratitiâ sive Servianâ, vel etiam usuro interdicto utrubi de rebus mobilibus, vel de Precario: aut Noxali acturo. d.l.3.& ed.§. Breviter illis omnibus competit, quorum probabiliter interest quod à judicis arbitrio & prudentia pendet. d.l.9.§.9. & 11.

Quomodo ab arbitrio?

Vt summatim cognoscat an intersit, an causam habeat actor, non an ejus res sit, & sic jubere vel exhiberi, si intersit, vel non. Quia nihil interest. d.l.3.§.9. item debet & æstimare exceptiones, quas possessor objicit, & si qua tam evidens sit, ut facilè repellat agentem, debere possessorem absolvi: si obscurior, vel quæ habeat altiorem quæstionem, deferenda est in directum judicium, re tamen exhiberi jussa: de quibusdam omnimodo disceptatur, veluti pacti conventi, doli mali, jurisjurandi, rei, quæ judicata est. d.l.3 §.13.

Quando

Quando & quomodo interesse debet?

Oportet interesse & litis contestatæ tempore, & quo fit condemnatio: quæ conjungit Imp. & hoc Labeoni placet. l. 7. in fine eod. & interesse debet pecuniariter. l. 13. in fine eod. & si nova causa intervenerit etiam post rem judicatam competit. l. 13. de eo. §. 2.

Sed si possint agere quorum intersit, igitur hæc actio efficiet, ut cui rationes adversarii exhibeantur, quia illius permagni interesset?

Respondit Alphenus referente Paulo: non oportere jus civile calumniari, neque verba captari, sed qua mente quid diceretur, animadvertere convenire. Nam & illa ratione etiam studiosus alicujus doctrinæ possit dicere sua interesse, illos aut illos libros sibi exhiberi, quia si essent exhibiti, cùm eos legisset, doctior & melior futurus esset. l. penult. eod.

Adversus quem datur?

Possidentem non solùm civiliter, sed etiam naturaliter incumbentem possessioni, creditorem. d. l. 3. in fin. & commodatarium, depositarium, colonum sive inquilinum. l. 4. eod. breviter adversus omnem detentorem. l. 5. h. t.

Quid si dolo malo vel culpâ desierit possidere, vel rem aliò transtulerit?

Si fortè, ait Ulp. rem proponas in abditum locum delatam, ut actori incommodior esset exhibitio. Nam hoc casu suis sumptibus & periculo debebit exhiberi in eum locum ubi agatur: ne ei calliditas sua prosit. l. 11. §. 1. versic. interdum eod. vel si dolo fecisset quo minus haberet. l. Iulianus. 4. in princ.

Quid si etiam post acceptum judicium perierit sine dolo malo & culpa possessoris?

Interdum tanti damnandus est possessor, quanti actoris interesit per eum non esse effectum, quò minus tunc, cùm judicium acciperetur, exhiberetur. l. 12. §. 4.

De quibus rebus competit?

De rebus tantùm mobilibus veluti servo, equo, instrumentis, debito soluto, vel unde adhuc debeatur, l. 1. 2. 6. ult. h. t. Res soli exhibentur

bentur per, se, l, 2. C, Quand, & quib. quart. p deb. l, 10. Non tamen de libero homine d. l. 3. D. h. t. Nec de tigno injuncto propter, l. 12. tab. agi potest l. 6. 7. eod.

De aleatoribus & alear. lus. tit. 43. Const, un.

Quæ continuatio.

Nulla si Cujacio credimus connexionis hic ratio præter ordinem seriemque perpetui Edicti, sic enim & in Digg. titulum de religios. & sumt. Fun. præcedit. ut hic. Nisi quis putet etiam vindicari posse quod in alea datum est.

Quid alea?

Verbi duplex est significatio. Propria atque impropria. Propriè designat tesseram & tesserarum ludum, quò titulus hic noster. Per translationem seu impropriè omne id, in quo sors ipsa & incertus nobis eventus dominatur. Vnde pro quavis fortuna sive. periculo poni solet, ut jacere aleam ἀνερρίφθω κύβος. Huc pertinet. l. 8. §. 1. De contrah emt. l. 7. De hær. vel act. vend. l. 5. De naut fæn. Illo tit. Dig. de aleat. l. 19. §. fin. De probat. l. ult. §, 1. Quar. rer. act. non det. & Horatij istud 3, Carm. Seu mavis vetita legibus alea: & alibi, quem damnosa Venus. quem præceps alea alea nudat,

Qui ludi aleæ nomine comprehenduntur?

Qui ex mero fortunæ & aleæ quasi casu ac jactu pendent. in quibus nihil hominis industria, ut sine impostura ac fallacia laudatur, nihil virtus potest.

Sed cur improbantur?

Ob hanc ipsam rationem, quia in iis nulla laudabilis industriæ vestigia elucent, nulla ad virtutem exercitatio. Quidquid enim hic quisque solertia assequi nnquam potest, nihil nisi versutiæ, c allidatis, præstigiarum encomium meretur, ut peritißimus impostor & veterator nequißimus obaudiat. Exterminanda itaque quam longissimè & excibilanda omnia hæc nequitiæ ac prodigalitatis fomenta A juvenum planè, manibus ut quoad ejus fieri poterit excutiatur manifestum perditionis authoramentum, non pigebit piißimi viri Lamb. Danæi momenenta consulere ubi pluribus ostenditur quomodo & authores profani & Orthodoxi Patres & sacræ literæ aleam ipsam vituperarim atque improbarint,

Quomodo autem prohibentur?

In Digg. exstat duplex Edictum. Priori negat, prætor judicium ei qui

cum apud eum alea lusum esset, injuriam vel damnum fuit passus l. 1 2. D. h. t, facit l. 1. de receptat. Posteriori iis qui aleæ ludendæ causa vim, intulerint extraordinaria pæna decernitur latumiarum aut carceris & interdum multa irrogatur, d, l, 2. Hoc autem loco Imp. & ludi vetat, & si contrà factum fuerit nec sequi vult condemnationem & soluti repetitionem indulget tum his qui dederint & eorum heredibus vel defensoribus & patribus, tum etiam fisco non obstante nisi 50. annorum præscriptione l, alearum h. t,

De religios. & sumpt. fun. tit. xliv. l. 14.

Quæ continuatio?

Hic titulus potest referri ad vindicationes de quibus agitur in hoc libro, ut intelligamus in eas non cadere res religiosas; ad ordinem tamen mixtarum actionem referuntur.

Quid ita?

Quia satis constabat neque res sacras neque sanctas neque religiosas ut quæ nullius sint §. 7. De rer. div. vindicari posse jure dominis quasi nostras: tamen quasi ad jus nostrum pertinentes peti possunt arg. l. 4. h. t. Unde nec ambitus monumentorum aut sepulchrorum, vel qui his adhærent lapides vel usucapi vel permutari vel pignorari vel aliter quàm in factum actione repeti queunt l, quæ religiosis. 43, de R V nec nisi modica venditioni accedunt l, 5, de sepulch. viol. l, 24, De contr, emt, l, 9, C. eod. Ad titulum verò hunc rectius percipiendum multum adjumenti afferunt Edicta in x de eodem argumento proposita, quæ duo sunt, unde & duo membra tituli.

Recita prius.

Prætor ait: Sive homo mortuus ossáve hominis mortui in locum purum alterius, aut in id sepulchrum in quo jus non fuerit, illata esse dicentur, in factum actione tenetur & pænæ pecuniariæ subjicitur. l. 2. §, 2. D. h. t,

Ad quid competit hæc actio?

Ut is inquit Gajus, qui intulit mortuum, tollat quod intulit aut loci pretium præstare cogatur per in factum actionem, quæ tam heredi quàm in heredem datur, & perpetua est l. 7. D. eod. tit.

Quod est alterum Edictum?

Prætor ait. qui funeris causa sumtus factus erit ejus recuperandi nomine, in eum, ad quem ea res pertinet, judiciū dabo. *l. si quis d, §, 2, 3.*

Cuius est facere sumtus?

Primum ejus quem testator elegit, qui nisi paret emolumentum quod ei forte relictum perdit. Deinde ad scriptos heredes res pertinet: Tum ad legitimos cognatosq; quo quique ordine succedunt d.l, 22, §, 4, Deniq; & ad eum eósve ad quem quósve dos perveniat. l. in eum 16, & seq, D. eod,

Quid intelligis funus?

Totam sepeliendi pompam. quæ latius patet, quàm exequiarum appellatio, ut qua tantum solennitas viarum dum funus procedit designatur,

Quis sumtus funeris accipitur?

Qui ideo factus fuit ut funus ducatur, sine quo funus duci non possit l. 24, §, 5, 4 D, eod & qui corporis causa erogatus sit, l. 37, eod.

Quomodo æstimantur sumtus?

Pro facultatibus & dignitate defuncti d.l, 12, §. 5, ut neque plus imputetur quàm factum, neque tantum si immodicè factum, neque adeo defuncti voluntas spectetur si res egrediatur justam sumtus rationem d. l. 14. §, non a, 5.

Quomodo qui impendit hos sumtus consequitur?

Actione quæ ex causa appellatur funeraria, *& ex bono & æquo oritur, eaque gaudet prærogativa, favore religionis, ut impensa funeris semper ex hereditate deducatur, & cum bona solvendo non sunt omne creditum præcedat, l. pen, D. eod.*

FINIS.